

HISTORIAE IO-

ANNIS SLEIDANI,

DE STATV RELIGIO-

NIS ET REIPUBLICAE,

CAROLO V. CAESARE.



LEO decimus, Pontifex Roma-  
 nus, ex familia Medicea, Floren-  
 tinus, missis per omnia regna li-  
 teris atque diplomatibus, omnium  
 delictorum expiationem, ac sa-  
 lutem æternam pollicebatur interuentu pe-  
 cuniæ: ad eamque rem, qui mittebantur quæ-  
 stores, æraria passim per omnes prouincias  
 constituerant: nec id modò, verum etiam edi-  
 tis libellis dogmata sua defendebant, in Ger-  
 mania præsertim. Erat tum Wittembergæ,  
 quod est ad Albim, oppidum Saxonix, Marti-  
 nus Lutherus, theologus Augustinianus. Is  
 concionibus illis & quæstorũ libellis excitatus,  
 quum videret vulgò credi, quod illi iactabãt,  
 cœpit monere homines, agerent prudenter,  
 neque merces illas tanti compararent. Fuit  
 hoc anno salutis humanæ supra millesimum  
 quingentesimum decimosextimo. Vt autem

*Leonis ve-  
 nales indul-  
 gentie.*

*peruenit huc  
 colligebatur  
 in oppidulo  
 huc huc.*

*Lutheri in  
 Papatum  
 uelutatio-  
 nes.*

M. D.  
 XVII.

maiori cum fructu rem ageret, pridie Calendas Nouembris, ad Archiepiscopum Moguntinum, Albertum Brandenburgicum datis literis, quid illi doceant exponit. Causa cur ei scriberet, hæc erat, quòd ad ipsum propter Magdeburgensem ecclesiã, cuius erat antistes, earum rerum omnium cura pertineret. Cum iis literis vnà mittebat themata, que nuper disputandi causa Wittembergæ promulgata, numero ad nonagintaquinque. Moguntinus ad ea nihil respondit, & non multò post Ioãnes Tecelius Dominicanus, Francofurti, quod est ad Viadrũ flumen oppidũ, aliã quãdã themata Lutheranis omnino cõtraria diuulgat. Quũ ad disputationem Wittẽbergæ propositam, resistẽdi causa nemo veniret, & quẽ diximus themata summo cum applausu legerentur à multis: Lutherus explicationem eorum valde prolixam scribit: & primũ ad Hieronymum Episcopum Brandenburgicum, cuius erat ditioni subiectus, deinde ad Ioannem Stupicium, Augustinianã familiã vicarium mittit, rogans vt ad Pontificem curet perferri. Sed & ipse, Iunio mense datis ad Leonem literis, exponit quã temerariẽ quæstiones illi doceant, & quã agant auarè, freti ipsius auctoritate: simul orat ne aduersariorum suorum criminationibus fidem habeat.

Præter alios, qui Lutheri themata oppugnabant, Ioannes Eccius theologus Germanus aduer-

*Tecelius  
Lutheri  
antagoni-  
sta*

M. D.  
XIII



aduersarium quoque scriptum, obeliscos edit. Huic respondet Lutherus, ipsum nihil sacrae Scripturae, nihil è scriptis Patrum, sed sua quaedam adferre somnia, iam olim praua consuetudine nimium in scholis recepta. Post Eccium Syluester Prieras Dominicanus, palatii (quod vocant) sacri Magister, contra scripsit, edito dialogo. Hunc Lutherus, prout merebatur, exagitas, eius libellum ita confutum esse totum dicit ex mendacii & horrendis nominis Diuini contumeliis, ut factanam eius auctorem appareat fuisse. quod si Pontifex & Cardinales idem sentiant, non dubium, quin Roma sit ipsissima sedes Antichristi. Tunc etiam acerbè scripsit in Lutherum Iacobus Hogostratus Dominicanus, Pontificem ad vim atque flammam exhortatus. Ei paucis respondens Lutherus, animum exprobrat crudelem & sanguinarium, hominis imperitiam saltè ridens. Maximilianus Cæsar interim conuentus agit Augustæ Vindelicorum, quod & Leo decimus legatum misit, Thomam Caietanum Cardinalem. Ei conuentui Septem uiri principes omnes aderant, qui propter ius creandi Cæsaris dicuntur Electores. De bello Turcico imprimis deliberatum hinc fuit. Nam Turcarum Cæsar Selymus, deuicto nuper Sultano, Syriam & Aegyptum in suam ditionem redegerat. Ad hoc tempus Leo decimus Cardinalem creauit Archiepiscopum

Conuētus  
Imperii  
Augustæ

Moguntinum Albertum, quò ecclesia Romana defenforem haberet in Germania, nobilitate generis & dignitate còspicuum. Maximilianus de controuersia Lutheri certior factus, Augusto mense dat literas ad Leonem, quibus eum hortatur, vt nascenti malo medicinam faciat, priusquàm longius euagetur atque serpat: nam esse moræ coniunctum periculum.

*Lutherus  
Romanus  
ciciliensis*

Syluestro Prierate Romæ Lutheri causam exagitante, Leo citat Lutherum, & denuntiata pœna Romam venire iubet. Pòst ad suum in Germania legatum, Caietanum, dat literas Augusti mensis die vigesimatertia, quibus iubet illum dare operam, vt Augustam Lutherus perducatur, in eoque Germaniæ Principum & Cæsaris opem imploret. Et quum adductus erit, custodias ei ponat, quò Romæ deinde sistatur. Ignosci tamen præcipit, & Ecclesiæ restitui, si sponte resipiscat, & delicti culpam deprecetur. Eodem quoque die, ad Fridericum Saxonie principem, qui tum erat Augustæ, scribit, ne ita degeneret à suis maioribus, vt illum, qui de religione Christiana minus bene sentiat, protegere velit, & patrocinio suo iuuare. Ad hunc modum nihil intentatum relinquebat, vt illi opprimeret. Hoc etiam anno, datis literis ad Gabrielem Venerum, ordinis Augustiniani promagistrum, hortatur, vt Lutherum, qui

*Fridericus  
Saxonie  
Princeps.*

res



res nouas molitur in Germania, & noua dogmata tradat, ab incepto reuocet, ea auctoritate quam det ei præfectura, & diligenter sollicitet, tum literis, tum per doctos internuntios.

Vbi citatum se Lutherus & Romam euocatum vidit, instabat vt de sua causa alicubi per Germaniam cognosceretur, idoneis constitutis iudicibus, in loco minimè opportuno iniuriæ. Quum autem id impetrari non posset, academia Wittembergica, missis ad Leonem literis, vicesima quinta die Septembris, egregium Luthero dabat & amplum vitæ ac eruditionis testimonium. Cum iis literis alteras quoque mittunt ad Carolum Militium Germanum, Leonis cubicularium, quibus petebant, vt pro sua gratia & familiaritate perficeret apud Põtificem, vt non Romæ, sed in Germania decernerentur Luthero iudices non suspecti. Præter hanc amicorum intercessionem, princeps etiã Fridericus Caietanum interpellat Augustæ, remque eò deducit, vt solutus necessitate proficiscendi Romam Lutherus, Augustã euocaretur, apud Caietanum dicturus causam. Quò quum venisset initio mensis Octobris, nolle se dicebat Caietanus in disputationem cum eo venire, sed controuersiam amicè cõponere. Simul duo quædam Pontificis mandata proponit. Primùm vt ad sanitatẽ redeat, & quos diulgasset errores reuocet: alterum, vt ab huiusmodi scriptis in po-

Scholæ  
Wittem-  
bergensis pro  
Luthero li-  
teræ

Lutherus  
Augustam  
ad Caieta-  
num eno-  
catur.

*Lutheri cō-  
stantia.*

sterum abſtineat. Lutherus ad ea, ſe nullius erroris ſibi conſcium eſſe reſpondet, & ſi quid errarit, demonſtrari petit. Caietanus valde inſtabat vt reuocaret. niſi faciat pœnas à Pontifice iam conſtitutas minatur: ſimul abire, niſi reſiſcat, & poſthac à ſuo colloquio abſtinere iubet. Lutherus tertio poſt hanc comminationem die, dat literas ad illum officii plenas & beneuolentiæ. Caietanus enim obiurgato Luthero, & à ſe dimiſſo, priuatim egerat cum Ioanne Stupicio, familiæ Auguſtinianæ vicario, vt illum ad reuocationem ſpōtaneam impelleret. Quum ad eas literas Caietanus nihil reſponderet, biduo poſt, amicorum ſecutus conſilia, præſertim quia voces ille quaſdam minaces emiſerat, diſcedit, relicta quadam appellatione, quæ poſt affigeretur palàm, qua teſtatur ſe præiudiciis grauatū, prouocare à Pontifice Romano minus edocto, ad Pontificem rectius edocendum. Poſt abitum Lutheri Caietanus dat literas ad Fridericum principem, Octobris viceſimaquinta, quibus monebat vt exiſtimationi ſuæ conſuleret & conſcientiæ, & Lutherum aut Romam mittat, aut è ſuis finibus eiiciat. Ad eam epiſtolam, decimanona die Nouembris allatam, Fridericus princeps octaua die Decembris reſpondet, mirum ſibi videri, quòd indiſta cauſa Lutherum uoluerit ad reuocationem cogere. Plurimos enim

*Friderici  
pro Luthero  
epiſtola.*



nim esse, non suæ tantum ditionis, verum aliis etiam in locis, viros eruditione & virtute præstantes, qui doctrinam illius minimè damnent. Eos autem qui se illi obiecerint, avaritia fuisse & odio, propter interuersum emolumentum impulsos. Quòd si demonstraretur illius error, se, qui & gloriam Dei spectet, & cōscientiæ suæ consultum esse cupiat, iampridem sua sponte fuisse facturum in eo, Christiani principis officium. Quòd à se petat, vt vel Romæ sistatur, vel è finibus externi netur, id sibi non esse integrum: primò quòd illius error nondum sit commōstratus, deinde quòd maxima sit istud futurum academiæ Wittembergensis iactura. Caietani literas Fredericus ad Lutherum misit. Lutherus ergo respondet Principi, nihil tā optare se, quàm vt doceatur quid erret. Quòd Caietan<sup>9</sup> iacet fore vt in iudicio res peragatur Romæ, nisi vel eò se conferat, vel extra fines eiiciatur: non se recusare exilium. satis enim sibi constare, quàm non possit vllò in loco esse tutus, in his aduersariorum infidiis & malevolentia. Futurum quoque sibi longè grauissimum, siquidem sui causa quis in periculum incurrat. Itaque, ne quid illi moliantur, excessurum se finibus iam, & tota regione, quocunque Deus duxerit. Proinde gratias agit, & salutem ei precatur: sibi verò gaudet & gratulatur ipse, quòd pro nominis

*Lutheri ad  
Fridericū  
literæ*

Christi gloria Deus aliquid se perferre voluerit. Post hæc academia Wittembergica, nono Calendas Decembris dat literas ad Fridericum principem, quibus orabat vt is daret operam, ne quid grauius Pontificii in Lutherum statuerent. Ipsum quidem de Leonis humanitate bene sperare, sed vereri plurimū, ne transfuersum rapiant adultores aduersarii, & Ecclesiæ nomine abutantur. Fridericus & si Pontificii morem non gerebat, & ne qua Luthero vis inferretur diligenter cauebat: tamen in eum vsque diem, Lutheri nec scriptum legerat vllum, nec audierat conciones, vt ipsemet in quadam fatetur epistola.

*Altera indulgentiarum publicatio.*

Dum hæc geruntur, Leo defectionem aliquam metuens in hoc rerum statu, quinto Id<sup>o</sup> Nouembris, nouo quodã edicto sancit indulgentias, eamque dicit esse ecclesiæ Romanæ, quæ magistra sit reliquarum omnium, doctrinam: vt Petri successor, pontifex Romanus, & Christi vicarius, potestatem habeat hoc tantum beneficium largiendi: sic quidem, vt non viuus tantum, sed & mortuis in purgatorio profint. Hanc esse recipiendam omnibus doctrinam, nisi ab ecclesiæ consortio velint separari. Decretum igitur hoc ad Caietanum mittit, vt omnibus innotesceret. Is mandatum secutus, Lincii, quod est ad Danubium Austriæ oppidum, librariis atque testibus adhibitis, edictum promulgat, & in exemplaria multa descri-



describi curat, eaque post mense Decembri per Germaniam mittit Episcopis, & nomine Leonis mandat graui constituta poena, vt è vestigio suis denuntient, & religiosè commendent atque precipiant. Lutherus quoniam è Caietani literis acceperat fore, vt contra se Romæ iudicaretur, nouam interiicit appellationem, à Pontifice ad Concilium, quod illi sit modis omnibus præferendum.

*Lutherus  
ad Conci-  
lium pro-  
uocat*

Post hæc Leo Carolum Miltitium in Germaniam mittit, & Fridericum aurea rosa donat, quæ multis cum ceremoniis atque pompa solet quotannis à Pontifice & consecrari, & singularis beneuolentiæ causa cuiquam donari. Datis etiam literis ad Degenartum Pheffingerum, ex Friderici consiliariis virū nobilem, rogat vt in iis quæ suo nomine sit acturus cum Friderico Miltitius, bonam nauet operam, vt Lutherus fatanæ filius coerceatur. In eandem quoq; sententiã scribit Georgio Spalatino. Ad eundem ferre modum Procancellarius etiam illius ad Degenartum scribens, orat vt Fridericum ad maiorum imitationem hortetur, ne quid illorum memoria committat indignum. Miltitius in Saxoniam vbi venit, exhibita rosa, negotium sibi commissum strenuè agebat. Eo cognito, Lutherus Martii die tertia dat literas ad Pötificem, valde quidem demissas, quibus orabat, ne suis aduersariis fidem habeat. De indulgentiis nullam se posthac mentio-

*Aurea rosa  
Saxo dona-  
tur a Pon-  
tifici.*

M. DXIX

*Gallie rex  
& Carolus  
Imperium  
ambiunt*

nem esse facturū, modò suis inimicis inuicem mādetur silentium. Priusquàm Militius in Germaniam venit, Maximilian<sup>9</sup> Cęsar è vita migravit in Austria, die duodecima Ianuarii. Electores pro cōsuetudine Imperii à Mogūti no cōuocati Iunio mēse Frācofurti, quod est ad Mœnum flumen oppidū, conueniunt. Ambiebāt Imperii dignitatē duo, Carolus Austriacus, qui ante annum tertium, Hispaniæ Regi Ferdinando auo materno successerat, & Frāciscus Galliæ Rex, qui ante annum quartum deuictis Heluetiis ad Marignanum, Mediolanensem principatum obtinebat. Et Caroli quidem legati sub hoc tempus Moguntiam vsque venerunt, quòd Francofurto quinque milliaribus abest. Gallici verò Confluentiæ substiterunt, quod est Archiepiscopi Treuirenensis oppidū, ad Rheni & Mosellæ confluentem. Vtrique per literas & inter nuntios, Principem qui que suum Electoribus commēdant, & quæcunque possunt adhibent argumenta: Galli præcipuè, eò quòd lingua, moribus, institutis, à Germanis differrent.

*Galliæ Re  
gis foedus  
cum Helue  
tiis.*

Superatis Heluetiis, vt dixi, Galliæ Rex Insucriam tenebat. sed quòd ad sui regni salutem, propè necessariam esse duceret Heluetiorum amicitia, magnis iacturis & pollicitationibus eam anno sequenti redemit. Nunc ergo quum in hunc casum res deuenisset, à morte Maximiliani, missis ad ipsos legatis, petit vt su

am



am causam apud Electores adiuuet. Illi ad Imperii maiestatem pertinere dicunt, vt sint Electorum liberrima suffragia. non ergo sibi licere libertatem hanc, vlla significatione suæ voluntatis impedire. Sic dimissis legatis, dant literas ad Septemuiros, & quid ille cupiat, quid etiam ipsi responderint exponunt, & ne rationem eius habeant, sed Germanum aliquem Principem eligant, hortantur, & de sua voluntate prolixè pollicentur. Sed & Leoni decimo scribunt: & quoniam sit ipsius inaugurare & confirmare designatum Cæsarem, petunt eò totus incubat, ne munus hoc ad externum aliquem Principem deferatur. Ad hæc ille, audire se quendam ad hunc honorem aspirare, cui per leges non liceat. nam Reges Neapolitanos esse Pontificis Romani beneficiarios, & fide data, iam olim sic esse pactum, ne Romanum Imperium appetant, sed vt alterutro sint contenti. huius etiam rei se comonefecisse iam principes Electores. Hac oratione designabat Carolum Austriacum. Post deuictos enim Heluetios ab Rege, quod fuit anno salutis humanæ millesimo quingentesimo decimo quinto, Idibus Septēbris, & abductum in Galliam Maximilianum Sfortiam principem, Leo Pontifex fortunam secutus, Decembri mense Bononiam venerat, & ibi cum Frācisco Rege victore diu multumq; collocutus, amicitiam firmauerat. Et hæc quidē causa fuit inter alias, quam

obrem in ipsius partes magis iam inclinaret. Vbi conuenerunt Electores, Moguntinus pro Carolo orationem habuit. Contra Richardus Treuerēsis Archiepiscop<sup>9</sup>, pro Rege Gallia. Tertio loco verba facit Saxonix dux Fridericus, & vbi Gallum excludi lege, Carolum verò Germanū esse principem, inq; Germania domiciliū habere demōstrasset, opus esse reipublicę aliquo præpotente dicebat: sed qui cū Carolo sit conferēdus, neminē se talem nouisse. Placere ergo sibi, vt is renūtietur Cęsar: veruntamen certis legibus, vt Germanix sua libertas constet. Hanc demum sententiam reliqui cōprobarunt. Fuit hoc Iunii die vigesima octaua. Iam multa nox erat. Itaque disceditur, & postridie rursus cōuenitur. Ibi cœptum est agi cuiusmodi condiciones Carolo sint ferendæ. Ad Fridericum Saxonem pridie fuerat delatum Imperium: sed is ingenti animo recusabat, & suo suffragio Carolum designabat, & oblatam eo nomine magnam pecunię vim à legatis Caroli, reiecit, & suis mandabat ne velteruntium acciperent. Repulsam Gallix Rex eò grauius tulit, quò maius impēdere suis rebus periculum ab illo sciebat. nam cuius alii dignitatem hanc deferri malebat, quàm Carolo, cuius & iam antè suspectā habebat, & hac ratione mirabiliter augeri videbat atque confirmari potentiam. Auri vim maximam, vt sui haberetur ratio, pfuderat. Idē à Belgis quoque

*Carolus  
Imperator  
renunciatur*

*Fridericus  
Saxo Imperator  
electus*



que factum esse dicitur.

Ad hoc ferè tempus Erasmus Roterodamus, quum aliis de rebus Friderico Saxonæ duci scriberet Antuerpia, Lutheri quoque meminuit, eiusque libros magno cum applausu dicit à viris bonis atque doctis euolui: sed & vitam illius à nemine reprehendi, quòd absit ab omni suspitione, tum auaritiæ, tum ambitionis. In eadem propè verba scribit etiam ad Moguntinum & ad Campegiū Cardinalem, & sophistas theologos atque monachos infestatur, qui linguarum & eloquentiæ studium, ac puriorem omnem doctrinam ferre non possunt. Lutheri quoque tum scribit Louanio valde amàter. Rebus exacerbatis, & multis in Lutherum excitatis aduersariis, instituta fuit disputatio Lipsiæ, quod est Misniæ oppidum, Georgii Saxonæ ducis, qui patruelis erat Friderici. Venit eò Lutherus Philippo Melancthone comitatus, qui accersitus erat à Friderico, literas Græcas docèdi causa. Venit etiã eò Ioannes Eccius, theologus animosus & audax. Cœptum est agi inter Lutherum & Eccium de primatu Romani Põtificis, quem Eccius iure Diuino dicebat institutum, & Lutherum dissentientem vocabat Bohemum, eò quòd eiusdem quoque sententiæ fuerat olim Ioãnes Husus. Decimo quarto demum die disputationis fuit exitus, quæ quidem instituta fuerat non Lutheri, sed Andreæ Carlostadii & Eccii

*Erasmi de  
Luthero  
testimoniũ*

*Lipsica dis  
putatio*

*Zuinglius  
Tiguri con-  
cionatur*

causa. Quum autem Lutherus Carlostadium comitatus, eò venisset audiendi gratia, pertractus ab Eccio, qui fidem ei publicam à Georgio principe impetrabat, ad cōgressum descendit. Docebat hoc tempore Tiguri in Heluetiis Vlrichus Zuinglius, qui sub initium huius anni venerat eò, vocatus: quum antea Glaronæ & in eremo, quem vocāt, diuæ Virginis, docuisset. Non multò pōst venit illuc missu Pontificis, indulgentiarum, vt aiunt, præco, Samson Mediolanensis Franciscanus, vt pecuniam emūgeret. Ei sese fortiter opponit Zuinglius, ac impostorem esse docet.

### LIBER SECVNDVS.

*Miltitii  
pro Ponti-  
fice diligen-  
tia*

**C**Arolus Miltitius, quem Leo ad Fridericum principem miserat, animaduertens causam in dies magis atque magis exacerbari, multa quæ ad reconciliationem facerent, tentabat, & permissu Friderici, cum Luthero semel & iterum collocutus, rationem inire tentabat sanandi vulneris. Quum autem occasione disputationis Lipsicæ, quam odiosè tractauerat Eccius, doctrinam suam Lutherus magis illustraret ac patefaceret, Miltitius primores aliquot ordinis Augustiniani conuocat: & cōmunicato consilio iudicabant omnes ad componēdum dissidium imprimis fore idoneum, siquidem Lutherus datis ad Pōtificem literis, honorificum ei testimonium præberet. Ho-

rum



rum itaque monitu, scribit illi ad sextum Aprilis diem, in ipsius esse potestate ut litem componat, si videlicet cognitionem eius ad se recipiat, & suos aduersarios cohibeat, ne tam asperè contra se tumultuentur. deinde ne scripta sua reuocare cogatur, nec ad præfinitum modum interpretandi Scripturam alligetur. Librum etiam à se recens conscriptum, De libertate Christiana, illi defert, paucis eum commendans, quòd verè doctrinæ summam complectatur. Veris initio Cæsar soluit ab Hispaniis, & in Angliam profectus, ab Henrico Rege, qui materteram eius Catharinam habebat in matrimonio liberalissimè excipitur. post in Belgium venit. Ad hoc ferè tēpus Fredericus princeps grauer agrotabat. Lutherus ergo rogatu quorundam, libellum ei conficit con solationis plenum, Tessaradecadem vocat. Postea libellum edit de ratione confitendi peccata. Theologi Louanienses ac Colonienses, Lutheri libros aliquot, interea factò decreto damnant, ut impios & irreligiosos & incendio dignos. His rebus cognitis, Lutherus ad singula suæ doctrinæ capita, quæ illi damnarant, respondet. Theologi Louanienses antequàm euulgarent suam de Luthero sententiam, cum Adriano Cardinali Derthusensi, Batauo, qui fuerat ipsorum aliquando collegi & ordinis, ac tum erat in Hispaniis, rem omnem communicarēt, & ab illo confirmati

M. D. XX  
Lutheri ad  
Pontificem  
epistola

Theologi  
Lutheri do  
gmata  
damnant.

*Lutherus  
scribit ad  
Cæsarem*

cenfuram emiserant. Quum ergo tam graues atque multos haberet aduersarios Lutherus, epistolam scribit ad nuper creatum Cæsarem, Carolum quintum, & deprecatus veniã, quòd ad tantum Principem, ipse tenuis conditionis homo scribat, ait se adhibere nunc supremum remedium, & Athanasii exemplo, confugere ad ipsum, velut ad aram præfidiũque legum: orare vt doctrinæ Christianæ tutelam suscipiat, seque contra vim & iniuriam omnem defendat, quousque de causa constiterit. Non multò post ad Albertum Archiepiscopum Moguntinum Cardinalem, valde scribit demissè. Cui ille respondet gratissimum esse quòd promittat non obstinatè sua velle defendere, sed meliora docentibus vtrò cedere. In eandem sententiam & eodem die, scribit etiã Lutherus ad Episcopum Merseburgensem.

Erat Friderico principi tunc tēporis aliquid Romæ negotii, quod Valétino Ditlebio commendarat, homini Germano. Is nuntiabat & hoc & quæcunque alia ipsius negotia, Romæ parũ esse grata, propter Lutheri temeritatem & immodestiam, qui & contra Pontificem & ecclesiam Romanam & senatum Cardinaliũ, odiosè multa scripserit & acerbè: quem quidem hominem ipse foueat & defendat, vt plærique omnes confirmant. His acceptis literis, Fridericus respondet, nunquam sui fuisse propositi, vt suo patrocinio Lutheri doctrinã pro-

pu.



pugnaret, & ne nunc quidem eius esse animi: neque sibi iudicium sumere vllum eorum que doceat. Quum hæc ille scripsisset ad Calendas Aprileis, Pontifex, Iulii mēsis die sexta, missis ad eum literis, quod nihil habeat cum Luthero commune, homine prorsus impio, valde sibi gratū esse dicit. Tolerasse se aliquandiu proteruiam illius ac temeritatem, ea spe, fore vt ad sanitatem rediret. Nunc autem quando suis monitis atque mansuetudine nihil profecerit, cogi se violentum adhibere remedium, quod metuat ne cōtagione sua plures ille corumpat. Conuocato igitur Cardinalium senatu, & cum doctissimis viris re communicata, post multam & grauem deliberationem, decretum se fecisse, cuius exemplar ad eum mittat, vt videat quàm prodigiosos errores ille satanæ minister defendat. Suā verò hanc esse mentem. primū admoneat illum vt omni deposita superbia desistat ab instituto, deponat errorem, ab eoque palàm & solenniter discedat. Hoc si recuset facere intra diem præfinitū, det operam vt custodiæ mandetur. Decretum verò illud, sanè quàm prolixum, fuit editum ad decimumseptimum Calendas Iulii. Ibi adductis aliquot Scripturæ locis, & ad suum propositum accommodatis, Leo Pōtifex Christum, deinde Petrum, Paulum, reliquosque Diuos implorās, vt impēdens Ecclesiæ periculū auerant, grauissimè queritur demū exoriri doctri-

b.

*Bulla ex  
communi-  
cationis in  
Lutherum*

nam, quæ & damnatas iam olim hærefes, ac no uos etiam errores, & meram contineat impietatem. Quare mandat omnibus, vt eam defugiant, graui constituta pœna singulis, pro sua cuique dignitate & ordine ac vitæ genere.

Lutherus vbi se damnatum Romæ cognouit, repetit appellationem illam superiorem, quando à Pontifice prouocauit ad Cõcilium. Nunc verò quia Pontifex in tyrannide & impietate sua permaneat, eoque licentiæ procedat, vt se nec vocatum nec auditum, nec erroris conuictum damnet, ait se rursus ab eo ad Concilium appellare: simulque scriptum edit contrarium, & omnia sua dogmata, quæ Leo damnauerat, ordine confirmat & asseuerat. Priusquàm ad huc modum prouocaret, quod fuit Nouembris die decimasextima, librum emiserat de captiuitate Babylonica. Cæsar interim constitutis in Belgio rebus necessariis, Octobris diem sextum designat Electoribus, vt inaugurationis causa sibi præsto sint Aquisgrani, vbi de more diadema suscepit Imperii. Inde quum sub Calēdas Nouembris Coloniam Agrippinam venisset, dimissis per Germaniam literis, Imperii conuentum indicit, & vt Ianuarii mensis die sexta Wormaciæ sibi præsto sint omnes, iubet. Dum Cæsar est Coloniae, Põtifex per Marinum Caracciolum & Hieronymum Aleandrum denuò cœpit sollicitare Fridericum principem, à quo duo petebat

Cõuentus  
Wormaciensis



tebat. Primum ut illius omnes iuberet incendi libros: deinde ut ipsum vel capite plecteret, vel custodiæ datum Pontifici sisteret. Fridericus quod permagni res erat momenti, petito deliberandi spatium, quarta die Nouembris per suos familiares, quoniam occupatus erat ipse, respondet, omnino sibi præter opinionem accidisse, quod eiusmodi rem Pontifex ab se petat: ac monet ne ad hunc modum agant: sed hoc potius efficiant, ut delectis aliquot viris literatis atque bonis, amanter & placidè de re tota cõferatur: ut Luthero rectè caueatur: nec ipsius libri comburantur, priusquam causam suam dixerit. Quod si firmis Scripturæ testimoniis, & solidis argumentis fuerit conuictus, tum eius institutum minimè se probaturum. Eo dato responso, illi habita deliberatione, dicunt agendum sibi esse ex formula decreti Pontificis. Itaque Lutheri lucubrationes non multò post incendunt & exurunt. Alexander erat Italus, patria Mottenfis, Hebraicæ linguæ peritissimus. Docuit aliquando bonas literas Lutetiæ. Lutherus de illorum facto certior factus, conuocata omni multitudine scholastica Wittēbergæ, & magna doctorum hominum comitante turba, ius Pontificiũ, & illud nuper euulgatum Pontificis decretum, palàm incendit, Decembris die decima. Et postridie cum doceret, vehementer admonuit, qui suæ salutis consultum esse vellent, ut à regno Pontificio si-

*Lutheri libri exusti.*

*Lutherus decretales incendit.*

bi cauerent. Edito deinde scripto, sui facti rationem exponit, suâque voluntate, consilio, & opera, Pontificios libros esse crematos profitetur.

*Catarinus*

Diximus Syluestro Prierati acriter fuisse responsum à Luthero. Ambrosius Catarinus Italus, illum postea defendendum suscepit, edito libro de Pontificis Romani dignitate. Lutherus autem prolixè respondet, & loca quædam Danielis interpretatus, tyrannidem Pontificiam ibi depictam esse docet, & quæ de Antichristi regno præsignificauit ille, prorsus ad pontificatum Romanum pertinere contendit. Catarinus deinde factus est Archiepiscopus Cossentinus.

### LIBER TERTIVS.

**F**Ridericus princeps, interea dum Cæsare ad agendos Wormaciæ conuentus euntem comitatur, effecerat vt Cæsar velle se Lutherum euocare diceret, & coràm audire. Quod vbi Lutherus è Friderici literis cognouit, sub

M. D. XX.

*Lutherus  
accesit  
à Cæsare*

exitum Ianuarii rescribit, vehementer sibi gratum esse, quodd Cæsar huius causæ, quæ publica sit, cognitionem ad se recipiat. Orat etiam vt & Cæsar & ipse, ad immanem illam feruitutem, & orbis Christiani miserrimum statum sub Pontificatu Romano, respiciant. Solicitante igitur Friderico, Cæsar sexta die Martii scribit Luthero, potestatem ei se face-



re ad se veniendi, ac deinde redeūdi domum. Utque hoc ei tuto liceat, publica fide se præstiturum, vt ex eo scripto, quod simul mittat, plenius videre liceat. Iubet igitur vt se statim det itineri, & intra vigesimumprimum diem adsit. nec esse quòd vim aut iniuriam metuat: se curaturum ne quid omnino sit fraudi. Romani Pontifices die Iouis, qui Paschæ diem antecedit, antiqua consuetudine solent magnis imprecationibus deuouere & execrari certa quædam hominum genera: primùm hæreticos, deinde piratas: item qui literas & diplomata Romanæ curiæ corrumpunt: & similes. Leo autē decimus, eo die, quem diximus, huius anni, qui tum erat quintus Calendarum Aprilis, Lutherum nuper ab ipso damnatum, eiusque sectatores huic numero coniungit, & simul execratur. Vulgò vocant Bullam cœnæ Domini. Huius autem imprecationis formulam post adeptus Lutherus, populari sermone vertit & explicat, non sine scommatis multoque sale. Cæsaris vbi literas accepit Lutherus, Wittembergæ deductus ab ipsius caduceatore, Wormaciam petit. Quùmque propius iam accederet, & paucis abesset milliaribus, plerique dehortabantur, eò quòd ipsius erant nuper exusti libri. Quo quidem præiudicio iam ipsum esse damnatum, & in summo futurum discrimine dicebant, illata mentione quid accidisset ætate superiore Ioanni Husso. Ve-

*Bulla cœnæ  
Domini*

rùm ipse magno quodam animi robore periculum omne contempsit: & terrorem hunc atque metum à fatana sibi dicebat adferri, qui cōfessione veritatis, & quidem loco tam illustri, regnum suum labefactari videat. Itaque progressus Wormaciam venit, ad decimum sextum Aprilis diem. Postridie vocatus, vbi coram Cæsare ac frequenti Principum concilio constitit, Eccius iureconsultus mandatu Cæsaris verba facit: &, Duæ sunt, ait, causæ, cur Cæsar de consensu Principum omnium & ordinum, te iussit accersiri, Martine Luthere, de quibus vt ex te cognoscam mihi mandauit. Primum, an hos libros abs te conscriptos esse fatearis, & pro tuis agnoscas. Alterum, an retractare quicquam in iis, an verò quæ scripta sunt velis tueri. Aderat Luthero iureconsultus Witembergicus, Hyeronimus Schurfus. Is librorum inscriptionem recitari iubet. Quo facto, Quantum ad libros, inquit Lutherus, pertinet, meos esse profiteor & agnosco: sed an propugnare velim quæ scripsi, vt ad hoc legitimè respondeam, quando quidem res maximi est momenti, & ne quid præcipitanter à me fiat, deliberandi spatium posco. Re communicata, Quanquam, ait ille, de scripto Cæsaris facile tibi fuit, causam cur sis euocatus intelligere, atque idcirco tibi non licebat moram vllam interponere, quò minus iam responderes, tamen Cæsar pro sua clem

men

*Lutherus  
coram Cæsare  
respon-  
det.*



mentia, diem vnum ad cogitandum tibi largitur, & vt cras ad hoc ipsum tempus de-  
nuò te sistas, & quid tui sit propositi, non  
scripto, sed oratione testatum facias, iubet.  
Quòd moram istam adhiberet, plerique pu-  
tabant non fore constantem. Altera luce  
quum ad horam adesset, inquit Eccius, Ei  
quod secundum fuit postulato, heri non res-  
pondebas, modò quid adfers? num illa tua  
scripta vis tueri? Tum Lutherus, Qui sunt  
à me conscripti libri, non sunt eiusdem ge-  
neris nec argumenti omnes. Nam ex iis aliqui  
solùm ad fidei & pietatis doctrinam pertinet,  
quibus etiam aduersarii mei præclarum dant  
testimonium. quos quidem si abiurarem, offi-  
cium viri boni neglexisse iure queam incusari.  
Sunt alii, quibus pontificatum Romanum &  
Pontificiorum doctrinã reprehendo, qui ma-  
ximis incommodis rempublicam Christia-  
nam affligerunt. Quis enim non videt, quàm  
miserè hominum conscientia legibus vexen-  
tur atque decretis Pontificum? Si nunc hos li-  
bros aboleam, illorum tyrannidem confirma-  
uero. Quod ipsum eò maioris erit præiudicii,  
quum audietur illud à me factum Cæsaris &  
Principum auctoritate. Tertium genus est eo-  
rum, qui scripti sunt in quosdam priuatim,  
qui & Romanam illam nequitiam defendere  
volunt, & vbique mihi calumniam struunt:  
& tamen in iis nihil retractare velim, etiamsi

fateor me vehemētiorem fuisse quàm deceat. Facto dicendi sine, Eccius asperiori vultu, Non respondes, inquit, ad rem: neque tuū est, ea quæ Cōciliorum auctoritate sunt olim definita, rursus in quæstionē aut in dubium vocare. Planum & simplex responsum abs te petitur, an tua scripta velis esse rata. Tum Lutherus, Quoniā iubetis, ait, vt planè respondeam: hæc est mea sententia, Quòd nisi Scripturæ sacræ testimoniis vel euidenti ratione conuictus fuero, me non posse quicquā eorum quæ scripsi vel docui, reuocare. Nam vt conscientiam ipse meam vulnerem, non cōmittam. Pontifici autem Romano & solis Conciliis non credo, nec ipsorum auctoritatē recipio. Nam & errarunt sapius, & sibiipsis pugnantiā dixerunt, & errare possunt atque falli. Eccius paucis obmurmurabat doceri non posse Concilium vllum aliquando errasse. Lutherus contrà profitebatur se & posse & velle. Atque ita tunc discessum fuit. Postridie Cæsar epistolam mittit in concilium Principum, Maiores suos & Christianam religionem esse professos. & ecclesiæ Romanæ semper obtemperasse. quūque Lutherus nunc eam oppugnet, ac sententiæ suæ pertinaciter insistat, proscripturum se eum atque socios, & aliis vsurū se remediis, ad incendium hoc restinguendum idoneis. Quam autem ipsi dedisset fidem, eam se seruaturum, vt saluus & incolumis domum reuer-

Diploma  
Cæsaris cō  
tra Luthere  
rum



reuertatur. Ea Cæsaris epistola diu multum-  
que fuit in senatu Principū disceptata. neque  
deerant (vt fertur) qui Constantiensis Con-  
cilii decretum & vestigia secuti, fidem ei mi-  
nimè seruandam esse dicerent. Sed huic sen-  
tentia, tum alios, tum Ludouicum Palatinum  
Electorem, restitisse vehementer aiunt, quòd  
ad Germanici nominis labem atque dedecus  
sempiternum ea res pertineret. Quapropter  
non modò ei seruandam fidem, sed neque te-  
merè damnandum esse plerique censebant, eò  
quòd magni res esset futura momenti, quic-  
quid demum Cæsar decreuisset: quem in hac  
ætate positum, à Pontificiis administris im-  
pelli videbant aduersus Lutherum & exacui.

Diebus aliquot interiectis, Episcop<sup>9</sup> Tre-  
uirensis, vicesimumquartum diem Aprilis Lu-  
thero cōstituit, vt ad se veniat. Aderant Bran-  
deburgicus princeps Elector Ioachimus, Sa-  
xonix princeps Georgius, Augustanus Epi-  
scopus, & alii quidam proceres. Quùmque Lu-  
therus ab Episcopi sacrificio deductus, & à  
Cæsaris caduceatore, venisset: ibi Væus iure-  
consultus Badensis, nomine Principum cœpit  
eum monere, vt suæ & tot animarum illius cul-  
pa pereuntium memor, sententiam mutaret,  
& aliquid de proposito remitteret. alioqui  
futurum vt Cæsar, qui iam non obscurè quid  
sui sit propositi ostendit, extra fines Imperii  
eum reiiciat, nec in Germania sedem vllam il-

Lutheri  
constantini

li esse patiatur. Ad hæc Lutherus, Quiduis, inquit, patiar, vitam quoque profundam potius, quam à manifesto verbo Dei discedam. Est enim Deo magis quàm hominibus obediendum. Tum Væus inter alia cœpit hortari, vt Cæsaris atque Principum cognitioni sua scripta subiiceret. Tum ille, Quid ni? inquit. Nolo equidem videri vnquam defugisse, vel Cæsaris vel ordinum Imperii, sed ne aliorum quidem iudicium, modò id Scriptura duce fiat, & verbo Diuino, quod tam apertè pro me facit, vt nisi hoc ipsum me redarguat erroris, non possim à sententia discedere. Itaque vos oro magnoperè, vt saluam mihi liceat tueri cōscientiam. Ibi Brandeburgicus, Num hoc, inquit, vis, te non cessurum, nisi cōiuctum sacra Scriptura? Planè, respōdit Lutherus, aut euidentissimis rationibus. Dimisso igitur concilio, Treuirensis aliquot suis adhibitis familiaribus, denuò illum cœpit admonere per Eccium iureconsultum, qui pro Pontificatu Romano multa locutus, nihil potuit proficere. Atque ita tum disceditur. Altera die Treuirensis iterum interpellat, vt Cæsari, ac Principum senatui iudicium permittat absque conditione. sed id frustra fuit. A meridie quàm ad Treuirēsem denuò quidā venissēt vocati, postulāt vt futuro saltem Concilio sua submittat. Assentitur ille, modò Scripturæ res agatur auctoritate. Post hæc Treuirēsis omni-



bus rémotis priuatim cum eo collocutus, quo modo huic morbo tã graui, tãmq̃ periculofo sit medédum, exquirít. Ille quod Gamaliel quondam suafiffet Pharisæis atque Scribis, optimun esse consilium, neque Deo repugnandum esse dicit. Tunc demũ Episcopus, quum nihil proficeret, benignè dimittit, séque curaturum ait, vt publica fide domum redeat. Non multò post Eccius iureconsultus Episcopi mandatu venit: & Quoniam Cæsaris atque Principum admonitiones repudiasti, faciet, inquit, Cæsar deiceps, quod erit ipsius officii. Et nunc quidem tibi mandat, vt hinc è vestigio discedas, & in reditum dies vigintivnum tibi largitur. Quam etiam fidem dedit, eam tibi seruabit inuiolatam: & hoc insuper mandat, vt domum profectº, neque scripto neque voce populum in via cõmoueas. Ad hunc ergo modum dimissus, gloriam Deo tribuit, & ad vicefimum sextum Aprilis diem discedit, comitatus eodem quo prius, caduceatore Cæsaris. Ex itinere scribit ad Cæsarem, & actionem omnem paucis repetit. Scribit item ad reliquos ordines & Principes, quandocunque Cæsari visum fuerit & ipsis, venturum se fide publica quò iusserint, causãque suã apud equos & nõ suspectos iudices disceptaturum. Ad hoc ferè tempus theologi Parisienses Lutheri libros damnabant, & ex illo, qui est inscriptus De captiuitate Babylonica

Theologi  
Parisienses  
Lutheri li-  
bros dam-  
nant

capita collegerant. Huic illorum decreto respondet Melanchthon, sed & Lutherus, verum iocose. Porro theologi Parisienses primum totius Europæ locum in eo genere sibi vendicant. Sunt quidem in iis nonnulli præclari ingenii, verum alio digni contubernio & meliori cultura. Leo Pontifex iam antea fœdus inierat cum Heluetiis, vt si quando res ita posceret, ipsorum vteretur opera. Gallia quoq; Rex qui pacem antè cum illis firmauerat, eos de fœdere sollicitabat, deq; milite sibi subministrâdo. Zuinglius autè pro concione vehementer dissuadebat, & quàm esset nõ modò turpis hæc militia, verumetiam impia, demonstrabat: & multis in medium adductis incommodis, ad maiorum institutum atque frugalitatem, qui rem pecuariam & agriculturam exercuisset, & præclare multa fecissent, eos adhortabatur: sed frustra. Nam à multa sollicitatione, donis & pollicitationibus expugnati proceres, multitudini persuadent. Itaque omnis Heluetiorum ciuitas, fœdus cum illo hoc anno facit, & militem promittit. Soli verò Tigurini Zuingliũ secuti, recusant, & iureiurando confirmant, nullum donum aut stipèdium accipere ab vllò Principe, militandi causa. Filius deinde natus est Regi, Carolus, pro quo si deiubent in Baptismo Heluetii, missis legatis. Porro tredecim hodie continentur pagis, vt vocant, Heluetii. Hi sunt Tigurini, Bernates, Lucer-

Zuinglius  
à militia  
mercenari  
a dehorta  
tur

Heluetio-  
rum pagè



Lucernates, Vrani, Suitēses, Vnterualdii, Tugiani, Glareani, Basilienses, Solodurii, Friburgii, Schafusiani, Apecellenses. Hi sunt arctissimo fœdere coniuncti per iusiurandum, & equali vtūtur iure, ac veluti communem rem publicā administrāt. Ex iis omnium primi fœdus inierunt Vrani, Suitenses, Vnterualdii, quū eiecta nobilitate, qua premebantur, in libertatē sese vindicaret. Fuit hoc anno salutis millesimo trecētesimo decimoquinto. His deinde Lucernates, postea Tugiani, sexto loco Tigurini, & ab his Bernates, accesserūt. Basilea se rē postrema sese coniunxit. Eorum deinde sunt facti focii, sed non iisdem legibus, neque tanta necessitudine, Rhœti, Lepontii, Seduni, Veragri, Sangallii, Mullusiani, Rotuillenses. Cæsar, qui tum ætatis annum vigesimū primum excefferat, publico decreto Lutherum octaua die Maii proscribit. Aiunt edictū à paucis aliquot fuisse conflatum. Nam ex Electoribus nonnulli fatentur non se fuisse conscios, vt suo loco de Coloniensi dicetur. Moguntinus, qui Cancellarius est Imperii, multum in hisce rebus potest. Vtcunque sit, ea lata sententia, permagnam Cæsar iniit gratiam; ita quidem, vt à Gallis abalienato profus animo, fœdus cum eo Pontifex iniret, sicut paulò post dicemus. Ab ea promulgatione Friedericus princeps, ex nobilitate nonnullis, de quorum fide compertum habebat, negotium

*Cæsar Lutherum proscribit*

*Lutheri secessus vel: eremus.*

dabat, vt in locum quēdam secretiorem, & ab hominum frequentia remotum, deducerent Lutherum, vitandi causa periculi. Quod quidem summa diligētia fuit & taciturnitate administratum. In hac sua solitudine, varias epistolas ad amicos, & libros etiam Lutherus emittit, De abroganda missa priuata, quem suis fratribus Augustinianis inscribit, De votis monasticis, ad parentem suum Ioannem Lutherum, & aduersus Iacobum Latomum theologum Louaniensem. Augustinianos autem ad fortitudinem & constantiam hortatur, & in Friderico principe magnum ipsos habere præsidium dicit, quod sit prudens & veritatis amans, & à iudiciis temerariis alienissimus. Cœperant illi tunc omnium primi intermittere ritum missarum: quē postea illorum exemplo, in vniuersum aboleri academia Wittebergica à Friderico principe petiit. Cæsaris frater Ferdinandus Austriae princeps, hoc anno ducit in matrimoniū Ludouici Hungariæ regis sororem Annam. In tanto numero aduersariorum Lutheri, Britannia rex, Hæricus octauus, illum etiam oppugnat, sumpto scribendi argumento ex Captiuitatē Babylonica. Lutherus, vbi cognouit, acerrimè respondet, in eiuſque causæ defensione, nullius hominis dignitatem aut splendorem quicquam apud se valere demonstrat. Leo Pontifex honorificum Regi cognomen idcirco tribuit,

*Rex Angli  
& scribit in  
Lutherum*



buit, Defensorem appellans Ecclesiæ.

Quum priuatæ quædam offensiones intercederent inter Imperatorem Carolum & Gallicæ Regem, ventum est ad arma: & primò quidem in Hispaniæ finibus, inque Belgio. Tenebant tum Galli Parmam & Placentiam. Id permolestè grauitèrque Leo Pontifex ferebat. Quumque etiam nuper tentassent Regium Lepidi, prorsus ab illis animum auertit, & fœdus cum Cæsare fecit. Coniunctis ergo viribus, Parmam & Placentiam Gallis eripiunt, & Mediolanum urbem capiunt, & hostem ex Insubria, quam totos iam sex annos ille tenebat, depellunt, & Sfortiam deinde restitunt, administrantibus bellum Prospero Columna, & Ferdinando Daualo Piscario.

*Bellum in Insabria.*

Non multò post eum allatum nuntium, Leo annum ætatis agès quadragesimum septimum, decessit è vita, nõ absque veneni suspicionem. Filius erat Laurètii Medices, ac proauū habuit Cosmū. Eodem propè tēpore Solymanus nuper factus Turcarum Princeps, Ludouico Bohemiæ regi & Húngariæ, qui sororè Cæsaris Mariam habebat in matrimonio, bellum facit, & plurimis occupatis oppidis atque castellis, Belgradum urbem, Húngariæ propugnaculum, ad Danubii & Savi cõfluentem capit, & opere præsidioq; munit. Dum verò Cæsar in Germania moratur atq; Belgio, valde graues ortæ fuerunt per Hispaniã seditiones.

*Leonis Pontificis mors*

M. D.

XXII.

Vt ergo nascenti malo tempestiuè occurreret,  
 constituto prius iudicio & senatu, qui ius red-  
 derent, perque suam absentiam, Imperii nego-  
 tia procurarent, classe vectus in Hispaniam red-  
 dit. Domum Cæsar rediens, Angliæ Regem  
 iterum inuisit, & vt firmum haberet amicum  
 in Galliæ Regem, aureorum millia cētum tri-  
 gintatria promittit ei dare quotānis. Tantun-  
 dem enim ex pacto Galliæ Rex Anglo pen-  
 debat, eiúsque forori Mariæ, quotannis. Gal-  
 liæ Rex, vt amissa per Italiam recuperaret, om-  
 ne robur eò conuertit. De Zuinglio su-  
 præ dictum est. Episcopus verò Constantien-  
 sis Hugo, cuius ad iurisdictionem ecclesiasti-  
 cam Tigurini pertinent, senatum interpellat,  
 & cuiusmodi querelas audiat de Zuinglio,  
 qui nouum doctrinæ genus inuexerit, ostendit.  
 Ille suam causam ad senatum defendit, ei-  
 que satisfacit. Zuinglio deinde cōiuncti qui-  
 dam alii, per literas orant Episcopum, ne quid  
 aduersus Euangelii doctrinam decernat: ne-  
 que turpem illam & infamem vitam sacerdotum  
 amplius ferat, sed coniugium illis permit-  
 tat. In eandem quoque sententiam scribit Zu-  
 inglius ad omnes Helueticos. Lutherus in-  
 terim, quum per menses aliquot delituisset,  
 Wittembergam reuertit. Et quoniam à Fri-  
 derico principe non erat reuocatus, orat per  
 literas, ne in malam partem hoc accipiat, si-  
 mūlque rationem reddit sui reditus, maximè  
 quòd



quòd per ipsius absentiam excitatæ fuerant in ecclesia Wittembergensi turbæ. Nam Andreas Carolostadius, interea dum Lutherus abest, diuersa dogmata proposuerat, & tumultuose statuas è templis eiecerat, concitata plebe. Lutherus autem hac de causa potissimum reuocatus à suis quum redisset, factum istud Carolostadii damnat, demonstrans non hoc ordine progrediendum, sed imagines atque statuas primùm esse remouendas ex animo, populùm que docendum, sola fide nos placere Deo, statuis verò nihil profici. Sublatis illis ad hunc modum, & rectè informatis animis, nullum esse periculum amplius ne quid noceât, & sponte collapsuras. Non se quidem repugnare quominus tollantur: sed hoc à Magistratu fieri debere, neque permittendum vt vulgò & promiscuè fiat ab omnibus. Gliscebat ad hoc tempus occultè secta quorundam, qui cum Deo sibi colloquium esse, & mandatam se habere dicebant, vt impiis omnibus interfectis nouum constituerent mundum, in quo pii solùm & innocentes viuerent, ac rerum potirentur. Hi suas opiniones clanculum disseminabant, in illa potissimum Saxonix parte, quæ est ad Salam flumen, eorùmque sententiã laudabat etiam Carolostadius, vt quidem Lutherus refert. Quùmque victus auctoritate Lutheri, nõ potuit quod vellet, Wittébergæ perficere, deserta demum statione transiit ad illos. Ex

*Carolo-  
stadii*

*Imagines  
quomodo  
tollende*

*Anabapti-  
starum  
origo*

hoc hominum genere atque officina prodiit Thomas Muncerus, quo quidem auctore per Turingiam & Franconiam, post nata est popularis in Magistratum seditio, vt suo loco recitabitur. Lutherus deinde certior factus in conuentibus Bohemorum esse qui Pontificis & ecclesiæ Romanæ suaderent auctoritatem recipiendam, alioqui dissidiorum & offensionum nullum esse finem futurum: dat literas ad illos tertio Calendas Augusti, quibus monet vt prouideant, ne dum sectas illas minores abolere student, in alias incidant longè deteriores, cuiusmodi sint omnes pōtificiæ prorsus insanabiles. Nusquam enim sunt plures sectæ quàm in regno pontificio: quod vel solis Franciscanis demonstrari potest, qui multipliciter inter se differant. Post hæc librum edit Lutherus, aduersus falsò nominatū ordinem Episcoporum. Agebant interea conuentus Noribergæ ordines Imperii, quò Ludouicus rex & proceres Hungariæ legationem miserunt amplissimam, & de Turcica inmanitate miserabiliter conuesti, firma petebant auxilia & diuturna. Misit quoque legatum eò Pontifex Adrian⁹, & Octobris die quinto per Hieronymū Rorarium, è suis cubiculariis vnum, qui ante legatum in Germaniam venit, ad Fredericum principem dat literas officii plenissimas. Hortatur autem & petit, vt ipse, qui sit Imperii Princeps, in cuius tutela versetur ecclesia

*Comuētus  
Noribergi  
cus*



desia Romana, in mediū ea consulat, quæ ad dignitatem ecclesiæ Apostolicæ, & ad publicā tranquillitatem pertinebunt: in eoque maiorū vestigia sequatur. Ferdinandus Austriae princeps, vrgebat vehementer sententiam latam aduersus Lutherum anno superiori, & in ducatu Wirtēbergenfi, quem tūc tenebat, grauisimū proposuit edictum, vigesima sexta die Nouembris, ac premiū delatoribus cōstituit: & passim in suis prouinciis grauitè in eos, qui pontificiis legibus non parerēt, animaduertit.

*Ferdinandus Lutheranos persequitur*

Hoc anno diem supremum clausit Ioannes Reuchlinus, ætate grauis. Mortuū celebrauit Erasmus Roterodamus pulcherrimo dialogo, dum & immortalitatem, & trium linguarū cognitionis principatū ei tribuit. Sub exitum Nouēbris, Adrianus dat literas ad reliquos ordines Noribergæ cōgregatos, aduersus Lutherū, quibus admodum sibi dolere ait, malū illud in ea regione natū videri, vnde ipse genus duceret. hoc etiam eò dolere magis, quod ex nobilitate complures ei fauere intelligat, & nunc eousque factam progressiōnem, vt ecclesiasticorum dignitas per Germaniam imminuatur, & possessiones etiam in discrimen veniant. Rogat igitur & hortatur, vt reconciliatis animis, & omni deposita offensione, incumbant diligenter, & ad illud commune restinguendum incendiū, accurrant. Adrianus eiusdē propè sententiæ literas tunc etiam dabat

*Io. Reuchlinus moritur*

*Acta Noriberge*

*Adriani  
natales*

ad quosdam priuatim. Et ab Argentinensi qui de senatu, post multam doctrinæ Lutheri detestationem postulabat, ne quos illius aut sociorum libros euulgari permetterent, & iam excusos, non modò supprimerent, verum etiam flammis abolerent. Erat Adrianus humili loco natus ex vrbe Traiecto, quam vocant Vtricam, ad Batauorum fines. Louanii dedit operam literis, & aliquot post annis, quum eruditionis & probitatis nomine commendaretur, Maximiliani Cæsaris è filio nepoti Carolo præficitur erudiendo. Quum autem is iam factus grandior, ad equestre studium animum adiiceret, ad Ferdinandum Hispaniæ regem ille mittitur legatus, ab eoque Derthusensem episcopatum est adeptus. Et quum è vita Rex migrasset, ad Carolum nepotè delata summa rerum, ex legato factus est cõsiliarius. Disfidebat id temporis Leo pontifex à Cardinalibus, qui coniurauerant in ipsius necem, ita quidem vt exilio quibusdam, aliis autem terribimo carcere multatis, triginta vnũ crearet eodem tempore novos Cardinales, partim sui muniendi, partim conflandæ pecuniæ causa. Fuit hoc anno salutis millesimo quingentesimo decimosextimo. In his etiam erat Adrianus. Venit post in Hispaniam Carolus, nuper aui Ferdinandi factus hæres atque successor. Mortuo deinde Maximiliano creatus Cæsar, & in Germaniam euocatus, Adrianum sum-

ma



mae rerum per suam absentiam præficit. neque multo post ingens fuit orta per Hispaniam seditio. Leone mortuo, quum Iulius Medices & Alexander Farnesius ambirēt pro se quisque, ecce Adrianus & absens & incognitus, huius anni mensis Ianuarii die nona renūtiatur Pontifex. Qui accepto sui pōtificatus nuntio, post aliquot menses, idoneam nactus tempestatem, profectionem suscipit. Et quanquam eo ipso tempore, Cæsar ex Belgio sedandi causa tumultus in Hispaniam redierat: ille tamen nō salutato discedit, datis ad eum literis peramicis, & expositis causis, cur ita properaret.

Itaque sub exitū Augusti venit Romam. quo quidem tempore Solymanus in tertium mensē obsidebat Rhodum, ac demum septimo mense, quum Equites eius loci fortissime se defendissent, omni destituti auxilio, deditione cepit, die viceesima quinta Decembris, maximo sanè non detrimento solū, sed etiam dedecore nostro. Gliscente contra Zuinglium offensione, quum tam in vrbe quàm foris, doctrinam eius vt impiam & minus orthodoxam, pro concione multi traducerent, imprimis autem ii qui dicuntur Dominicani: ipse verò cum sacris literis eam congruere, & id velle se demonstrare diceret: senatus Tigurinus ministris omnibus ecclesiæ suæ ditionis mandat, vt ad viceesimum nonum Ianuarii diem, dissidii religionis causa, Tigur-

*Rhodi ex-  
pugnatio.*

M. D.

XXIII.

*Disputatio  
Tiguri.*

ri conueniant. Constantiensem quoque rogant episcopū, vt aut ipse veniat, aut è suis aliquē eò mittat. Zuinglius iam antè certis locis atque thematis doctrinā suam incluserat, numero ad sexaginta septem, quæ prius euulgatum proponit, & ad congressum omnes inuitat. Ibi Ioānes Faber, episcopi vicarius, conatur periuadere, certamen hoc non esse huius loci, verū ad Concilii notionem pertinere, quod breui sit futurum. Vrgente autem Zuinglio, & postulante siquid habeat, vt ne dissimulet: ille scripto se refutaturum ipsius dogmata profitetur. Dimisso conuentu, senatus edicit, vt traditionibus hominum omisis, Euangelium purè doceatur, è veteris & noui Testamenti libris.

### LIBER QVARTVS.

*Adriani  
ad Principes  
legatio*

**A**drianus Pontifex legato suo formulam dederat actionis: & primò quidem commemorari iubet apud Principes, quantum sibi doleat, turbam istam atque seditionem à Luthero concitari, tum quòd ad animæ detrimentum, & ad gregis, quem suæ fidei Christus commiserit, dissipationem ac interitū ea res pertineat, tum quòd in ea gente atque populo istud acciderit, vnde genus & originem ipse ducat, qui quidem populus ab omni vel suspitione hæresis fuerit semper alienissimus. Nunc quum facillimè & proffigare Luthe-



rum, Diuini & humani iuris contemptorem, & hærefes ab eo difseminatas iugulare possint, futurum est nisi faciant, vt & parum esse constantes, & à suis degenerare maioribus dicantur. Itaque ipsorum esse, pontificium illud atque etiam Cæsaris decretum diligenter exequi, vt gloriam Dei vindicent, & suæ gentis ignominiam, ac præsentem à se pestem depellant. Interim tamen non esse dissimulandum, Deum, omnis iniquitatis vindicem, affligere ad hunc modum Ecclesiam suam, propter populi, maximè verò propter eorum peccata, qui præsumunt ecclesiis. Daturum se operam, vt respublica Romana, quæ tantis forsitan malis occasionem dedit, omnium prima seuerè corrigatur, vt quæ causam damni dedit, medicinæ præbeat & salutis initium. Quòd autem errores atque vitia non statim emendet, hanc esse causam, quòd morbus iste, què sanare cogitat, admodum sit inueteratus & multiplex. Itaque pedetentim sibi agendū esse, ne repētino quodā studio medendi, grauiorē excitet motum. Subitas enim reipublicæ mutationes, periculi esse plenas. deinde notum esse vetus illud, quod prouerbii loco dici solet, Eum qui nimis emungit, elicere sanguinem. Hoc scriptum Lutherus postea sermone populari cōuertit, & additis in marginē annotatiunculis, illud quod Pōtifex ait, Pedetētīm oportere p̄cedi, sic accipiendū

esse dicit, vt singuli pedes atque passus, interuallum habeant aliquot seculorum. Porro quòd aulæ Romanæ corruptelam sic profiteretur, non bonam apud Cardinales iniisse gratiam dicitur: tametsi Pontificum hanc esse technam ferunt, quando Conciliū & notionem causæ tardare volunt & infringere, vt liberaliter & prolixè polliceantur: quò spatium intercedat comparandi Regum gratias, & tempore opportuno rem armis tentandi. Promissis enim animos hominum in spem & expectationem erigunt, atque interim rationes ineunt retinendæ suæ dignitatis atque potētiae, quam in discrimen vocari sciunt per libera Cōcilia.

Interea dum legatus hæc agit, Principes querebantur, pacta, quæ cum Pontificibus olim fecissent, non vno modo violari Romæ. Qua de re certior factus legati literis Pontifex, nuntiabat, interprete legato, quod à suis maioribus factum sit, non se posse præstare: sed rationem illam vsitatam Romæ, sibi tunc etiam, quum adhuc esset priuatus, admodum displicuisse, & sui iandudum esse propositi ac voluntatis, etiam si nullus interpellasset, emendare hæc omnia. Legato mandaratur etiam, vt responsum à Principibus flagitaret: nam eò se scribere, primùm vt ex ipsis intelligat rationem, qua putent hanc tam pestiferã sectam posse iugulari: deinde, vt quod ab se confici debeat, atque præstari, tempestiuè procuret.

His

*Tedma Pō  
tificum  
Rom.*



His rebus ad cōcilium illatis, Principes ac ordines dant reſponſum, ſibiſque pergratum eſſe dicunt, quòd audiunt de ipſius erga rempublicam voluntate, de ſuſcepto labore pro componendis Regum diſſidiis, de impenſis factis ad reprimēda Turcarum arma. Sed quòd queratur nō eſſe de Luthero ſumptā pœnam ex formula decreti Cęſaris, id non leui de cauſa prætermiſſum. Omnes enim ordines grauiffimè conqueri de curia Romana, & pleroſque omnes Lutheri concionibus atque libris ita nunc eſſe eruditos, vt ſi decretum illud aduerſus ipſum valere debeat, maxima ſit inde dubio procul oritura ſeditio, & fore vt plurimi ſic interpretentur, quaſi eo fiat vt oppreſſa veritate & extincta Euangelii luce, manifeſta vitia, quæ tolerari diutius aut diſſimulari non poſſunt, defendantur. Quæ quidem perſuaſio certiffimam ſit excitatura populi contra magiſtratum rebellionem. Quòd ergo non diſſimulet, neque morbos excuſet Romanæ curiæ, quòd emédationem quoque promittat, ſummam id laudationem mereri, præſertim ſi reipſa, quod verbis & oratione pollicetur, præſtet. Bellis aliſſque multis impenſis ac tributis extraordinariis Germaniam eſſe magnoperè attenuatam: ita quidem vt neceſſarios ad rempublicam ſumptus tolerare, & Pannoniis viciniſq; populis auxilia ſubminiſtrare in Turcā vix agrè poſſint. *Annate* Petere igitur ne cenſum, quo

Episcopi cæteriꝫ ecclesiarum præfeti, ad certum tempus Romano Pontifici erant vestigales, exigat: sed in Imperii publicū ærarium redigi permittat. Nam quū Germani superioribus annis id permiserunt Romano Pōtifici, interuenerat conditio, vt ea omnis pecunia, quū bellum esset gerēdum aduersus Turcam, erogaretur. Id si fiat, tum reconciliari posse multas per Germaniā offensiones, & fore cū opus erit, vt non desint facultates, ad succurrendū exteris nationibus contra vim hostilem & impetum Turcarū. Quòd insuper cōsiliū ab ipsis petat in hac religionis mutatione: cū non solum de Lutheri dogmate sit agendum, verumetiam de multis aliis grauisimis erroribus atque vitiis, quæ lingua consuetudine robur assumpserunt, & deprauatis hominū iudiciis atque moribus iam excusētur, quod & ipse fateatur: videri sibi non aliam esse cōmodiorem viam hæc omnia sanandi, quàm per pium liberūque Conciliū. Hoc in tēpore magna fuit rerum facta mutatio per Daniam. Sic autem res habet. Christiernus eius nominis primus, Daniæ rex & Noruegiæ ac Sueciæ, filios habuit duos, Ioannem & Fridericum. Mortuo successit Ioannes. Huic bella fuerunt cū Suecis rebellantibus. Cōpositione tamē sedata res fuit. Nat<sup>o</sup> est Ioāni filius Christiernus, qui sex annorum puer, viuo patre designatus Rex, & post viginti sex annos ab illius morte

*Daniæ h-  
storia*



morte confirmatus, regni possessionē adeptus est, anno salutis humanę millesimo quingente simo decimo quarto. Eo regnāte Sueci denuō rebellionē faciunt, & Stenonem Sturam summę rei præficiunt. Christiernus autem omne robur in eos conuertit, & post multos conflitū ac varias obsidiones, vincit: ipsūmq; Sturā in prælio interfectū atq; sepultū, effodi iubet & exuri. Fuit hoc anno salutis millesimo quingentesimo vicesimo. Suecos ita debellatos ex nobitate quidam Gustauus Erixonius, à Lubecensibus, vt creditur, instigatus & adiutus, iterum ad rebellionem incitat, & feliciter quidē. Simulabat initio se negotium agere filiorum Stenonis. cōfirmator autem factus, regni possessionem arripit, & sui muniendi causa, Stenonis filiam in matrimonium ducit. Christiernus amissa prouincia, domi quoq; magnam sustinebat inuidiam. Impotenter enim gerebat rempublicam, & sæuitia sua cunctos ordines offendit. Itaque quum tandem metueret, ne magno sui capitis periculo, hic æstus aliquando prorumperet: quūque Fridericus etiam patruus, & Lubecenses in ipsum arma sumerent, cum liberis & vxore Isabella, Caroli Cæsaris germana sorore, profugit hoc anno, cū regnasset annis nouem, inque Zelādiam Cæsaris prouinciā appulit. E vestigio post, ordines regni coacto cōcilio, patruū eius Fridericū Holsatię principē ætate graui, creat regē, à

*Christiernus  
regno puls.*

*Fridericus  
creatur Rex.*

Lubecensibus adiuti, & euulgatis deinde scriptis ad Cæsarem, ad Pontificem, ad reliquos Imperii Principes, facti sui rationem reddunt, & illum grauiſſimorum criminum accusant, suoque merito exulare dicunt. Idem Fridericus quoque facit, & Lubecenses, cuius quidem ciuitatis amplissima est auctoritas atque potentia iis locis. Christiernus autem nactus idoneum scriptorẽ, Cornelium Scepperum Flandrum, hominem imprimis eruditum, criminationibus respondet, ac ordines Imperii Noribergæ congregatos, opem auxiliũque poscit. Liberos habuit marem vnum, quem Cæsar auunculus postea ad se recepit, filias verò duas Dorotheam & Christinam. Susceptum fuit eodem anno bellum ab eius propinquis vt restitueretur: sed frustra, præsertim quum bello Gallico Cæsar distineretur. Legatus pontificius accusauerat Ecclesiæ ministros Noribergæ, tanquam impia docerent, & vt in vincula conicerentur orabat. Principes autem existimare se dicunt, falsò quædam ad ipsum esse delata: illos etiam in honore esse, ac placere populo. Si quid in eos admittatur, fore vt sic illud omnes accipiant, quasi consultò fiat, veritatis opprimendæ causa, quæ quidem res motum excitare queat. se tamen delecturos, qui de re tota perquirant in posterum, & quod æquum est statuunt. Quum ad hunc modum postulatis omnibus respondissent, ipsi vicis-

*Ministri E  
uangelii ac-  
cusati.*



vicissim quid à Pontifice, quid ab Episcopis per Germaniam præstari velint, demonstrant, & ea quibus iniuriam sibi fuisse fieri dicebant, in certa quædam capita redigunt, & descripta legato tradunt, & Pontificem orant, quandoquidem hæc nulla nitantur æquitate, neque diutius tolerari possint, ut quamprimum aboleat. Nam alioqui fore ut ipsimet consilium sibi capiant, quemadmodum onus illud à se reiciant, & pristinam libertatem recuperent. Ad eundem modum questi fuerant in conuentu Wormaciæ, & quum eadem capita Cæsari tunc exhibuissent, orabant ut auctoritatem suam interponeret. Neque verò tunc ad Episcopos etiã hæc dissimulauerãt. Capti fuerunt ad hoc tempus Bruxellæ, professionis Augustinianæ monachi duo, Ioannes & Henricus, qui Euangelii causa sacris exauthorati, degradationem vulgò vocant, damnati sunt capitis. Ipsi verò gratias agebant Deo, quòd pro ipsius nominis gloria ipsis perferendum aliquid esset. Quum producerentur, omnium oculos in se constantia sua conuerterunt. Iraque fuerunt exusti Calendis Iulii. Quò decretum illud Imperii Noriberge factum, alii aliter acciperent, plerique etiam contemnerent, Lutherus datis literis ad Princeps, reuerenter & magna cum voluptate se legisse illud, & ecclesiæ quoque Witembergensi proposuisse dicit. Verùm insidiis atque arte dia-

*Ioannes  
& Henricus  
vini  
cremati*

*Decretum  
Noribergicum*

boli fieri, vt auctoritas ei derogetur. Nam ex prima etiam nobilitate quosdam esse, qui & nolint obtemperare, & varias etiam interpretationes affingant. Hoc itaque scripto se voluisse declarare quo modo illud accipiat, & confidere suam opinionem esse congruentem eorum voluntati.

Post hæc de instituendis Ecclesiæ ministris librum emittit, rogatu quorundam, ad senatum Pragensem, eique scriptum adiungit, quo demonstrat Ecclesiam habere ius & potestatem iudicandi de quauis doctrina, & constituendi ministros. Eodem propè tempore scripsit etiam de doctrinis hominum vitandis. Deinde formulam communionis præscribit ecclesiæ Wuitembergeni. Ei scripto coniunxit aliud de piis ceremoniis in cœtu Ecclesiæ seruandis. Item & illud de abominatione missæ priuatæ, quam vocant Canonem. Inter alios Germaniæ viros doctos, qui Luthero plurimum fauebant, erat Vlrichus Huttenus, Francus, nobili genere natus. Is hoc anno sub exitum Augusti mensis, in Tigrinorū finibus mortem obiit. Extant quædam eius opuscula, quæ magnam ingenii libertatem & acrimoniam ostendunt.

*Vlrichus  
Huttenus*

*Rex Angliæ  
in Luthe-  
rium*

Libro superiori diximus, quemadmodum Lutherus Angliæ regi Henrico responderit. Hoc scriptum Rex vbi legit, ad Saxoniam principes, Fridericum eiusque fratrem Ioannem & patrualem Georgium dat literas, & de Luthe-



ro grauiiter questus, quantum ab eius doctrina periculū ipsis imminet totique Germaniæ, demonstrat. nec esse quòd contemnant aut paruifaciant. nam & Turcicam illam immani tatem, quæ nunc tam latè grassetur, ab vno atque altero homine perduto primã duxisse originem: & vicinã ipsis Bohemiã documento esse quãti referat nascenti malo statim occurrere. Monet etiam ne Luthero permittant, vt Testamentum nouum lingua populari diuulget. Sic enim iam esse notum artificem, vt dubium non sit, quin bene scripta, malè vertendo peruertat atque deprauet. Ei scripto Georgius princeps peramicè respondet, grauiiter & ipse Lutherum incusans, eiusque li bros quàm longissimè suis à finibus arcere se dicit, tanquam nocētissimos omnium hostes. In conuentu Noribergico, præter causam religionis, egerant Principes de ratione firmadæ pacis, & constituendi iuris, de pœna eorum qui legibus Imperii non obtēperarent, de perpetuis & continentibus auxiliis contra vim Turcicam. Et Imperii quidem ciuitates, quoniam in eo conuentu promulgatum erat de nonnullis, quæ sibi detrimento fore videbant, communem mittebant ea de causa legationem ad Cæsarem, in Hispanias. Hi quum sua proposuissent, Cæsar benignè & liberaliter respōdit. Sed Pōtificem apud se questū ait, per literas, de Argentorato, Noriberga, Augusta, quasi doctrinæ Lutheri

faueant. Se quidem ab illis expectare meliora: sed tamen silentio noluisse hoc præterire, quò videlicet & suis & pontificiis edictis obtemperent. Illi sese purgant, & nihil à suis prætermitti diligentiaè demonstrant, quò ipsius voluntati satisfiat. Interim Adrianus pontifex moritur Idibus Septembris. Ei succedit Clemens septimus è familia Medices. Heluetiorum propè soli Tigurini sequebantur Zuinglii doctrinam, vt suprà demonstraui-  
 mus. Ex reliquis verò plærique fremere ac indignari. Et quum Bernæ propterea conuenissent, erant qui Zuinglium grauiter accusarēt. Docbat inter alia Zuinglius imagines è templis amouēdas, & missam, quòd impia sit, abrogandam esse. Propter hanc ergo causam Senatus in vrbe sua conuentum indicit. Quò quum frequentes Octobri mense conuenissent, tridui fuit habita disputatio. Senatus autem, ne quid præcipitanter fieret, Constantiensem episcopum, qui neminem eò miserat, literis orat, vt sententiam in eo suam & ipse ostendat. Hoc ferè tēpore, quum aliis in locis, tum Argētorati, quidam ordinis ecclesiastici ducebant vxores. Ea res magnam excitauit contentionem. Nam accusati respondebāt nihil in eo se fecisse contra Dei mandatum, & omnibus esse concessum indifferenter matrimonium. Senatui quidem Argentinensi plurima fuit actio super ea re cū ei<sup>9</sup> vrbis Episcopo.

*Clemens  
septimus  
Pontifex*

*Sacerdotes  
sunt ma-  
ximi*

Con-



Conuentus Imperii hoc anno agebatur M. D.  
XXIIII  
 Noribergæ. Eò Clemens quoque Pontifex  
 legatum misit, Laurentium Campegium Car  
 dinalem, & datis ad Fridericum Saxoniam prin  
 cipem literis, amãter admodum scriptis, ad I  
 dus Ianuarii, pergratum sibi fuisse dicit, quum  
 de hoc comitio, cui & ipse esset interfuturus,  
 audiret. nam in maximam spem venire, posse  
 aliquid in eo constitui, quod salutem adferat  
 reipublicæ. Itaque rogat, vt beneuolentiam om  
 nem & amorem legato suo præstet, à quo  
 prolixius sit omnia auditorus. Ad vigesi  
 mum sextum Ianuarii diem, Lucernæ fuit Heluetio  
rum con  
uentus Lu  
cernæ  
 Heluetiorum conuentus. Ibi factum est decre  
 tum, ne quid Lutheri priuatim aut publicè  
 doceatur, aduersus receptum ecclesiæ morem.  
 Qui sancti Spiritus, Mariæ virginis, diui An  
 tonii circumferunt reliquias, à nemine ridean  
 tur. Quas Constantiensis episcopus tulit de  
 religione leges, eæ seruentur. Qui decretum  
 hoc violauerint, magistratui deferatur, & sint  
 vbique tanquam inspectores eorum quæ sũt.

Vbi Noribergam venit Campegius, iam Acta Nori  
bergici con  
uentus  
 abierat dux Fridericus. Quapropter scriptis  
 ad eum literis pridie Calendas Martii, & si  
 mul misis illis, quas à Clemente acceperat, ait  
 valde sibi importunè accidisse, quòd coràm  
 non liceat loqui. Multa enim habere se, quæ  
 Pontificis nomine cum ipso cõmunicet, quod  
 literis & nuntiis ad eò commodè fieri nequeat.

& negotium esse tale, quod moram vix vllam  
 admittat. Pōst in cōcilio Principum habere se  
 in mandatis duo dicebat, de quib' ageret: de re  
 ligione nimirum, deque bello Turcico. Et pri  
 mō quidem valde se mirari tot tātōsque viros  
 principes, hanc doctrinæ mutationem ferre, &  
 pati religionem illam, ritus atque ceremonias,  
 in quibus nati sunt & educati, atque etiā mor  
 tui ipsorum parentes atque maiores, ad hunc  
 modum extingui & aboleri, paucorum quorū  
 dā arbitrio atque suafu: neque reputare secū,  
 quō tēdat hæc innouatio, quēmque sit exitum  
 habitura. Nisi enim occurratur in tēpore, ni  
 hil expectandum inde profectō, quàm turbas  
 longè maximas, & populi contra Magistratus  
 rebellionem. Quārūm ad Turcas attinet, non  
 se negare collectam in hos vsus pecuniam, &  
 Romam quoque delatam, non esse totam huc  
 impensam: sed tamē non idcirco deserendam  
 in hac temporū acerbitate rempublicā. Prin  
 cipes ad ea respondent, quid periculi sit & im  
 pendeat ab ista doctrinæ mutatione, satis intel  
 ligere se atque videre. Itaque anno superiori,  
 quū alter adesset legat' pōtificius, rationē atq;  
 viam demonstrasse cōponendi negotii. Quid  
 etiā à Pontifice fieri vellent atq; requirent,  
 scripto cōprehensum, eidē legato tradidisse,  
 vt exhiberet Pontifici. De rebus Turcicis ita  
 rē habere vt dixerit, & se vehemēter etiā hac  
 sollicitudine affici. Legat' ad hæc, Num ab illis  
 vlla



ulla sit componēdi dissidii religionis propo-  
 sita ratio, vel etiā ad Pontificem & Cardinales  
 delata, nihil sibi de eo constare dicebat. In con-  
 uentu Wormacię, Cęsarıs exiisse mādatum e-  
 ius rei, de cōmuni ipsorū cōsilio promulga-  
 tū, quod etiam anno proximo repetitum fue-  
 rit, & placuisse tū vt esset ratū per omnē Ger-  
 maniam. Quātū ad ipsorum postulata perti-  
 net, an edita sint vt Romā deferantur, omnino  
 se nescire. Tria solum exēplaria fuisse perlata  
 Romā, ad quosdā priuatim. Ex iis vnū sibi cōti-  
 gisse. Pontifici autem & Cardinalium senatui  
 non posse persuaderi, hęc à Principib⁹ ita fuis-  
 se decreta: sed existimare priuatos homines o-  
 dio reipublicę Romanę in lucē emisisse. Nā in  
 his esse multa, quę & Pōtificis derogēt auctori-  
 tati, & hęresim redoleāt. Quòd autē ista sint ex-  
 cusa typis & in vulg⁹ edita, nimitū hoc sibi vide-  
 ri. Per Heluetios augeſcebat in dies magis ac  
 magis de religione similtas, & reliq; pagi mis-  
 sis legatis ad Tigurinos, dolorē suum testantur,  
 Antiquitus omnia rectē pięq; cōstituta, nec vl-  
 lam doctrinę fuisse contentionem. nunc autem  
 à temerariis aliquot hominib⁹ pulcherrimum  
 hoc otium, & quietem tum ecclesię tū reipubli-  
 cę turbari. Nimirum oportuisse iam pridē cre-  
 scētī malo medicinā facere, ac more maiorū vi-  
 dicare. Huius mali contagionē à Zuinglio p̄ſe-  
 ctā ad ipsos atq; Leone Iudæ: ex quorū doctrina  
 quid sequatur incōmodi, quotidie se in multis  
 d. ii.

*Inter Hel-  
 uetios de re-  
 ligione dissi-  
 dum*

experiri . Nam missam profcindi conuitiis ,  
 virginē Mariam ceterosque Diuos affici con-  
 tumelia, statuas & imagines reuelli & confrin-  
 gi, cultum omnem Diuinum intermitteri, nihil  
 iam in templis cantari, edi indifferēter carnes  
 & oua diebus ab ecclesia vetitis, sacerdotes &  
 Deo consecratos, tum viros tum mulieres, vio-  
 lata fide deferere professionē ac ordinē suum,  
 & cōtrahere matrimonia. Quæ quum ita sint,  
 orant vt discedant ab instituto, inque veteri  
 religione permaneant. Si quid verò sit, in quo  
 grauari se putent à Pontifice, ac ipsius cliente-  
 la, non se recusare quò minus id corrigatur.  
 Nam sibi quoque vehementer illa displicere,  
 & vnà cum ipsis velle deliberare, quemadmo-  
 dum onus illud excutiant. Ad ea sena-  
 tus Tigurinus Martii die vigesimoprimo re-  
 spondet, suos Ecclesiæ ministros nūc in quin-  
 tū annum docere sacra : & initio quidem do-  
 ctrinæ genus hoc nouum sibi fuisse visum, eò  
 quòd nihil eiusmodi prius audissent . Quum  
 autem intelligerent atque viderent hunc esse  
 scopū atq; finē, vt Iesum Christū ostendat a-  
 rā præfidiūmq; salutis, qui pro mundi delictis  
 vitam atq; sanguinem profuderit, & sit vnicus  
 apud Deū aduocatus, non se potuisse tā salu-  
 tare nuntiū ardēti studio non cōplecti. Nūc eā  
 esse lucē excitatā in animis hominū, vt pleriq;  
 omnes in sua ciuitate Biblica scripta diligēter  
 euoluant: nec esse quòd Ecclesiæ ministri Scri-  
 pturam



pturã detorqueant, quæ sic in manibus omnium  
 versetur. Nullam ergo sectã sibi posse obici:  
 sed nomen istud in eos rectè quadrare, qui sui  
 quæstus atq; splendoris retinendi causa, verbũ  
 Dei, quòd volunt, inflectunt. Errorem sibi attri-  
 bui, neque tamen ab vllò demonstrari. Cõstan-  
 tiensem, Basiliensem, Curientem episcopos,  
 academias etiam aliquot, & ipsos aded, nõ fe-  
 mel esse rogatos, vt id facerent: sed in hunc vs-  
 que diẽ nihil esse præstitũ. Quòd si clerus ille,  
 qui nuper missa legatione querimoniã habuit,  
 impedimẽtum ipsis illatũ, vel errorem aliquẽ  
 suum docere possit, non se recusare quòd min<sup>o</sup>  
 illis satisfiat. Sin minus, tũ æquum sibi videri,  
 vt iubeantur officium facere, nimirũ vt vera do-  
 ceant, & ab aliorum abstineant contumeliis.  
 Quòd Põtifictorũ rapinas illas & expilationes  
 & immoderatam potestatem aboleri cupiant; au-  
 ditu sibi fuisse lõgè gratissimũ. Id autẽ nulla ra-  
 tione posse fieri melius, quàm si verbũ Dei per  
 omnia recipiatur. Nã quoad leges illorũ & mã  
 data valebũt, nõ esse quòd liberationẽ aliquis  
 expectet. Sola verò prædicatione verbi Diui-  
 ni dignitatẽ illorũ omnẽ atq; potentiam labefa-  
 ctari. Cõstantiensis episcopus interim habito  
 cõsilio respõdet Tigurinis, vti petierãt, & cõ-  
 scripto libello hæc potissimũ agit, Cuiusmodi  
 olim fuerit idola. quomodo profanę gẽtes illa  
 coluerint atq; Iudæi. cur ecclesia receperit i-  
 mages. quo primũ tẽpore sunt introductæ.

d. iii.

Pontifica-  
 tus quomo-  
 do excusã-  
 dus

quid aliarum gentium atque Iudæorum idola differant à statuis hominū Christianæ professionis. Exitus hic est, vt dicat Scripturam, vbi statuas & imagines remoueri iubet, loqui solum de Iudæorū atque gentium idolis. Itaque retinendas esse receptas ab ecclesia imagines. Ab hoc missā tractat, & multis adhibitis Pontificū atque Conciliorū testimoniis, oblationem & sacrificiū esse contendit. Priusquā Tigurini Episcopo rescriberēt, quā late patet ipsorum ditio, statuas omnes in vniuersum auferri iusserāt, & flammis aboleri: veruntamen sine turba. Ad Spiræ conuentū, qui tū agebatur, Cæsar misit Ioannē Haunartum, & questus edictū Wormaciēse esse violatū, iubebat illud in posterū magno studio seruari. Principes ad ea respondēt, e, quantū eius præstare possint, facturos. Tandē ad decimū octauū diē Aprilis decretū fuit, vt de voluntate Cæsaris Pontifex in Germania primo quoque tēpore liberū conciliū indicat, loco idoneo: vt ad No uēbris diē vndecimū, Spiræ denuō conueniāt ordines, deliberaturi, quid sequi oporteat, interea dū cōciliū fiat initū. De cōcilio recepit Cāpegius, nuntiaturū se Pōtifi. Profect⁹ fuerat hoc tempore Argētorato Noribergam Thomas Murnerus, theologus Franciscanus, qui senatum grauiter ad Cardinalem Campegium detulerat. Quūque reipublicæ legati ad conuentum missi, purgandi sui causa venissent

*Spiræ con-  
uentus*



nissent ad Cæpægium, & reliquo sermone con-  
fecto, de Episcopi querimonia cognouissent,  
senatum dicebant Episcopo nullum hucus-  
que impedimentum intulisse. Sed si senatus  
permisissu, grauius quid in sacerdotes maritos  
fieret, ad ius prouocantes, non dubium esse,  
quin populi sit ex eo fremitus atque tumultus  
exoriturus. Addebant præterea, Ecclesiasticos  
Argentoratenses magna sui parte turpiter vi-  
uere cū meretricibus, quas domi foueant, ma-  
gna quidem cum offensione populi pessimò-  
que exemplo: sed tamen summa cum impuni-  
tate, nec eo nomine quenquam adhuc esse mul-  
tatum ab Episcopo. Si nunc ergo senatus ei  
permittat in istos animaduersionem, qui pon-  
tificiam modò legem non seruauerint, illis au-  
tem, qui Dei præceptum violant, impunè scor-  
tari, & turpissima vitæ exempla passim edere  
liceat, quis dubitet quanto sit hoc ipsorum pe-  
riculo futurum? Ille facinus illorum esse com-  
pertum dicebat, nec opus esse multa discepta-  
tione iuris. Nam ipso facto iam esse proscri-  
ptos & ab ecclesiæ cōmunionem remotos. Sci-  
re se Germaniæ episcoporum hunc esse morè  
vt accepta pecunia scortationem suis permit-  
tāt. Fore etiam vt eius facti rationem aliquan-  
do reddant. Sed tamen idcirco non istis lice-  
re matrimonium contrahere: & quòd sacer-  
dotes fiant mariti, multò esse grauius pec-  
catum, quàm si plurimas domi meretrices  
d. iiii.

alât. Nam illos habere persuasum, quasi rectè  
 faciant: hos autem scire & peccatum agnosce  
 re. nec enim omnes ea esse, qua fuit Ioannes  
 Baptista, continentia. A conuentu Nori-  
 bergico, Ferdinandus, Campegius, Salisbur-  
 gësis, Bauari fratres, Tridétinus, Ratisbonen-  
 sis episcopus: itè Bâbergici, Spirësis, Argenti-  
 nensis, Augustani, Constantiensis, Basiliensis,  
 Frisingësis, Passauiésis, Brixinësis episcoporu  
 legati, Ratisbonæ conueniunt, & Lutheranis-  
 mi oppugnâdi, ac doctrinæ pontificiæ propu-  
 gnandę gratia, decretum faciunt. Adscriptum  
 fuerat inter cætera, vt qui Wittébergæ darent  
 operâ literis, suæ ditionis homines, intra ter-  
 tium mēsem, vbi de facto decreto rescuerint,  
 domum reuertantur, aut aliò se conferant, vbi  
 Lutheranum illud virus locum non haberet.  
 Qui secus facerët, beneficiis & hęreditate pri-  
 uarentur. Porro quòd è sacerdotum vitiosis  
 moribus, originem habere Lutheranam hære-  
 sim dicerët, ad emendandum ecclesiæ statum,  
 auctore Campegio has ibi faciūt leges. Viuant  
 honestè, vestiantur decorè, non negotientur,  
 fugiāt cauponas, non sint auari, neque pro sa-  
 crorum administratione pecuniam acerbè  
 imperent: concubinarij remoueantur loco, fe-  
 riarũ numerus sit moderatus. Ea quæ dixi-  
 mus in Imperii comitio cupiebat sancire Că-  
 pegius. cùm autè id perficere nõ posset, aliena-  
 tis quorũdã animis à pōtificatu, conuentũ hũc  
 separatim egit. Luther⁹ vbi cognouit Cęsa-

*Fœdus in-  
 ter Ponifi-  
 cios*



re & plerosq; Príncipes vrgere decretū Worma-  
cienſe, Germaniæ ſtatum deplorat, quæ toties  
admonita, ſalutē ſuā negligat. Ipſos etiā cōpel-  
lat Príncipes, quòd tam apertè & nefariè dece-  
pti à Pontificibus Romanis, dignitatem ta-  
men illorum accerrimè propugnent. Itaque  
propter hanc pertinaciam inexcufabilem, ait  
impendere Germaniæ horribilem aliquam  
tēpeſtatem. Auream illam roſam nuper ab ſe  
conſecratam, Pótifex, velut inſigne quoddam  
& indicium ſummæ beneuolentiæ, mittit An-  
gliæ regi Henrico. Sub hocipſum tempus  
exiit Eraſmi Roterodami libellus de libero ar-  
bitrio. Lutherus ei deinde contrario ſcripto  
reſpondet, de ſeruo arbitrio. Vt argumentum  
illud tractaret Eraſmus, auctores ei fuerunt  
Angliæ rex & cardinalis Eboracenſis, vt ipſe-  
met in quadam ad Cardinalem epiſtola fate-  
tur, quæ typis eſt euulgata.

*De libero  
arbitrio  
conceratio*

His etiam diebus Lotharingiæ dux An-  
tonius, facto decreto, quoniam doctrina Lu-  
theri damnata ſit à Pontifice Romano, & à  
Cæſare, & à celeberrimis academiis, mandat  
ſuis, nequis pro concione aliquid eius generis  
doceat. Item qui libros habent vllos, à Luthe-  
ro ſcriptos, intra certum diem exhibeant. iis  
qui non parebunt pœnam conſtituit. Hoc  
anno Henricus Zutphaniēſis, propter Euan-  
gelii doctrinā, miſerabili morte & magno cum  
cruciatu fuit interfectus apud Dietmarios,  
qui ſunt ad Germaniæ fines. Eò ſe tandem cō-

*Henricus  
Zutpha-  
niēſis*

tulerat, vocatus, quum apud Bemenses per biennium circiter docuisset. Antea diximus de conuentu, qui mense Nouembri futurus erat Spiræ. Sed id mutatum fuit: & Cæsar vbi cognouit, datis ab Hispania literis ad ordines Imperii, Idibus Iulii, grauiter eos incusat ob factum decretum: quasi verò editum illud Wormaciense, quo Lutheri doctrina, vt hæretica & pestilens damnata est, non sit rectè nec ordine perscriptum. Amplius etiam eò se commoueri, quòd & concilium in Germania velint haberi. Nam si Germaniæ tanti interesse putabant cogi concilium, cur non ad se detulerint, quò videlicet à Pontifice hoc impetraret? Pareant igitur edicto Wormacienfi, nisi pœnam subire velint: & actionē omnem religionis differant, dum & summi Pôtificis, & suo etiam iussu cõcilium habeatur, qui sint ipsorum supremi Magistratus. Cæsar enim Gallico bello distentus, dabat operam, vt Pontificem sibi quacunque ratione demereretur.

*Caroli Eor  
bonii dese  
ctio.*

Per hanc ætatem Carolus Borboniæ dux, Connestablius Galliæ, qui anno superiori, partim sua sponte, partim à Cæsare sollicitatus defecerat, Malsiliam obsidet: sed frustra. Discedentē in Italiam, Rex magna celeritate cõsequitur, & per Insubriam plarisque locis occupatis, ipsa etiam vrbe Mediolano capta, sub hyemem obsidione cingit Papiã, ad Ticinum flumen, oppidum. Mense Nouembri cœperunt

*Rustici bel  
li initium.*



perunt à suo domino, comite Lupſio Sueuo diſſidere homines ruſticani, propter onera, quibus grauari ſe nimium querebantur. Idem alii deinde vicini faciebant, in ſuum quiſque Magiſtratum. Et hoc quidem fuit initium maximi periculoſiſſimique motus, qui magnam deinde Germaniæ partem peruaiſit.

Quum Lutheri doctrina paſſim propagaretur, Eccleſiaſtici magno conatu reſiſtebant, veriti ne de ſuis bonis atque fortunis omnibus periclitaretur. Et Argentinèſes quid è nonnulli grauiter ad Imperii præfectos querebantur, quòd ipſorum immunitates & priuilegia, ſenatus non vno modo violaret, quòd ſacerdotes maritos eccleſiis præficeret, quòd integrã perciperent Cœnã Domini, quòd ſtatuas è tēplis tumultuoſè eiicerent. Ex Heluetiis nonnulli, Schafuſiani cū primis & Baſilièſes, vbi tum Ioannes O Ecolãpadius docebat, ſenſim remittebant aliquid de offenſione. cæteri verò nulla ratione poterant placari. & quum Turegiæ præfectus, quã ad regionem Tigrurũ pertinet, ſacerdotem quendam de nocte cõprehenſum abduceret, ac ille fidè auxiliũmq; vicinorũ imploraret, natus eſt repentinus tumultus, & dato ſigno per agros, ad arma diſcurrunt omnes. Factũ hoc ad iniuriã ſuam pertinere Tigrurini dicebant, eò quòd in ipſorum ditione captus eſſet ille. Quũque multis alioqui afficerentur probris, quarta Ianuarii die, datis literis ad

M. D.  
XXV.

omnes confœderatos, demōstrant causas odii, quòd noluerint adscribi in fœdus regis Galliæ, & quòd onus grauissimum, à Pontifice & eius clientela impositum, excusserint, & errores manifestos antiquauerint.

*Franciscus  
rex Gallie  
capitur*

Ardebat tunc in Insubria bellum Cæsaris cum Galliæ rege Francisco. qui profectus eò, sicut antè dixi, quum per hyemem obsidisset Papiam, sub exitum Februarii commisso prælio captus fuit, & in Hispaniam ad Cæsarem abductus. Hoc in bello tandem Clemes pontifex occultè partium erat Gallicarum. sed commutata fortuna, Cæsarianis ducibus magnam pecuniæ vim in stipendia militum dependit. Papiam defendebat Antonius Læua, Germanorum ac Hispanorum præsidio. Rex ingentes habebat copias, ita quidem vt Cæsariani re propè desperata per Insubriam, de seruaanda Neapoli, & illuc traducendo cogitarēt exercitu. Sed Ferdinandi Dauali Piscarii oratione cōfirmati, prælio decernūt, & hoste conciso, potentissimòque Rege capto, gloriosam victoriam & opima spolia sunt cōsecuti. Summæ rerum præerat Carolus Lanoius Belga. Is quum initio præ se ferret, quasi Neapolim esset abducturus Regem, prouectus in altum, mutato cursu contendit in Hispanias, vt tãtò esset expeditior pacificandi ratio. Huius prælii dies incidit in natalem Cæsaris, vigesimum quartum Februarii diem.

Paulò



Paulò antè diximus de rusticorum seditione, quã Imperii senatus missis legatis utcunque sedauerat. Sed huius anni vere primo, per Sueuiam, atque vicinam Germaniã partem, quæ est ad Danubium, altera fuit exorta tempestas ordinis plebei, contra quosdam proceres ecclesiasticos. Iamque iureiurando ac fide data societatem coibant, obducta causa, quasi & Euangelii doctrinam tueri, & seruitutem ab se profligare vellent. Magistratus quidem cognoscere de querimoniis ipsorum, & quod iniquum esset, emendare se velle dicebat. Verùm illi perseverabant, & augetebant indies: neque tamen in acie prodibant, sed certis diebus per occasionem nuptiarum & id genus conuiuiorum, subinde conueniebant. Et hoc ipso tempore fuerunt euulgata quædam ipsorum postulata, numero ad duodecim, de quibus à Magistratu sibi fieri satis volebant, ut libro sequenti docerimus. Ea mox aliis comunicata, passim novos incendebant motus. Crescebat itaque rusticorum exercitus, & Sueui confœderati, repulso Vlricho principe, qui Heluetiorum ope indutum Wirtembergensem, vnde fuerat deturbatus, moliebatur reditum, receptisque oppidis, quæ ille ceperat, Vlmam cum copiis tédunt in illos. qui tunc primùm & ipsi prodeunt in aciem, tripartito exercitu. Vnum agmen confedit prope Beberacum, alterum in Algovia, tertium ad lacum Brigantinum, siue Còstantien-

*Bellum rusticorum.*

sem. Quum autem intercessione Rauesburgē  
 fium & Campodunensium, ex rusticanis non-  
 nulli duces Vlmam fide publica venissent, die-  
 rum aliquot pactæ fuerunt induciæ: verum nõ  
 seruata. Cuius quidem rei culpam vtrinque  
 alii in alios conferebant. Itaque cceptum est  
 hostiliter agi. Veruntamen interuentu Sueuiæ  
 ciuitatum aliquot, ex rusticanis primi duces  
 Aprilis die secunda, rursus Vlmam veniunt.  
 His legati senatus Imperii, Simon Pistorius &  
 Iacobus Sturmius, mandatum exhibent, vt ab  
 armis abstineretur, & pacis tractandæ causa se  
 venisse demonstrant. Illi quoniam de pace ni-  
 hil agi possit, nisi factis primùm induciis, ideo  
 se venisse dicunt, vt quæ sit aduersariæ partis  
 in eo mens atque voluntas, intelligant. Quum  
 autem impetrari non possent induciæ, & ad  
 vim omnia spectarent, illi postridie ad castra  
 reuertuntur, eodémque die cohortes aliquot  
 equitum & peditum Vlma profectæ, Elching-  
 gum, quod est infra Vlmam ad Danubium, ex  
 rusticanis quàm plurimos interficiunt, mul-  
 tos etiam in urbem captiuos abducunt. Deinde  
 Sueuici fœderis Imperator Georgius Truc-  
 cesius Walpurgus, cum suis copiis Lippenium  
 profectus, quod est duobus infra Vlmam mil-  
 liaribus oppidulum, proximè Danubium, vbi  
 illi confederant, non expectatis peditum tur-  
 mis neque tormentis, & equitum inuectus ca-  
 terua, magnam eorum partem concidit. Re-  
 liqui



liqui se in flumen præcipitauerunt, atque ibi oppressi, perierunt. Oppidum deditione captum diripitur, & ex hostibus multi capite plectuntur. De numero cæsurum in hoc bello, quod ætate vna fuit confectū, per Sueuiam & Fræconiam & vicinā Lotharingiam ab Antonio eius regionie principe, & Claudio Guisio eius fratre (nā incendiū hoc è Germania ed peruenerat) non idē omnes iudicāt. Qui minimum, ad quinquaginta millia passim occubuisse ferunt. Quibusdam tamen in locis, dexteritate Magistratus & intercessorum, placidè res composita fuit. Exortam quoque rebellionem in Sontgauiā, Ferdinandi regis & Austriacæ ditionis prouincia, vicini Heluetii magno studio sedabant, & quid vtrinque fieri æquum esset, tam à Magistratu quàm à plebe, demonstrabant. Omnium autem vbiuis eadem erant propemodum postulata. quæ quum à Sueuicis originem haberent, ad alios è vestigio dimanauerant. Hoc igitur incendium, inde à Turingia & Saxonix sinibus, ad alpes vsque penetrauit: per Salisburgensem etiam agrum excitata demum seditione. Sub Idus Aprilis Tiguri fuit in Heluetiis abrogata missa *Missæ Tiguri abrogata* mandatu senatus, tam in vrbe, quàm foris per ipsorum fines, in eiusque locum fuit instituta Cœna Domini. Ceremoniis etiam omnib<sup>9</sup> antiquatis, lectio Prophetarū & precatio atq; doctrina succedit, & promulgata lege, scortatio

prohibetur & adulterium, & iudices constituuntur, qui de causis matrimonii cognoscant.

### LIBER QVINTVS.

**H**ic tanto tamque formidabili bello, causam quoque dederunt importuni quidam concionatores. In quibus erat primi nominis Thomas Muncerus, qui tandem ommissa Evangelii prædicatione, nouum quoddam doctrinæ genus proposuit. Est oppidum Alstetum ad fines Turingiæ, ditionis Electoris Saxonie principis. Huc ibi commigrauit ille, cœpit docere primùm, non solum aduersus Pontificem Romanum, sed ipsum quoque Lutherum, vtriusque doctrinam esse impuram & vitiosam. Pontificem nimium duris legibus atque vinculis alligasse hominum mētes. Lutherum soluisse quidem ea vincula, sed in partem contrariam peccare, nimumque indulgere, nec ea tradere quæ sunt spiritus. Hoc etiam docebat, patrefacere Deum per somnia voluntatem suam, in iisque propositi sui fundamentum collocabat, & cuius fortè somnium explicari poterat, hunc magnis laudibus pro concione celebrabat. Nam ex reuelationibus Diuinis iudicandum esse dicebat ex Bibliis. Quum hac ratione multos sibi conciliaffet, paulatim ad illud, quod iam pridem conabatur, accessit, & in eo quod supra diximus oppido, cœpit eorum nomina conscribere, qui facta societate per iusiurandum

*Thomas  
Muncerus  
seditiones  
conciat*



randum promittebant auxilia, quò videlicet impiis interfectis noui substituerentur Principes ac Magistratus. Nam à Deo sibi mandatum esse profitebatur, vt sublatis illis constitueret nouos. Eiectus à Friderico Saxoniae principe, Noribergam venit, postquam aliquot menses delituerat. Illinc extrusus, Mulhufium se contulit, oppidum Turingiae, vbi docendi munus consecutus est. Et quia senatui minus erat acceptus, effecit tumultuante plebe, vt nouus ibi crearetur Magistratus. Bonorum quoque communionem humanitati communis consentaneam docebat, vt & dignitate sint omnes aequales, & conditione liberi, & promiscuè bonis omnibus vtantur. Quò factum est, vt vulgus ab operis atque labore desisteret, & qua quisque recareret, eam ab aliis, qui abundabant, etiam inuitis acciperet. Hæc ille per menses aliquot agitabat: & quum iam per Sueuiam atque Franconiam essent in armis homines plebei ac rusticani, ad quadraginta millia, & magnam nobilitatis partem profligassent, complures etiam arces atque castella diripuissent ac incendiissent, vt dictum est, cœpit & ipse manus admoliri, & conflatis in æde Franciscanorum machinis bellicis, maximam hominum multitudinem ex agris ad se perduxit, opinione prædæ ac melioris fortunæ. Et quò facilius rem conficeret, dimissis literis ad opifices, qui metalla per agrum

Friderici  
Saxonis  
mors

Mansfeldensem effodiunt, grauius eos monebat, vt in Principes nullo discrimine facerent impetum, fore enim, vt qui iam per Franciam essent expediti, propius ad Turiniam accederent. Ad hoc ipsum tempus mortem obiit Fridericus princeps, non relictis liberis. Nam in cœlibatu vixerat, & successorem habuit Ioannem fratrem germanum. Muncerus omnes vbique iam defecisse credens, Mulhusio profectus cum trecentis, coniungit se Fracusianis. Vicini Principes equitatum conscribunt ad mille quingentos, & peditatum non magnum. Hi erant Saxonie princeps Elector Ioannes, eiusque patruelis Georgius, Hesiæ Lantgrauus Philippus, & Brunsvici dux Henricus. Non longè à Fracusio confederant rusticani in monte, & contractis curribus, muniendi sui causa, difficulter poterant adiri. Sed neque tormentis nec armis erant idoneè instructi, & plerique omnes rei militaris imperiti. Quapropter etiam Principes miseratione quadam impulsis, missis internuntiis hortabatur, vt traditis modò seditionis auctoribus, ab armis discederent, & impunitate proposita, domum redirēt. Muncerus autè de suo periculo sollicitus, prodit in concionem, & ad magnam seueritatem vultu cõposito, Videtis, inquit, fratres & commilitones, tyrannos adedò animo deiectos, nihil vt aduersum

Munceri  
oratio im-  
piæ



vos audeant moliri. Conditiones autem deferunt ineptas & ridiculas, vt armis vos exuant. Iam verò constat vobis actionem hanc auspiciatum esse me, non mea quadam auctoritate, sed iussu Diuino. Quod quum ita sit, meum est officium & vestrum etiam, obtemperare, neque stationem hanc deferere, in qua Deus ipse nos collocauit. Non dubium est autem, quin ex animo cedant omnia. Videbitis ipsi manifestum auxilium Dei. Quicquid enim est hostium vbique, profligabimus. Nam ipsemet coram mihi promissit, ipsemet, inquam, qui fallere non potest aut mentiri, iussit vt ad hunc modum rem aggrediar, multato Magistratu. Nihil autem vos moueat rationis vestræ iudicium, nihil perturbet obiecta quædam periculi species & vmbra: sed fortiter in hostem impium & consceleratum inuadite. pilas enim omnes, quas illi tormentis eiicient, veste mea sum excepturus. Ecce videtisne quàm habemus propitium Deum? Tollite oculos, & arcum cælestem mihi cernite. Quum enim in vexillo nostro sit idem depictus arcus, clarè significat De<sup>9</sup> hoc simulachro, quod è sublimi nobis ostentat, ad futurum se nobis in prælio, tyrannis autem nostris interitum & excidium denuntiat. Fortes igitur estote, & Deo gratificaturi, turbam hanc omnem inutile contrucidatote. Facto dicendi sine, trepi

dabant nihilò secius plerique omnes, ob præsentis periculi magnitudinem : sed agebantur omnia tumultuosè, nullo certo vel imperio vel ordine. Deinde erant in ipsis nonnulli profligatæ homines audaciæ, & ad quoduis facinus parati. Hi quum sua sponte ad maleficiũ inclinarent, tum ea, quam diximus, concione magis accendebantur. Sed imprimis excitabat eos ille in cælo consistens arcus. Missus antea fuerat ad eos adolescens nobili genere natus. hunc Muncerus, contra militiæ morem, contraque ius gentium, interfecerat. Eo factò magis exacerbati Principes, committendi prælii dant signum. Ibi tum Hessorum princeps Philippus, licet inter eos ætate minimus, obequitans huc illuc, ad virtutem cohortabatur milites. Mox fit impetus in hostem, & tormentis res agitur. Ibi verò miseri homines, velut attoniti ac mente capti, neque se defendebant, neque fuga salutem petebant : & carmen illud popolare, quo sancti Spiritus petitur auxilium, cantabant. Plerique enim confisi pollicitationibus Munceri, cælestem opem expectabant. Emisissis tormentis, quum in munitiones fieret impetus, ibi demum in fugam coniecti, Francusium petunt. Ex octo millibus ad quinque circiter millia conciderunt. Mox à prælio fuit occupatum Francusium, in eoque trecenti capti, & capite multati. Profu-

gerat

Rusticorũ  
clades



gerat in oppidum Muncerus, inque domum  
 nō procul à porta sese abdiderat. Huc fortè no-  
 bilis quidam diuertit. Eius famulus, quum in  
 superiorem ædium partem adscendisset, spe-  
 ctandi causa domicilii, reperit quempiam de-  
 cumbentem in lecto. Rogat qui sit, an è tumul-  
 tu profugerit, an sit è seditionis vnus. Inficiatur  
 ille, seque iam pridem ait febricitare. Fortè  
 iacebat ad lectum crumena: corripit eam alter,  
 vt aliquid auferret prædæ. Postquam aperuit,  
 literas offendit, quibus Muncerum admonē-  
 bat Albertus Mansfeldius, vt ab incepto de-  
 sisteret, nec ad seditionem vulgus inflamma-  
 ret. His perlectis literis, rogat num ad ipsum  
 eæ sint datæ. Neganti vim intentat. Tum ille  
 deprecatur, seque Muncerum esse fatetur. Ca-  
 ptus igitur, & quæstioni subiectus, quum præ-  
 dolore exclamaret, Saxonix dux Georgius,  
 Tu quidem nunc cruciaris, inquit, Muncere:  
 sed inuicem cogita miserorum hominum cla-  
 dem, qui per te nefariè circumuenti, hodierno  
 die perierunt. Tum ille magno cum risu, Hoc  
 vulerunt, ait. Postea deductus Helderūgum,  
 Mansfeldicæ ditionis oppidum, graui de ipso  
 quæstione habita, quid sui fuisset propositi, &  
 quos habuisset socios coniurationis, fateba-  
 tur. Paulò post adducitur in castra: & tum in  
 iis angustiis admodum fuit animo perturba-  
 to atque deiecto, neque suæ fidei rationem  
 explicare poterat, vt in eo temporis articulo

*Muncerus  
 capitur.*

feri solet. Et ipsius confirmandi causa, Brunsvici dux Henricus voce illi præibat. Moriturus autem agnoscebat delictum & errorem, id que palàm profitebatur: & militum septus corona, Principes hortabatur ad maiore clementiam erga miseris homines: ita fore, vt nullum eiusmodi posthac sit ipsis extimescendum periculum. Simul monebat vt sacræ Scripturæ libros, qui sunt scripti de Regibus, diligenter euoluerent. Eo confecto sermone gladio percutitur, & exēpli causa caput eius adfixum hastæ, mediis in campis collocatur. Gliscente per Germaniam dissidio, quum ad turbam atque motum res inclinare viderentur, nondum tamen arma sumpsissent plebei, Lutherus edito scripto monebat omnes, vt à seditione sibi temperarent. Etenim licet terrificus aliquis tumultus & præsens periculum imminere videatur Ecclesiasticis, arbitrari tamē se vel nullum, vel non eiusmodi futurum, qui ditionem ipsorum omnem peruadat, aut potentiam euertat. Nam longè aliam ipsis impēdēre calamitatē, & fore quod post Danielem Paulus etiam prænuntiauit, vt ipsorum tyrannis nulla vi humana, sed aduētū Christi seruatoris, & spiritu Dei corruat. Quare non hoc suum esse consilium, vt armis oppugnentur Pontificii: verū vt Magistratus ad officium illos astringat, in cōque suam ditionem atque ius exerceat, ne sua vel lenitudine vel dissi-

Lutherus  
seclare mo-  
tus nititur

mu-



mulatione, illorum audaciam & improbitatem confirmet. Ad vulgus autem & imperitam multitudinem quantum pertinet, grauius esse monendos, ne se commoueant, nisi de voluntate Magistratus. Nihil est enim rationis in seditione, & ferè fit, vt innocentes præcæteris luant. Nemo etiam qui turbas moueat excusari potest, quantumuis iustam causam habeat. Vbi autem semel popularis seditio oborta est, boni & honesti homines, vnà cum nocentibus & improbis necessariò pereunt.

Quum eiectus è Saxonix finibus Muncerus, vt antea dixi, oberraret, ac rumor increbuisse eum cogitare Mulhusium: Lutherus ea re cognita, datis ad senatum literis grauius monebat, eum ne reciperent. Esse nanque hominem seditiosum, qui præter vim & latrocinia nihil cogitet. Rectè facturū senatū, si roget ex illo, quis docèdi munus ipsi cõmiserit. Si Deū nominet auctorè, tū iubeāt illū suam vocationē euidēti signo cõprobare. Diximus de plebeis, qui per Sueuiam erant in armis, antequàm Muncerus prodiret in aciem. Hi paulò moderatius rem gerebant initio, & quid à Principibus atque Magistratu fieri vellent, demonstrabant, sedque edito scripto, & si qua in re fallerentur ac errarent, non se fore pertinaces profitebãtur.

Ex his postulatis primum erat, vt ipsis liceret Ecclesiæ ministros eligere, qui

verbum Dei purè doceant, nullis admixtis hominum decretis. Alterum, nolle se posthac vllas dare decimas, præterquàm frumenti. Item, nolle se posthac haberi pro seruis. Non se recufare Magistratum, & agnoscere constitutū esse à Deo, velle etiam in rebus omnibus honestis parere: sed seruitutem illā deinceps nolle ferre, nisi Scripturæ sacræ testimonio demonstretur æquum esse vt ferant. Deinde quòd ipsis interdictū sit capere feras, aues, pisces, nullam habere æquitatem: multò minus quòd plebisque in locis nõ ausingat arcere feras depascentes agros atque segetes. Præterea suam esse voluntatem, vt eæ syluæ, quæ non sunt priuatim emptæ ab aliquo, fiant multitudinis, vt ex iis & ad quotidianum vsũ, & ad ædificationes etiam, quũ op<sup>o</sup> fuerit, quilibet sibi sumat absque pretio: sicut tamen, vt eorum qui deligentur ad eam rem procurandam, auctoritas interueniat. Ad hæc nolunt grauari incommodis, & insuetis oneribus, nec pendere annum tributum, maius quàm pro modo facultatum. Volunt etiam sibi vendicare fundos atque prata, quæ priuatim quidam vsurpant, quum sint multitudinis. In multis præterea ærariis requirunt maiorem æquitatem. Postremò quòd mortuo patrefamilias vsitatum sit vt vxor atque liberi de suis aliquid bonis depèdant, id supramodum iniquum censent: & hoc totum à Magistratu aboleri volunt. Huic illorũ scripto promul-

*Lutherus  
plebeorum  
postulata  
redarguit*



promulgato, Lutherus, ad quem prouocauerant, respondet, & ad illos oratione conuersa hypocrisim & temeritatem illorum acriter obiurgat. Causa cur hypocrisim & falsum Euangelii titulum, quo se venditabant tantoperè illis obiicit, hæc erat, quòd in suis illis literis omnibus, quum ad societatem alios inuitarent atque cogèrent, ad arma se venisse dicebant præcepto Diuino, & reipublicæ charitate quadã, vt Euangelii doctrina celebretur & augetur & retineatur: vt veritas & iustitia & vitæ honestas propagetur, & vt sibi suisque consulât, ne qua vi deinceps opprimantur. Quumque ad hunc modum sui facti rationem explicassent, paucis verbis mandabant vicinis, vt statim & è vestigio sumptis armis accurrerent, opemque ferrent: sin minus, tum se quamprimum ad ipsos cum copiis omnibus esse venturos minabatur. Quum ad hunc modum iis respondisset Lutherus, Principes etiam & nobilitatem sui commonefacit officii, vtque furori cedant, & imminentem procellam sapienter depellant, consulit. Sic vtrisque sigillatim commonefactis, communem illis epistolam scribit, & quòd malam vtrique causam tueantur ostendit. Monet vt ab armis discedant, & disceptatione litem finiant. Magistratui quidem demonstrat, quàm tetri semper fuerint atque funesti tyrannorum, plebi verò quàm infelices & calamitosi seditiosorum exitus, qui sum

pris armis, in Magistratum proterui fuerunt. Vnum imprimis deplorat, quòd quum vtrinq̃ue mala conscientia belligerentur: Principes quidem vt suam tyrannidem confirmet, alii autem vt quod cupiunt, seditiosè perficiant: animæ iacturam faciant omnes, quicumque hoc in bello cadunt. Deinde Germaniæ vicem deplorat, quæ ciuili hoc bello sit interitura profus. Facile quidem arma sumi, verùm non ita facile quum volumus deponi. Hortatur vt per bonos viros vtrinque delectos causa disceptetur. Magistratus de summo iure aliquid remittat: plebei vicissim acquiescant recta momentibus, & à postulatis nonnullis etiam discedant. Dum hac ratione tumultum sedare studet, illi per Franconiam, alissque in locis subitò progressi, non Pontificiis modò, sed nobilitati quoque bellum faciunt, & longè latèque grassantur, sicut diximus. Ibi tum Lutherus alio euulgato scripto, hortatur & instigat omnes, vt velut ad commune restinguendum incendium, sic ad istos consceleratos & nefarios latrones ac parricidas trucidandos accurrant, qui & fidem Magistratui datam turpissimè violarint, & alienas possessiones per vim occupent, & hanc tam horrèdam impietatem atque nequitiam, Christiani nominis tegumento circumuestiant. quo quidem nihil indignius, nihil turpi⁹ excogitari possit. Illa etiã quibus vtuntur argumèta paucis refel  
lit



lit. Hunc Lutheri libellum, vt nimis acrem & cruentum, multi passim vituperabāt : ipse verò prolixè respódet, & sententiã suam tuetur.

Quum turbulentus admodum esset Germaniæ status, & à Turca etiã graue periculum impenderet, Cæsar datis Toletio literis ad vicissimum quartum diem Maii, conuentum indicit Imperii, vt ad Calendas Octobres Augustę sint omnes, deq; republica tractët. Quòd si non possit coràm ipse interesse, daturum se dicit aliis negotiũ, qui suũ locum expleant. Hæ literæ ferius redditæ fuerunt in Germania, nēpe ad decimum tertium Augusti diem. Quapropter de Ferdinandi Regis, quem Cæsar sibi legauerat, & aliorum voluntate, product<sup>9</sup> fuit hic dies ad Martiniana seu Nouembris diem vndecimum, vt lóginquiores etiam ad iter sese comparare possent. Is de quo suprà dictum est Carolo stadium à Luthero dissentiens, Wittembergæ relicta, clandestinis illis doctoribus, qui visiones & colloquia cum Deo simulabant, vt antè diximus, multum erat familiaris. Hæc potissimũ de causa Saxonie princeps finibus illi suis interdixerat. Ipse verò libellis editis Lutherum & collegas insectabatur, vt novos Romani Pontificis adulatōres, quasi de missa, de delictorum confessiōe, de statuis, & id genus aliis malè docerent. Illa etiam Christi verba, Hoc est corp<sup>9</sup> meum, sic interpretabatur, Hic sedet corpus meum.

Conuentus  
AUGUSTI.

*Carolofta-  
dus Vvit-  
temberga  
pulfus.*

Deinde nec à Principe quidem abftinens, fortunam & exilium fuum odiofius exagitabat, eiusque rei culpam in Lutherum conferebat. Pofttea verò quàm illa feditio popularis oppreffa fuit, & profligati rufticanorum exercitus, quum paflim ad fupplicia multi raperentur, Caroloftadius in magnis pofitus anguftiis libellum efficit, quo fe diligenter & folicitè purgat, & fcriptis literis valde orat Lutherum, vt & hunc libellum edat, & fuam innocentiam tueatur, ne indicta caufa vitæ & bonorum difcrimen fit adeundum immerenti. Lutherus edita epiftola, tametsi grauitè à fe diffentiat ille, tamen quòd in iis difficultatib⁹ ad fe cõfugiatur ille potius quàm ad alios, qui ipfum in fe concitarint, nolle fe fpem illius atque fiduciam fallere dicit. Per hos ferè dies Lutherus quandam è facris (vt aiunt) virginibus, in matrimonium ducit. Qua quidem re magis in fe concitauit aduerfariorū criminationes. Tunc enim planè ipfum furere, & fatanæ factum effe mancipium clamabant. In hoc ipfo tempore Vlrichus Zuinglius, ecclefie Tigurinae minifter, in rebus omnibus propè cū Luthero confentiens, de Cœna Domini diuerfum ab eo docebat. Nam illa Chrifti verba, Hoc eft corpus meum, Lutherus intelligit fimpliciter & nudè, nec aliam admittit interpretationem, & corpus atque fanguinem Chrifti verè effe in pane ac vino, & fic etiam ore percipi dicit.

Zuin-

*Lutherus  
uxorem  
ducit*



Zuinglius autem contendit esse tropum, & id genus alios complures ait in Bibliis reperiri, & ea que diximus verba sic exponit, Hoc significat corpus meum. Ei subscripsit Ioannes Oecolampadius, ecclesiæ Basiliensis minister, & sic interpretatur, Hoc est corporis mei signum. Nec valde dissentiebat ab illis Carolostadius, qui exponebat, Hic sedet corpus meum. Vtrinque res magna contentione fuit multisque scriptis agitata. Lutheri sententiam probarunt Saxones, Heluetii verò, Zuinglii, Secuti sunt alii qui secus explicarunt: sed vna est horum omnium opinio, corpus & sanguinem Christi spiritualiter non corporaliter, nec ore sed corde sumi. Per triennium & eò amplius duravit hoc dissidium, studiis hominum huc illuc inclinãtibus. Marpurgi demum in colloctionem ventum est, auctore potissimum Lantgrauiò. Erat per id tempus Augustæ Vindelicorum indictus à Ferdinando rege conuentus. Quia verò perpauca eò venient ob eam, de qua dictum est, seditionem popularem, dilata res fuit in annum sequentem, ad Calendas vsque Maii, quod ad tẽpus, ipsum quoque Cæsarem ex Hispaniis ad futurum, spem faciebat Ferdinandus. Ei conuentui designatur Spira. Dum Galliæ rex Franciscus in Hispania captiuus detinetur, eius mater Loisia summam rerum administrabat, & retinendi Pontificis causa, tum aliis de rebus,

*Clemens  
ad sena-  
tum Pari-  
sien.*

tum quo esset erga Romanam ecclesiam animo quaque obseruantia, literis & internuntiis illi significabat. Clemens ergo septimus datis literis ad senatum Parisiensem, vulgò parlamentum vocant, ex illa se cognouisse dicit, quemadmodum & per Galliam serpere iam incipiant impiarum hæresum mala: & ipsi prouidenter atque prouidè quosdam delegerint, qui dent operam, vt in eos qui fidem ac veterem religionem oppugnare conantur, animaduersio fiat. Hos ipsos ad eam rem delectos, auctoritate sua comprobat. In hoc nimirum tanto tamque graui tumultu, quem satanæ malitia, & satellitum illius furor ac impietas excitabit, dicit omnibus elaborandum esse, vt salus omnium communis conseruetur. Quandoquidem hæc rabies non religionem modò, sed omnem principatum, nobilitatem, leges, ordinésque confundere ac permiscere cogitet. Se quidem nulli parcere neque labori neque curæ, vt medicinam huic malo faciat.

*Iacobus  
Faber*

Per absentiam quoque Regis captiui, Parisienses theologi Iacobum Fabrum Stapulensem, cuius & de philosophia multi extant libri, & de sacris etiam rebus, exagitabant: ita quidem vt ille deserta Gallia migraret aliò. Certior autem de eo Rex factus, commendatione potissimum suæ sororis Marguaritæ, quæ Fabrum propter virtutem amabat, dat literas ad senatum Parisiensem, audire se litem esse motam apud



apud ipsos Iacobo Fabro & quibusdam aliis præstantibus viris, theologorum impulsu, qui Fabrum imprimis valde oderunt. Et quia tam apud Hispanos, quã apud Italos, magna sit virtus & doctrinæ eius opinio: idcirco graue sibi futurũ, si qua creetur ei molestia vel periculum innocenti. Quũque viris doctis omnem deinceps benevolentiam præstare cogitet, ideo mandare, si quæ sit post abitionem suam instituta lis in illos & actio, ne longius progrediantur, sed omnino superfedeant, donec vel ipse reuerterit, vel aliud decretũ fecerit. Hæ literę datæ Madrici, oppido Hispaniæ ad duodecimũ Nouẽbris diẽ, tenatui Lutetiæ redditæ sunt eiusdem mensis die vigesima octaua. Est hoc omnino velut insitum superioris ætatis theologis, vt viros doctos exagitent. Huius autem rei causa est, quòd inscitiam suam vident esse despectam. Hoc anno mutatus fuit reipublicæ status per Prussia, quæ est extrema Germaniæ prouincia, versus mare Balticum. Repetemus autem rem paulò altius. Hérico sexto Friderici Barbarossæ filio, Cæsare, quum pro recuperanda Hierosolyma Christiani bellum gererent, institutus est ordo militum, vt vocant, Marianorum Teutonicorum. Qui quoniam pro religione pugnant, crucem albam in vestibus ferebant, velut insigne quoddam ac notam suæ professionis. Fuit hoc ad annũ salutis m. c. nonagesimum.

*Prussia liti-  
storia*

Eius ordinis primus Magister fuit electus, vt memorix proditum est, in castris ad urbem Ptolemaida. Prussiam deinde subegerunt illi, Friderico secundo Cæsare. Et quum auctis viribus bella gessissent aliquandiu cum Polonia regibus, prælio victi, fidem per iusiurandum dederunt Casimiro Poloniae regi, patri Sigismundi. A primo Magistro vsque ad Albertum Marchionem Brãdeburgicum, intercesserunt triginta tres. Electus fuit anno salutis M. D. XI. Per biennium graue bellum gessit cum Poloniae Rege Sigismundo. cum quo tandem pacem facit, ei que fidem dat, vt præcipuo suo Magistratui, & Euangelii doctrinam suscipit, & mutato ordine Prussiam sibi vendicat, & qui fuit antè Magister, iam de voluntate regis Dux Prussiae salutatur: & aliquantò post in matrimonium ducit Friderici Daniae regis filiam Dorotheam, & academiam Conigspergi (Montem regium vocant) instituit. Eo facto vniuersum ordinem in se concitauit. Nam etsi Prussiam tenebat, ac Poloniae Regis præsidio nitebatur: tamen de communi consensu Waltherus Cronbergus ei successus est, qui priscum nomen atque statum repræsenteret.

## LIBER SEXTVS.

Lutherus  
ad regem  
Angliae

DE scriptis aduersariis Angliae Regis & Lutheri supra diximus. Quum autem in terea quædam audisset Lutherus, quæ ad Re-

gis



gis laudem atque commendationem pertine-  
rent, exhilaratus ea fama, demissè admodum  
illi scribit, Non se dubitare, quin grauius ip-  
sum offenderit edito libello: sed id factum es-  
se, non tam sua sponte, quàm aliorum impul-  
su. Quapropter orat, vt sibi factum illud con-  
donet, vtque meminisse velit, quum sit mor-  
talis, non oportere inimicitias esse immorta-  
les. Monet, vt aures occludat calumniatori-  
bus, & ad veri cognitionem animum adiiciat.  
Non multò post, in eandem poenè senten-  
tiam ad Georgium Saxoniae ducem scribit.

Angliae Rex accepta Lutheri epistola, acer-  
bè respondet, inconstantiam & leuitatè illi  
obiiciens. Georgius quoque princeps Luthero  
sic respondet, vt quanto ipsius flagraret odio,  
facilè posset animaduerti. Lutherus vbi Regis  
Angliae responsum typis euulgatum legit, &  
inconstantiam sibi vidit obiici, quasi de doctri-  
na sententiam mutasset: quia non ad suam pri-  
uatam, sed ad Euangelii professionis iniuriam  
hoc pertinere iudicabat, plurimùm sibi dolo-  
re ait, quòd amicis gratificatus, ad eò scripserit  
ad eum demissè. Christiannum Daniae Regem  
& coràm & per literas non desuisse rogare &  
admonere, vt amanter scriberet, & illius præ-  
dicata humanitate, spem fecisse, fore vt leniter  
tractatus, puram doctrinam reciperet. Nunc  
autem intelligere se quantum errauerit. I-  
dem sibi accidisse in Cardinali Caietano, in

*Christian-  
nus rex  
Daniae.*

Georgio Saxoniae duce, in Erasmo Roterodamo: quibus omnibus amanter aliorum hortatu scripserit, nec aliud sit consecutus tamen, quam quoddam ferociosiores ipsos effecerit. Stultè factum ab se, qui pietatem in aulis Principum inuenire se putet, qui Christum quærat, ubi principatum satanas obtinet, qui Ioannem Baptistam inter purpuratos inuestiget. Quum in Hispaniam missi de pace legati, in quibus etiam erat Regis captiui germana soror Marguarita vidua, nihil efficeret, Loisia mater, quæ rei summam obtinebat, muniendi sui causa, Britanniae Regem Henricum in suum fœdus & amicitiam adduxit. Fuit hoc sub Augusti mensis exitum. Fœderis hoc primum caput est, ut & Turcarum impetus, & pestifera secta Lutherana profligetur, à qua non minus periculi sit quam à Turcis. Galliae Rex quoddam pacis tractatio non successerat, acriori cogitatione ac sollicitudine perturbatus, in aduersam incidit valetudinem. Sed recreatus colloquio Caesaris, qui bene ipsum sperare iuberet, melius tandem coepit habere. Caesar etiam apud se reputans, quam esset amissurus magnam prædam, si quid illi contigisset humani, ad pacem indies magis atque magis animum adiecit. Itaque decimo quarto demum Ianuarii die, de rebus omnibus Madrici transactum fuit: in eoque scripto, quod pacificationis formulam continet, hoc inter alia commemoratur, Caesarem atque Regem eò potissimum spectare, ut & Christianæ

16  
Fœdus Gal  
lorum cum  
Anglo.

M. D.

XXVI.  
Fœdus in-  
ter Caesarem  
& Gallum.



religionis hostes, & sectæ Lutheranæ extirpē-  
tur hæreses. Hac in pacificatione soror germa-  
na Cæsaris Eleonora, quæ Lusitaniæ Regi E-  
manueli nupta fuerat antea, despondetur Gal-  
liæ Regi. Cæsar ei in dotem promittit aureo-  
rum millia ducēta, & quædam in Heduis loca,  
de quibus inter ipsum atq; Regem erat contro-  
uersia. Rex Hispaniæ finibus egrediens, filios  
duos, Frācisçū & Henricū, valde paruulos, obfi-  
des ibi relinquit, vti cōuenerat, & nisi pacta ser-  
uet, captiuum sese denuò sistere pollicetur.

Post hæc Germaniæ Principes, admodum  
frequentes, cōueniunt Spiræ, vt cōstitutum e-  
rat. In his etiã fuit Elector Saxonix Ioannes,  
& Lantgravius Hesiæ Philipp<sup>9</sup>. Cæsaris erant  
legati, Ferdinandus frater, episcopus Triden-  
tinus Bernardus, Casimirus Brandeburgicus,  
Philippus Badensis, Gulielmus Bauarus, Eri-  
cus Brunsvicēsis. Hi vicesimaquinta Iunii die  
facto initio, quum indicti conuentus à Cæsare  
causam exposuissent, hoc etiam addebant, Cæ-  
sarem imprimis velle atque mandare, vt ordi-  
nes communi consilio decernant, quomodo  
religio Christiana, & ecclesiæ vet<sup>9</sup> atq; per ma-  
nus deducta cōsuetudo, valeat apud omnes &  
integra permaneat. Quum iam ex omni Prin-  
cipū & ordinū numero, certi quidā essent de-  
lecti, qui de his rebus agerēt, & in iis etiã Lāt-  
gravi<sup>9</sup>, Jacob<sup>9</sup> Sturm<sup>9</sup> Argentinēsis, & Cres<sup>9</sup>  
Noribergicus, legati Cæsaris, ipsius literas da-

*Spirensis  
conuentus.*

tas Hispali recitāt. Earum erat summa, ne quid ordines in hoc conuentu statuant, quod vllō modo sit contra veterem ecclesiæ morem, leges atque ceremonias, vtque suis in ditionibus omnia constituent secundum edicti Wormaciensis formulam. Nam illis priuatis actionibus nihil profici, sed errores atque licentiam vulgi confirmari. Iis literis recitatis, plæræque ciuitates, præsertim superioris Germaniæ, quid ipsorum esset cōsiliū scripto explicabant. rogādum Cæsarem vt quando generale concilium coire non possit, permittat prouincia Germaniæ concilium cogi. Quōd si non probet, orādum vt edicti Wormaciensis executionem ad concilium vsque differat. Præter hoc scriptum Principibus exhibitum, aliud etiam obtulerunt. Eo queruntur homines egenos passim in ciuitatibus nimium grauari monachis: nec esse eorum vt onerum ac rerum omnium immunitatem habeant Ecclesiastici. Ferias etiam nimium esse frequentes. legem quoque de ciborum delectu sibi videri antiquandam, & ceremonias cuique suas ad concilium vsque liberè relinquendas, & doctrinæ Evangelii cursum nullo modo coercendum. Per hoc tempus Turcarum Cæsar Belgrado profectus, quum Danubium atq; Sauum trāsisset, Hungariam rectā petit. Itaque Ludouicus rex missa rursus legatione Spiram, auxilia postulat. Ex Italia quoque certus tunc afferebatur

*Ciuitatum  
Euang. po-  
sulata*

*Turca in  
Hungariā*

nun-



nuntius, Clementem Pontificem ac Venetos, inito fœdere cum Rege Galliar, qui nuper ex Hispaniis domum reuerterat, oppugnare Cæsarem. Post illud Cæsaris pronuntiatum scriptum, Episcopi nolebant in actione religionis progredi, & in hoc Cæsaris atque Pontificis tam graui dissidio, differendum sibi putabant. Quùmque super eo grauis admodum esset inter delectos, qui religionis erant diuersæ, nata similtas, Saxo & Lârgravius domû cogitant, & suis vt ad iter sese comparent, mandant. Eo cognito Ferdinandus & alii, quòd viderent magni rem esse periculi, si tẽpore tam exulcerato, & plarisque omnibus in huius conuentus expectationem erectis, non solùm nullo facto decreto, sed etiã magna cum animorum offensione discederetur, rationem ineunt vulnus hoc sanandi, & demulsis quorundam animis, ita demum fuit decretum, ad constituendam religionis formam & retinendã tranquillitatem opus esse legitimo, vel Germaniæ, vel publico totius orbis concilio, cuius intra annum fiat initium. Hungariæ quoque Regi decreta fuerunt auxilia. sed quo tempore dimissus est conuētus, quod erat sub exitum Augusti mensis, iam in Hungariam progressus Turcarum Cæsar, Ludouicum regem prælio superauerat, qui & in fuga periit.

Hæc ætate Cæsar in matrimonium ducit Ilabellam Lusitaniæ regis Emanuelis fi-

Pontificorum  
offi-  
tia

liam, sororem Ioannis, qui patri successerat.

Quo tempore conuentus erat ordinū Spiræ, duodecim Heluetiorū pagi disputationē instituerant Badenæ. Venerunt eò primi nominis theologi pontificii, Faber, Eccius, Murnerus. Legatos verò mittebant Constantiensis, Basiliësis, Curienfis, Lausanus episcopi, quorum illi sunt in ditione ecclesiastica. Promulgata ibi fuerūt themata, quæ cōfidenter admodū defendebat Eccius. O Ecolampadius & alii quidam hæc impugnabant. Zuinglius aberat, & cur eò non veniret, datis ad Heluetios literis explicabat, & Eccii dogmata scripto confutabat. Actionis hic erat exitus, vt in ea, quam huc usq; seruassent religione, permaneant omnes, neque nouum vllum dogma suos intra fines admittat. Fuit hoc sub finem Iulii. Constantiësis episcopus iam antea sacerdotē quendā, Ioannē Hugliū, Merspurgi iusserat cremari, quòd pontificiū dogma non per omnia probaret. Ludouico Pannoniæ rege miserabiliter extincto, Ferdinādus regnum sibi deberi pacto concedebat. Sed aduersarium habuit Ioannem Sepusium, Vayuodam, Transsylvanū. Quo quidē ex dissidio, quū nobilitas omnis & ordines diuiderētur, bellum fuit exortū, Germanis ac finitimis populis funestum ac exitiale. Nā Turcarum Imperator, suam in fidē atque tutelam postea recepit Vayuodā, & tradita Buda, Regem constituit, beneficiarum atque clientem.

Gallia

Vayuoda  
Hūgarus



Gallię rex ex Hispania domũ reuersus, quas pactus erat pacis conditiones iniquas esse dicebat, nec illis voluit teneri. Missis itaq; legatis Põtifex & Veneti fœdus cũ eo faciũt. Quoniã occupata Buda cũ bona Hungarię parte, & miserabiliter afflictis ibi populis, maximũ à Turca periculũ imminebat, delecti Principes aliquot Essingę, vbi tũ erat Imperii senatus, conueniũt. Re deliberata placuit omiſsa deliberatione Spirę decreta, per literas orandum esse Cæsarem, vt propter periculi magnitudinem atq; præsentiam, reditum suum in Germaniam acceleret. His rebus ita constitutis, comitium indicũt Ratisbonę, ad sequentis anni Calendas Apriles, belli Turcici causa. Mese Februario Electoris Saxonię filius, Ioannes Fridericus, in matrimonium ducit Ioannis ducis Cliuensis filiam, Sybillam. Desponsa ei fuerat soror Cæsaris Catharina, natu minima, confectis atque signatis ea de re literis. Quum autẽ religionis hæc incidisset in Saxonia mutatio, discessum fuit à pactis: & Cæsaris legatus Haunartus, qui tunc per Germaniam erat, apertẽ dicebat non esse fidem seruãdam hæreticis, Constantiësis, opinor, concilii vestigia secutus, vt quidem in scripto quodam Saxo commemorat. Erat inter Cæsaris præfectos ac belli duces, Borboniorum princeps Carolus, qui superioribus annis à Gallię rege defecerat. Is cum aliquot copiis Neapolim profectus, vrbẽ Romã exiit

M. D.

XXVII.

Io. Fridericus  
SaxoBorbonius  
Roman ex  
pugnab

nere, poſtridie quàm eò veniſſet, oppugnatione capit ac diripit, Maii die ſexto. Clemens Põtifex & Cardinales ac reliqui proceres, quũ in Adriani molem vix ægrè profugiſſent, obſidionem aliquandiu tolerabant, vndique circunvallati foſſis. Poſt ſeptimum deinde menſem, mandatu Cæſaris liberati fuerunt. *Quanta fuerit militum Hiſpanorum ac Germanorum atrocitas & inſolentia Romæ, verbis explicari vix poteſt. Nã præter horrendas lanienas, direptiones, libidines, deuaſtationes: cõtumeliæ ac ludibrii genus nullum in Pontificem, Cardinales reliquàmque turbam prætermiſſum fuit. Cæſar factum hoc diligenter excuſans, nullo ſuo mandato accidiffe dicebat. Quum in Hiſpaniam eſſet allatus eius rei nũtius, ilicò Cæſar iuſſerat ceſſare ludos atq; ſpectacula, quæ propter recens natum ei filiũ Philippum edebantur. Ad Ratiſbonæ comitium nulli venerunt Principes, & legatis tantũ eò miſſis, nihil actum fuit. In hoc tempore vigeſebat nouum doctrinæ genus eorum, qui dicuntur Anabaptiſtæ. Paruulorum hi damnant Baptiſmum, & rebaptizãtur ipſi, & bonorum docent cõmunione. In hos ſcripſit Lutherus & Zuinglius, & alii complures, & paſſim animaduertit Magiſtratus. Iactant enim viſiones & ſomnia. Et Sangalli quidem oppido Heluetiorum, quidam eius generis, fraſtri ſuo germano ceruices atque caput abſcidit præſen*

*Romæ di-  
reptio*

*Anabapti-  
ſtarũ ſecta*



presente patre atque matre, quibus persuaserat à Deo sibi esse iniunctum, vt id faceret. Verum à Magistratu comprehensus, eandem & ipse poenã luit. Quomodo deinde creuerint, & quantum excitarint in Germania motum, in frã docebimus. Hoc anno senatus Argentinensis decreuit, ne qui deinceps in vrbe sepeliantur, & aliquot extra urbem loca, mortuorũ sepulturæ constituit. Gallia rex vbi de capta Roma cognouit, inito foedere cum Angliæ rege, validũ mittit in Italiam exercitum, Lautrecho Aquitano duce, vt Pontificem liberaret. Iulii die vigesimo septimo, Borbonia dux Carolus, in oppugnatione Romæ nuper mortuus, Lutetiæ damnatur à Senatu læsæ maiestatis, deuouetur eius nomẽ atque memoria, reuelluntur insignia, publicantur bona.

Lautre-  
chus Aquã  
tarius

Erat in Bauaria tũ Leonardus cognomen to Cæsar, Euangelii professor. Is Pallauiensis episcopi mãdatu captus, ac damnatus pro hæretico, mēsis Augusti die decimosexto crematus est, iubente Bauaro principe Guiljelmo, cuius iurisdictioni traditus fuit à condemnatione. Nam Episcopus, ne sacra scilicet pollueret, vel profanus, & vt aiũt, irregularis fieret, de vita illius atque sanguine non pronũciabat.

Leonardus  
exustus

Suprà dictũ est de disputatione Badesi. Bernates autem, quorum est in Heluetiis præcipuum nomen atque potentia, quum & disputationis illius acta non essent eis communicata,

Disputatio  
Bernensis

licet flagitassent, & dissidia religionis au-  
 scerent, disputationem aliam sua in vrbe de-  
 cernunt, edito scripto Decembris die deci-  
 maleptima, ad eamque finitimos conuocant  
 Episcopos, Constantiensem, Basiliensem,  
 Sedunum, Lausanum, & vt ipsi veniant, suos-  
 que adducant theologos, monent. Alioqui  
 multam denuntiāt earum possessionum, quas  
 in suis finibus haberent. Deinde suæ diti-  
 onis homines ecclesiasticos conscribunt, &  
 vt in actione tota, veteris ac noui Testamen-  
 ti scriptura sola pondus & auctoritatem ha-  
 beat, edicunt, & omnibus vndecunque ven-  
 turis eō, fide publica cauent. Hanc quoque lé-  
 gem statuunt, vt modestè, sine conuitiis &  
 iniuriis omnia fiant, & liberè suam quique  
 sententiam dicant, & ita pronuntient, vt à  
 scribis excipi possint cuiusque dicta. Quic-  
 quid ibi decretum fuerit, ratum atque fir-  
 mum esse per suam ditionem omnem iu-  
 bent. Et vt quibus de rebus agendum esset  
 constaret, eoque venirent omnes paratio-  
 res, themata promulgant numero decem,  
 quæ ipsorum ecclesiæ ministri, Franciscus  
 Colbus, Bertoldus Hallerus profitebantur,  
 & sacris literis confirmare se velle dicebant.  
 Quum his de rebus Bernates ad omnes Hel-  
 uetios literas dedissent, hortati vt & suos ip-  
 si mitterent, Lucernates, Vrani, Suicii, Vn-  
 terualdii, Tugiani, Glareani, Friburgen-  
 ses



ses, Soloturnii, prolixo scripto grauissimisque verbis hortantur, vt ab incœpto desistant. Nihil commoti Bernates, pergunt, & ad diem præscriptum, qui septimus erat M.D. Ianuarii dies, actionem inchoant. Episcoporum, quos antè diximus, nemo venit. Thematata doctorum Bernæ ciuitatis defendebant Zuinglius, O Ecolampadius, Bucerus, Capito, Blaurerus, & alii complures: oppugnabat autem inter alios primi nominis Conradus Tregerus, Augustinianus, qui tandem, quum aliunde quàm è sacris Bibliis adiumenta sibi quæreret, neque præfecti disputationis permitterent, eò quòd lege vetitum erat, loco decessit. Exitus fuit disputationis ad vigesimum sextum Ianuarii diem, & ea quæ diximus themata, communi plurimorum assensu fuerunt approbata: & deinde non Bernè tantum, sed in aliquot finitimis etiam locis à Magistratu sancita, missis, aris atque statutis vbique sublati.

Constantienses iam antè quædã mutauerant: & quum scortationem, adulterium, & suspecta vel parũ honesta cõtubernia lege vetuissent, irati discesserant ab eis hi qui dicuntur Canonici. Docebat ibi Ambrosius Blaurerus, honesta familia natus, qui monasticæ professionis antè fuerat Alperspaci. sed quum ingenio valeret, lectis Lutheri libris, alium animum induit. Mutata religione Bernates

Constantienses

Galliæ regi fœdus renuntiant, & mercennariam illam prohibent militiam, ea contenti pecunia, sicut etiam Tigurini, quam pacis colendæ causa, singulis pagis Rex dependit annuam. Abolitæ verò religionis pôtificiæ diem & annum aureis literis in columnam inscribunt, vt testimonium apud posteros extaret æternum. Post disputationem Bernensẽ, imagines & aræ cum ceremoniis atque missa Constantiæ fuerunt abolitæ. Geneuenses etiam Allobroges, in statutis remouendis atque ceremoniis, Bernatum sequebantur vestigia. Quapropter Episcopus atque clerus irati discesserunt ab vrbe. Quum inter Galliæ & Angliæ reges cõuenisset, legatos ambo ad Cæsarem mittūt. quibus quum ex ipsorum animi sententia Cæsar non responderet, bellum ei per præconem etiam Anglus denuntiat. Gallus verò Lutetia datis ad eum literis, vicesima octaua die Martii, per publicum præconem, heraldos vulgò nominant, singulari eum prouocat certam in e, ac locum designari petit, vbi duello decertaret. De Ferdinandi Regis, & Vayuodę Transsylvani contentione suprâ diximus. Quũ ea cruetum in bellũ exisset, ac Ferdinandus potẽtia superaret, Vayuoda datis ad ordines Imperii literis, de Ferdinando acerbè cõqueritur. Scribit etiam ad Cæsarem, hortatũ vt fratrem cohibeat. Et ille quidẽ ad suæ causæ defensionem hæc edebat. Ferdinandus autem

*Geneua E-  
uangelium  
excipit.*



rex nitebantur transactione, quam Cæsar Maximilianus, anno M.CCCC.XCI. cum Hungaris & Ladislao Rege fecerat. qua cautum fuit, quòd si Ladislaus absque sobole mascula decederet, vt tum Maximilianus & ipsius hæredes, recta linea descendentes, regnum illud obtinerent. Quum ergo Ladislai filius Ludouicus esset extinctus, non relictis liberis, Ferdinãdus, qui & Maximiliani esset è filio nepos, & Austriæ princeps, & præterea Ludouici fororẽ haberet in matrimonio, iure sibi regnum illud deberi confirmabat. Hoc ipso tempore Lantgravius Philippus, & Elector Saxonie, conscriptis copiis ad bellum spectabant. Eius autem rei hæc erat causa. Iureconsultus quidã Otto Paccius, nobili genere natus, per occasionem colloquii Lantgrauium admonuit, vt suis rebus prouideret. Nuper enim Ferdinandum, Brandenburgicum, Georgium Saxonem, Ludouicum & Gulielmum Bauaros, Moguntinum, Salisburgensem, Bambergicum, Wirzburgensem, iniisse fœdus, ipsius & Saxonie Principis Electoris, & opprimendæ causa religionis. Fidei verò faciendæ causa, confœderationis exemplum exhibet, archetypum quoque pollicitus. Dum copias illi parant, intenti erant omnium animi quorsum hoc exiret: nam causæ vulgò ferebantur variæ, sicut fieri consuevit. Quum verò iam ab omnibus rebus essent instructi, Lantgravius cœpit agere cun-

Ferdinandus in Hungaria

Lantgravius & Saxonia non apparuit

stantius, quod Paccius archetypum exhibere non posset, vti promiserat. Intercessione demum Palatini & Treuirensis Richardi, discessum fuit ab armis. Calendis Augusti mensis Cæsar datis Valoleti literis, Imperii conuentum indicit Spiræ, ad initium Februarii sequentis anni, religionis & Turcici belli causa: quò minus autem ipse veniat, per occupationes excusat. Lautrechus Gallus post captam anno superiori Papiam & Alexandriam, Bononiæ substitit in hybernis, & sub primū deinde ver progressus, Neapolim obsedit. Iulio autem mense pestis admodū vehemens, magnam exercitus partem absumpsit, & ipsum etiā Lautrechum postridie Idus Augusti mensis extinxit, quum paulò autem sublatus esset Vaudemontius, Antonii Lotharingæ ducis frater germanus, qui Regi militabat, ipse consequendi regni Neapolitani, quod Andegauensis familia, vnde genus & originem habent Lotharingi, sibi deberi confirmat.

Lautrechus in Italia

Quemadmodum à disputatione Bernensis, religio fuerit mutata multis in locis, dictum est. Proinde quum antea sæpe, tum hac etiam occasione Argentinensis ecclesiæ ministri, inter alios doctrinæ pontificiæ errores, missam quoque docebant esse cum primis impiam, & ad summam nominis Diuini contumeliam pertinere. Quum autem Pontificiū contrā docerent, exarsit contentio: quam fenatus

Argentin.  
reformatio



natus facta collatione sententiarum, & aliqua disputatione finiri volebat. Et quum hoc impetrari non posset, edicit Pontificiis, quoniam alteros impia docere dicant, neque tamen causæ cognitionem admittant, ne posthac docendi munus vsurpent. Episcopus crebris interea literis ac internuntiis monet & orat senatum, vt in veteri maiorum religione persistant. Senatus inuicem orat, det operam vt quæ pertinent ad verum Dei cultum instituantur: cætera verò tollantur & antiquentur. hoc enim proprium ipsius esse munus. Ille verò tametsi conuentum atque diem aliquando condixerat, eius rei causa, nihil tamen præstitit: sed senatum Imperii, qui tum erat Spiræ orat, vt suam auctoritatem interponant. Hi missa legatione admodum splendida, petunt ne missam abrogent: differant saltem vsque ad Imperii conuentum iam breui futuro: atque ibi sua postulata proponant. nõ se dubitare, quin æquum sint laturi respõsum. Legibus enim esse cautum, ne priuato Magistratui liceat rescindere, quæ cõmuni totius orbis consensu decreta sunt. Senatus vbi sui instituti rationem explicasset, legatos commode abs se dimittit. Sed quum iam supra biennium ea res ageretur, & ecclesiæ Ministri instarent quotidianis concionibus, ciues etiam supplicarent: senatus conuocatis omnibus ex more, rem omnem ordine commemorat, & in vrãq; partẽ multis in mediũ adductis, quòd si

*Missæ Ar-  
gentor. ab-  
rogata*

*Basilea ver-  
bum Dei  
admittit*

missam aboleant, quid à Cæsare sit periculi: si non faciant, quantoperè Deus offendatur, explicant, & cogitandi spatium ipsis largiuntur, & vt tributim collecti deliberent, petunt, quò deinde, quum rursus cõuenient, de communi voluntate atque consilio statuatur. Quum ergo venisset dies, eorum sententia, qui missam oppugnabant, superior extitit. Itaque fit decretum Februarii die vigesimo, suspendi missam oportere ac intermitteri, donec aduersarii demonstrèt esse cultum Deo gratum. Hoc decretum & in vrbe ac foris, quàm latè patet ipsorum ditio, senatus obtinere iubet, & per literas certiolem facit Episcopum, qui nõ absque gemitu maximoque dolore se illud accepisse, & cogi patienter ferre, & quod sui sit in eo muneris, facturum se rescribit. An- nis nunc aliquot, Basileæ quoque magnum erat religionis causa dissidium: & senatus quidem decreuit tandem, vt eadem esset per totã urbem doctrina, vtque de missis, quæ locis adhuc aliquot supererant, certo die palàm habita disputatione, per suffragia decerneretur, quid in eo fieri oporteret. Pontificii autem nihilò secius vrgebant suum institutum, & aliquantò etiam acerbius pro concione notabant aduersarios. Et quoniam hoc illis erat impunè, plerique sic accipiebant, quasi primores illud non improbarent. Inter hæc nonnulli ciues, quibus erat mandatum, vt per urbem cir-



circumirēt, ac rebus omnibus prouiderent, in templum primum ascendunt. Ex iis quidā haec sua statuā alicuius diui reuellit, sic ut in terram delapsa, confringeretur. Hac autem occasione in plures deinde manus iniicitur. Interuentu verò sacrificorum, qui id egrè ferebant, illi ne mandati fines præterirent, nullam mouent ampliorem rixam, & abeunt. Quum eius rei nuntius esset ad ciues in forum delatus, & plenior multo quàm res ipsa ferebat, ad templum euestigio mittuntur armati tercentum, ut illis opem ferrent: nam esse in angustiis & periculo dicebantur. ubi ventum est eò, iam illi discesserant. Ne verò frustra illuc esset, idola seu statuas ibi repertas demoliuntur: & progressi, reliquis in templis idem faciunt. Ibi tum è Senatu quidam accurrunt, sedandi motus causa. Ciues autem ad illos, Quod vos totum iam triennium deliberatis an fieri debeat, illud nos, inquit, unà perficiemus hora, ne propter idola vllum sit inter nos posthac dissidium. Sic ad eò Senatus eis omnia permittit. Decretum etiam est factum, ut tam in vrbe quàm foris per ipsorum fines aboleatur Missa cum idolis omnibus. Adhuc ut in iis rebus deliberandis, quæ ad gloriam Dei pertinent, & ad reipublicæ commodum, Senatus in posterum adhibeat tribules, numero ad ducetos sexaginta, quorum utatur consilio. Iis factis decretis, læti domum reuertuntur ciues: & in sta-

*Imagines  
exuſie.*

tuas tantum omnis deſiit iracundia. Tertio die, qui tum erat cinerum dies, vt Pontificii vocant, ſtatue lignee diſtribute fuerunt in homines tenuiores, vt his ad igne vterentur. Quam autem illi ſuper diuidenda preda rixarentur, ac pugnis etiam rem agerent, placuit exurendas eſſe. Nouem ergo componuntur ſtrues ante primariam aedem, & inflammatae cremantur. Ita nimirum caſus tulit, vt quo die Pontificii ſolent frontibus hominum inuergere cinerem, ille ipſe dies propter idola in cinerem reducta, ciuitati fuerit lætus atque iucundus. Februarii die duodecimo tribules illi, quos diximus, acta Senatus comprobant: altera die per ſingulas tribus denuo iuratur, & amice diſceditur. Paulò ſuprà diximus de conuentu Spirenſi, quem ad initium Februarii Cæſar indixerat: ſed nõ eſt ante idus Martii factum initium. Principes ac ordines aderant admodum frequentes. Elector Saxonie Melanchthonem adduxerat. Principio ceptum eſt agi de religione. Pontificii autem eò ſpectabant, vt Saxonem alioſque Principes à ciuitatibus dirimerent, ne qua eſſet inter ipſos conſiliorum communicatio, neque voluntatis conſenſio. Et quoniam de Cœna Domini non eadem erat omnium ciuitatum, quæ Principum ſententia, ſpem illi conceperant ſe poſſe quod cupiebant efficere. Sed id fruſtra fuit. Quum Heluetiorum ciuitates duæ

*Conuētus  
Spiren.*



duæ longè potentissimæ, Tigrum atque Berna, consentirent in religione, Lucernates, Vram, Suitenses, Vnterualdii, Tugiani, qui præ cæteris erāt huic infensi doctrinæ, foedus cum Ferdinando rege faciunt. Imperii Senatus fuerat Spiram euocatus. Quumque ciuitas Argentina suum eò misisset legatum Danielem Miegium, qui cum reliquis ibi consiliariis negotia publica de more tractaret, repudiatu à consensu fuit, propter abrogatā nuper Missā, & non expectatum huius conuentus exitum. Eo cognito reliquæ ciuitates, quoniam ad ipsas etiam exemplum pertineret, intercedunt, & Imperii morem seruari petunt. Post multā de religione tractationē superioris comitii Spirensis actio paucis repetitur. In eo nimirū fuisse decretum, vt quantum ad Cæsaris edictum Wormaciense pertinet, ita sese gerant omnes, quò sui facti rationē & Deo possint & Cæsari quoque reddere. Sed multos eo profus abuti: & omnis ferè generis horrenda nouaque dogmata sub hoc veluti prætextu & defendi & excusari. Nouum igitur fit decretū in hanc sententiam, Qui Cæsaris illud edictū seruauerūt, deinceps seruēt ad Concilium vsque: Qui verò doctrinæ genus mutarunt, nec ab eo iam possunt discedere absque metu seditionis, vt ii sibi tēperēt in posterum, nec aliquid præterea innovent ad usq; Concilii tēpus. Adhæc vt pacem inter se colant omnes ordines, & religionis

*Spiræse decretum.*

causa nec damnum inuicem dent, nec alter alterius ditioni subditos in suam fidem aut tutelam recipiant. Qui secus fecerint, proscriptorum numero iubentur esse. Huic decreto sese opponunt Elector Saxoniz, Georgius Brandeburgicus, Ernestus & Franciscus Luneburgici, Lâtgravius, Anhaldius: & Aprilis die decima nona, palàm cur non assentiantur de scripto recitant. Et primò quidem superioris conuentus decretum repetunt, quo sua cuique religio permittitur adusque Concilium. Ab eo minimè recedendum, neque esse violanda quæ tunc pacis retinendæ causa, post multam deliberationem pacta fuerunt, & signis atque iureiurando cõfirmata. Nam quòd nunc decreuerint, vt qui doctrinæ genus mutarunt, neque sine turba iam illud relinquere possunt, nihil innouent: id se non posse recipere, nisi velint ei doctrinæ, quam vti piam atque veram hucusque profitentur, fidem ipsi derogare, ac fateri, discedendum quidem ab ea doctrina, si modò sine tumultu atque seditione fieri posset. quod ipsum quid esset aliud quàm verbum Dei, quod purum habeant ac impollutum, abnegare? Quo sanè nullum admitti possit grauius peccatù. Huic Principum deliberationi communicato consilio, primi nominis ciuitates aliquot sese coniungunt, Argentina, Noriberga, Vlma, Constantia, Rutelina, Winslemium, Meminga, Lindauia, Cã-  
 podu-



podunum, Hailbrunum, Inna, Wiffenbergum, Norlinga, Sangallum. Et hæc quidem est origo nominis Protestantium, quod non solum in Germania, sed apud exteras quoque gentes perulgatum est ac celebre. Ferdinandus excesserat iam è concilio Principum, antequam hi protestarentur, tametsi vt paululum modò differret, à Saxone fuerat rogatus atque sociis. Post appellationis quoque formulam Protestantes concipiunt, & edunt, in eâque rem omnem ordine commemorant: ac demum ab omni actione Spiritali & decreto ibi facto prouocant ad Cæsarem, ad futurum generale, vel ad nationis Germanicæ legitimum Concilium, ad omnes denique non suspectos iudices: ac simul legationem ad Cæsarem decernunt. Non multo post Tigurini & Bernates copias educunt in Quinquepagicos (vti vocant) ipsorum hostes, de quibus paulo supra diximus. Et Tigurini quidè edito scripto, cur ita faciant exponunt, & multas illorum recentent iniurias. Productis vtrinque copiis, & positis castris, interuentu finitimorum, & Argentinæ quoque ciuitatis, cõposita res fuit, & discessum ab armis. A Ferdinando missa fuerunt illis auxilia, quæ ad Rhenum vsque peruenerunt. Inter alia pactum fuit ne religionis causa bellum inter ipsos esset, vtque deinceps à maledictis abstineretur, graui constituta pœna.

Galliæ Rex, quum & liberorum suorum

*Origo Pro  
testantium.*

*Ciuile bel  
lum inter  
Heluetios.*

statu, quos in Hispaniam miserat obsides, afficeretur, & per Italiam infeliciter bellum gereret, amisso nuper exercitu atque imperatore Lautrecho, amisso etiam Andræa Auria Genuate, rei maritimæ scientia clarissimo duce, qui sub idem ferè tempus, quo Lautrechu mortem obiit, ad Cæsarem defecerat, restituta patriæ libertate, ad pacem animum adiecit. Itaque Cameraci, oppido Belgicæ, conveniunt Marguarita Cæsaris amita, & Regis mater Loisia, multique alii proceres, & pacem Augusto mense faciunt: & illud ante triennium in Hispania factum de Lutheranis decretum repetunt, ac denuo confirmant. reliquæ conditiones, partim fuerunt mutatae. Nam Burgundiam Cæsar Gallo permittit, si marem è sorore suscipiat. Eodem tempore Turcarum Imperator Solimannus, à Ioanne Vayuoda sollicitatus per Hieronymum Lafcum Polonum, excellentis ingenii virum, in numero cum exercitu per Hungariam tendit in Austriam, & primariam eius regionis urbem Viennam ad Idus Septembris obsidet, & cuniculis rem agit, & qua parte mœnia subvertisset, acerrimè manus conserit. Sed quum milites præsidarii Germani, quorum præcipuus dux erat Philippus Palatinus princeps, fortissimè stationem defenderent, postridie Idus Octobris infecta, re discedit, multis hominum millibus in reditu partim trucidatis, par tim

*Fœdus Cameraci.*

*Vienna à Turcis obsessa.*



partim in miserabilem ac foedam seruitutem abductis. Vayuodam autem abiens Budæ Regem constituit.

Nouum etiam morbi genus hoc anno Germaniam inuasit. Sudore pestifero correpti homines, intra vigesimam quartam horam aut exhalabant animam, aut si virus exudassent, valetudinem paulatim recuperabant, & prius quàm de remedio constaret, multa perierunt millia. Malù hoc inde ab Oceano per omnem propè Germaniam peruasit, incredibili celeritate, velut incendium aliquod, longè latèque depascebat omnia. Vulgò dicitur morbus Anglicus. Nam Henrici septimi Britannæ Regis anno primo, eadem lues insulam illam inuasit: & quoniam remedium erat incognitum, ingentem hominum stragem edidit. Fuit insuper hoc tempore frumenti ac vini tenuissimus prouentus. Per id tempus exusti sunt Colonix Agrippinx Petrus Flistedius, Adolphus Clarebachus, homines literati, quòd de Cœna Domini, deque cæteris dogmatis diuersum à Pontificiis sentirèt. Fuerant antea sesquiannù & amplius eò, custodia detenti. Adolphus erat forma liberali, factùs & eruditus. Quùmque ducerètur ad supplicium, fidei suæ ratione explicabāt, & Scripture testimonii inuicè sese confirmabāt: ita quid è vt omnium oculi mentesque in his hererèt defixi. Dixim⁹ antea de dissidio Lutheri & Zuighii super Cœna

*Sudor pestilens.*

*Flistedius  
& Clarebachus.*

*Luther⁹  
& Zuighii  
Marpurgi*

Domini. Quum illud iam supra triennium agitaretur, & grauis esset dimicatio: multi, quibus doleret hac vna simultate consensionem impediri doctrinæ, remedium adhiberi cum primis optabant. Lantgravius ergo cum sociis re communicata, sollicitatis etiam Heluetiis, diem constituit quo Marpurgi conuenirent vtriusque partis viri docti, deque summa rei placidè conferrent. E Saxonia venerunt Lutherus, Melanchthon, Ionas: Ab Heluetiis, O Ecolampadius, Zuinglius: Argëtorato, Bucerus, Hedio: Noriberger, Osiãder. Multi aderant præterea viri graues ac eruditi. Solus autem Lutherus atque Zuinglius causam disceptabant. Sed quum illud quod dixi morbigenus eò iam peruenisset, abrupta demum actione iussu Lantgrauii, sic conuenit, Quandoquidem in præcipuis omnibus dogmatis idem sentirent, abstinendum esse deinceps ab omni contentione: & Deum orandum vt in hac etiam controuersia lumen accendat, & concordiae viam ostendat. Et ita quidem amicè discessum fuit initio Octobris. Saxoniæ Princeps & Lantgravius in conuentu qui Spiræ fuerat ante triennium, fœderis incundi mentionem fecerant. Ea res in deliberationem deinde non semel venit: & iam potissimum hoc factò decreto cœptum est de illo cogitari vehementius, & tandem Smalcaldiæ cōuentus indictus ad Idus Decembreis. Vbi iam Cæsar in Italiam

Fœdus  
Smalcaldi  
cum.



liam venisset, Erasmus Roterodamus, qui Basilea relicta propter mutatam religionem, & vitandæ suspicionis causa, Friburgum sese receperat, Ferdinandi Regis oppidum, Nouembri mense libellum edit, qui titulo quidem inscriptus est, Contra quosdam qui sese falso iactant Euangelicos: re vera autem totum ordinem perstringit. Aduentante Bononiam Cæsare, Franciscus Sfortia profectus ad eum, intercessione Clementis septimi Mediolanensem principatum tandem recuperat.

## LIBER SEPTIMVS.

**D**iximus antea Protestantes decreuisse legationem ad Cæsarem. Hi erant Ioannes Ehingerus, Alexius Fauentrutus, Michael Cadenus Noribergensis. Duodecimo Septembris die admissi Placentiæ, ordine repetunt decretum imperii factum ante annum tertium, quod nuper alio decreto sublatum sit. Quod quidem si valere debeat, maximæ sint ex eoturbæ nascituræ. Saxoniam Principem igitur Electorem atque socios, & in iis adiunctas quoque ciuitates, palam tunc esse professos non se huic assentiri decreto. Rogare autem ne grauius hoc ipse ferat: sed necessitati tribuat. Illos enim interea dum cogitur Concilium nihil esse admissuros, quod non & Deo sperent, & ipsi quoque posse probari. Cæsar decimo tertio die Octobris responsum dedit scriptum, vt il

*Protestantium legatio.*

li petierant, decretum illud ideo factum esse, ne quid deinceps innouetur, nec vlli sectæ sit in posterum locus: deinde vt pax & concordia per Imperium statuatur. Ideoque Saxoniar principem atque socios meritò debuisse his omnibus assentiri. Nam & sibi & reliquis Principibus animæ suæ salutem & conscientiar tranquillitatem non minus esse curam quam illis: nec etiam minus optare se Conciliū quam illi, constituendæ reipublicæ causa. Et quia moribus receptum est, vt quod maior pars ordinum Imperii sanciuir, ne paucis quibusdam hoc rescindere liceat: ideo se datis literis ad Saxonem & socios mandasse, vt decretum factum habeant ratum, neque contrā faciant: sed obtemperent pro ea fide, qua sibi deuincti sint & imperio. Nam alioqui fore vt auctoritatis & exempli causa seuerè in ipsos animaduertat. Eo dato responso, legati appellationem, sic vt erat concepta, tradunt Alexandro Schuafsio, testibus ad eam rem adhibitis, vt fieri consueuit. Ille quidem initio recusat, sed tandem accipit, & ad Cæsarem defert: eodémque die post meridiem redit, & reliquo sermone confecto, Cæsarem iubere dicit, ne pedem moueant è diuersorio, ne quid suis perscribant, ne quem suorum aliquò mittant, donec aliud renuntiet: capitis & fortunarum denunciata pœna, si secus faciant. Dum hoc agitur, fortè aberat domo Michael Cadenus

Prasocatio  
Pro-  
testantiū.



nus, & è vestigio certior factus per famulum,  
 rem omnem senatui Noribergico perscribit,  
 & literas magna celeritate perferri curat: nec  
 enim fide tenebatur deuinctus vt collegæ. Pe-  
 nultimo demum Octobris die, Parmæ quo  
 iussi erant sequi, Nicolaus Granuellanus nun-  
 tiat eis, & si delatam prouocationem Cæsar æ-  
 grè ferat, tamen permittere vt domum ad suos  
 reuertantur. Cadenum verò iubet manere, cap-  
 itis pœnam comminatus nisi pareat. Cuius  
 quidem rei hæc erat causa, Lantgravius dede-  
 rat abituro libellum eleganter adornatum, qui  
 doctrinæ Christianæ summam paucis com-  
 plectebatur, vt Cæsari daret. Is per occasio-  
 nem, quum ad sacrum iret Cæsar, porrigit.  
 Cæsar inuicem Episcopo cuidam Hispano,  
 vt quid rei esset cognosceret. Hic fortè in il-  
 lum locum incidit, vbi Christus monet A-  
 postolos, ne principatum affectent: hoc enim  
 ipsorum non esse professionis, & gentium  
 Reges vsurpare sibi talem potestatem. Eum  
 locum auctor inter alia tractauerat, demon-  
 strans cuiusmodi sit officium ministrorum  
 Ecclesiæ. Sed ille quum obiter legisset, percon-  
 tanti Cæsari ita referebat, quasi Magistratui  
 Christiano ius gladii tolleret libellus, & gen-  
 tibus duntaxat alienis à religione Christia-  
 na permetteret. Hac ergo de causa detinetur  
 iste. Quum autem factum purgaret, neque

*Cademi pe-  
 ricalum.*

fatis commodum responsum ferret, & è sermone Granuellani perieulum suum intelligeret, silentio conscēdit equum, & celeriter Ferrariam, inde Venetias profectus, domum reuertit. Senatus Noribergicus acceptis literis Cadeni, Saxonē, Lantgrauū & socios illico certiores facit: quibus, re deliberata, placuit Smalcaldix fieri conuentum sub finem Nouembris. Eò venerunt ad diem, Saxonix princeps eiu' que filius Ioannes Fridericus, Ernestus & Eranciscus Luneburgici fratres, Lantgrauus Philippus, Georgii Brandeburgensis consiliarii. Ciuitates etiam Argentoratum, Vlma, Noriberga, Heselprunum, Rutelinga, Constātia, Meminga, Campodunum, Lindauia. Ibi nihil actū, quòd proposita de religione capita ciuitates non prorsus probarent: nec patiebantur Principes fœdus institui, ni doctrinam per omnia admitterent. Tandem ita disceditur, vt qui doctrinā hanc omnem profiteri velint, atque recipere, Noribergam veniant ad sextum Ianuarii diem anni sequentis.

Argentinenfes interea muniendi sui causa, cum Tigurinis, Bernatibus, Basiliensibus. qui & vicini erāt, & dogmate magis conueniebāt, fœdus faciunt. Cæsar interea, qui Nouembris die quinto Bononiam venerat, Ianuarii die vicesimo primo dimissis in Germaniam literis, conuentum indicit omnium ordinum Augustæ, ad diem octauum Aprilis, religionis potissi-

Comitia  
Protest.  
Smalcaldicæ.

M. D.  
XXX.

Conuentus  
Augustæ.



potissimum & Turcici belli causa. Vigesimo quarto deinde Februarii die, maximo cum apparatu atq; splendore fuit inauguratus à Pontifice, quum verbis conceptis iurasset, Pontificiæ dignitatis perpetuum se esse futurum defensorem. Augustam primus omnium venit Elector Saxoniae cum filio. In reliquo comitatu erant Philippus Melanchthon, Ioannes Islebius Agricola, Iustus Jonas, Georgius Spalatinus. Mittebant obviam Cæsari gratulatum, Ulmentes: quum vix ægrè tandem essent admisi, Cæsar postulat, ut à superioris anni protestatione discedant, seque deinceps imperata facturos esse spondeant. Urbis tuendæ causa conscripserant Augustani ad octingentos pedites. Hoc ubi Cæsar accepit, iubet eos dimitti, & alios ipse conscribit, inque suam fidem adigit: & portam vnam urbis tradi sibi postulat diebus aliquod antè quàm eò venisset.

Hoc ferè tempore venit in Galliam ab Hispaniis Eleonora cum regis liberis, Francisco & Henrico, qui iam totum quadriennium ibi fuerant obsides loco parentis. Non multo post inaugurationem Cætaris, Pontifex ad Ferdinandum regem mittit legatum Petrum Paulum Vergerium iureconsultum, ampla cum potestate. Sed in primis ei dedit in mandatis, ut omnem operam nauaret, ne prouinciæ Germaniæ concilium fiat, utque Ferdinandus omnem impediatur eius generis actionem. Ille sibi com-

*Vergerius*  
*legatus*  
*Pontif.*

missum munus diligenter exequitur, & quacun-  
 que ratione potest Lutheranis incommo-  
 dat, & in Ioannem Fabrum, Eccium, Co-  
 chleum, Nauseã munificus erat, vt fortiter a-  
 gerent. Augustam Cæsar venit Idibus Iunii  
 sub vesperum. Erat in eius comitatu Campe-  
 gius Cardinalis, à Pontifice missus cum plenis  
 mandatis. Alter dies erat sacer, & corporis  
 Christi memoriæ dicatus, vt vulgò dicunt.  
 Itaque Cæsar ad diuorũ templa supplicatio-  
 nem faciebat, missificante Moguntino. Prin-  
 cipes aderant omnes maximo numero, præter  
 Saxonem, Lantgrauium, Luneburgicos fra-  
 tres, Georgium Brandeburgicum, Anhal-  
 dium. Cæsar quidem eis nuntiauerat vt &  
 adessent, & suos abrogarent concionatores.  
 Illi autem neque venerunt: & quia conuen-  
 tus hic eò sit indictus, vt omnium audiantur  
 sententiæ, non se posse suis imponere silentiũ  
 ante cognitionem causę dicebant. Biduo post  
 fuit editum, vt vtriusque partis concionato-  
 res desistant, donec de religione decidatur:  
 Cæsar tamen aliquos constitueret, qui sine  
 cuiusquam cõtumelia doceant. Fuit hoc præ-  
 conis voce denuntiatum, constituta pœna. Iu-  
 nii die vigesimo factum est initium actionis,  
 & Cæsar Missam aditurus de more Saxonem  
 adesse iubet, ac sibi præferre gladium. Nam  
 id Saxonica domus est officium in eiusmodi  
 pompis. Ille re deliberata, quum theologi di-  
 cerent

*Protestan-  
 tes Cæsaris  
 sacris absti-  
 nent.*

*Saxonis  
 Elecl. offi-  
 cium.*



cerent licere adesse, quòd ad suum officium esset, euocatus non ad missam, velut ad cultum Diuinum, accessit, Georgio Brandeburgico comitatus. Reliquorum nemo venit. A sacro ventum est in curiã. Ibi Fridericus Palatinus nonnulla præfatus, moram Cæsaris excusat, & simul causã indicti cõuentus repetit. Deinde recitata fuit oratio proluxa de scripto, sicut fieri consuevit. Eius erat summa, quia subitariis illis & intercisis auxiliis nihil adhuc profectum sit in Turcam, agendum nunc quomodo perpetuentur auxilia, ne videlicet vllò tẽpore desit pecunia, copiã, vires: vt non modò defendi, verumetiam inferri bellum, nec amissa solũ recuperari, sed illi etiam sua possint eripi. Quòd ad religionẽ attinet, quum variis actionibus hucusque nihil effectũ esse videat, magni fore momenti suam presentiam existimasse. Conuentũ igitur hunc indixisse, vt in eo quod quisque vellet proponat in mediũ, scripto cõprehensum: quo nimirũ tantò cõmodius atque celerius intelligi res possit atque definiri.

Principes habita deliberatione iudicabant omnium primò agendũ esse de religione. Quarto post die Cãpegius in cõfessu Principũ Cæsare præsete orationẽ habuit Latinã, hortatus eos, vt in causa religionis morẽ gerant Cæsari, colaudata ipsi virtute atque pietate. Se quoque Pontificis nomine daturum operam, vt eandem fidem profiteantur omnes, & reconciliatis animis bellum in Turcam suscipiant.

*Cãpegius  
legatus  
Pontif.*

*Postulata  
Protestan  
tium.*

Ab eo, legati Austriachi quantam acceperint à Turca calamitatem exponunt, opemque petunt. Post hæc Saxonix Princeps Elector, Georgius Brandenburgicus, Luneburgensis, Lantgravius, orant Cæsarem vt suæ doctrinæ confessionem scripto comprehensam audiat. Ille iubet exhiberi scriptam, atq; deponi. Rursus illi, quoniam ea res ad eorum existimationem, ad fortunas, ad sanguinem atque vitam & animæ salutem pertineat, & quia secus ei fortè delatum sit quàm res habeat, instant & audiri postulant. Cæsar vt postridie domum suam veniant, iubet: sed scriptum sibi iam tradi petit. Illi denuo quàm possunt vehementissimè vrgent & obsecrant: neque putasse dicunt hoc sibi denegatum iri, quum alios multo se humiliores, in rebus etiam leuioribus audiat. Quum autem ille de proposito nihil mutaret, petunt vt scriptum sibi relinquat, donec sit recitatum. Eo permisso, veniunt altera die, atq; ibi in cœtu Principum & omnium ordinum, auscultante Cæsare, recitant. Postea Latine atque Germanicè conscriptum ei tradunt: & si fortè iam definiri causa non possit, nõ se recusare toties & promissum & decretum Concilium demonstrant. Cæsar, qui totam hyemè inde à Nouembri vsque in Martium mensem Bononiæ fuerat cum Pontifice in eodem palatio, totus eò spectabat, quemadmodum religionis desidium absque Concilio pacaret. Nam

*Pontificis  
artes.*



Nam hoc esse Clementi longè gratissimum sciebat: cuius hic erat scopus, vt si leuiter sopiri causa non posset, opprimeretur armis. Saxoniam confessionē Cæsar tradit reliquis Principibus, vt cognoscant: hi deinde suis theologis, in quibus facilè erant primi Ioannes Faber & Eccius. Ii contrarium scriptum & confutationem opponunt. Interim Argentineses, Constantineses, Memingi, Lindauii doctrinæ suæ confessionem scriptam, & ipsi tradunt Cæsari. De Cœna Domini non idem hi quod Saxones & focii sentiebant. Re deliberata cum legato Pontificio, Cæsar decreuit responsum ad scriptum Saxonicum, & Principibus illud Calendis Augusti communicat. Exitus erat vehemens atque durus, proposita nimirum pœna proscriptionis iis qui non parerēt. sed de Principum consilio mitigatum hoc fuit. Itaque tertia die Augusti cōuocat omnes ordines, & confessionis cōfutationem à theologis aduersariis conscriptam recitari iubet. Ea recitata Saxo & focii exemplum sibi dari postulant, quandoquidem eius doctrinæ, quæ obtulerunt, capita quædam sint admissa, quædam repudiata: opus esse, vt amplius sua confirmet atque doceant. Biduo post quum Cæsar diu deliberasset, ait daturum se quidem: verùm ea lege, ne quid eius euulgent, aut typis procudant: nolle etiam ampliorem vllam admittere disceptationem. Illi autem hac lege

*Protest. cō-  
fessio Au-  
gust.*

Lantgrau-  
uii abito.

non se posse recipere demonstrant. Postri-  
die, qui sextus erat Augusti dies, Lantgrauus  
paucis aliquot comitatus, illinc discedit, reli-  
ctis legatis. Molestè hoc Cæsar tulit: & Sena-  
tui mandat, ne quem omnium per locum se-  
cretiorem vrbis, qui noctu solùm patefieri so-  
let, emittant. Et altera die quum Saxonem  
& socios euocasset, offensionem minimè dis-  
simulat, & petit, vt ad exitum ipsi permaneât:  
se nimirum quod ad concordiam attinet, ni-  
hile esse prætermisurum. Illi purgant Lant-  
grauium per vxoris valetudinem, & legatos  
reliquisse docent, neque se discessuros aiunt.  
Sed interim mirari, cur excubiæ sint atque sta-  
tiones ad portas dispositæ. Nec enim in Im-  
perii conuentibus ita fieri consueuisse. Cæ-  
sar excusat propter cædem factam, & Germa-  
norum atque Hispanorum dissidia. Si quid  
turbæ deinceps accidat, nihil eiusmodi se fa-  
cturum, nisi ipsum, qui sit Imperii Marescha-  
lus, antè præmoneat. Circiter hoc tempus

Bellum  
Florentinū

finem habuit bellum Florentinum. Nam ob-  
fessi Florentini à Cæsarianis & Pontificiis  
copiis, quòd eo tempore quo Roma capta  
fuit atque Pontifex, familiam Mediceam eie-  
cerant: quum per anni ferè tempus bellum du-  
xissent, quarto Idus Augusti certis conditio-  
nibus cum Ferdinando Gonzaga Cæsaris le-  
gato transigunt. Cæsar deinde missis eò li-  
teris



teris amplissimis Alexandrum Medices, cui  
filiam suam Margaritam notham promiserat  
in matrimonium, principem eis constituit.  
Is deinde maximæ molis arcem ibi constru-  
xit. & hoc est quidem ipsorum seruitutis ini-  
tium. Deditioe recepta vrbe, Clemens  
primarios aliquot Senatores capite multa-  
uerat, & reipublicæ formam aliquam insti-  
tuit.

Augustæ post multam actionem delecti *Concilia-  
tores dele-  
cti.*  
fuerunt vtrinque septeni, qui concordiaæ ra-  
tiones inirent. Inter hos de nonnullis con-  
uenit: sed de Missa, de coniugio sacerdotum,  
de Cœna Domini tota, de votis monasticis,  
de iurisdictione Episcoporum præcipua erat  
controuersia, maximè verò de Missa deque  
votis. Nam in eo nihil remittebant Pon-  
tificii. Visum deinde fuit hunc numerum  
esse arctandum. Itaque terni sunt vtrinque  
delecti, Melanchthon cum duobus iurecon-  
sultis, & Eccius cum totidè. Sed Philippo fuit  
iniunctum, ne quid amplius concederet. Cùm  
verò sententiis non conuenirent, Pontificii  
volebant à pluribus rem denuo tractari. Dum  
hæc ita geruntur, Cæsar Georgium Brande-  
burgicum sollicitat per Episcopum Mogun-  
tinū & alios eiusdè familiæ: Saxonem verò per  
Fridericum Palatinū, per Nassouiū, per Geor-  
gium Trucesiū, vt ab incepto desistât. Saxo-  
h. ii.

nem quidem conatus est etiam ab aliis diuel-  
lere, tanquam præcipuum: & petenti suæ di-  
tionis inaugurationem pro more Imperii, de-  
negabat, nisi prius cum ecclesia Romana re-  
dired in gratiam. Septembris die septimo Cæ-  
sar omnes Principes ac ordines Pontificios  
domum suam conuocat circa meridiem. Dua-  
bus deinde post horis Saxonem atque socios,  
& remotis omnibus aliis adhibitoque Ferdi-  
nando fratre, Episcopo Constantiensi, Hispa-  
lensi, Gräuellano, Truccesio, per Fridericum  
Palatinum verba facit, Omnino sperasse futu-  
rum, vt tam amanter atque benignè à se com-  
monefacti, post exhibitam confessionem ad  
partes suas trāsirent: nec enim existimasse fo-  
re, vt ipsi qui sint numero pauci, res nouas in-  
troducerēt contra vetustum & sacrosanctum  
totius ecclesiæ morem, aut singulare aliquot  
doctrinæ genus vsurparent, à Pōtificis, à suo,  
à Ferdinandi Regis, ab omnium Imperii Prin-  
cipum & ordinum, à totius orbis Regū atque  
maiorum instituto alienum. Iam verò quia &  
Concilium cogi, & decretum hic fieri paci-  
ficum petant, se qui pacem imprimis optet,  
effecturum apud Pontificem & reliquos orbis  
Christiani Principes, vt vbi primū conue-  
nerit de loco, Cōcilium denuntietur. Hoc se  
recipere ipsis atque confirmare. Verū eale-  
ge tamen, vt interim eādē quam ipse, quam  
alii quoque Principes religionem sequantur.

Illi

*Cæsaris ad  
Protestan-  
tes oratio.*



Illi quum deliberassent, nullam se nouam se- <sup>Potes.</sup>  
 ctam instituisse, neque secessionem ab Ec- <sup>Responsio.</sup>  
 clesia Christiana fecisse dicunt. Quòd Con-  
 ciliium non recuset, agere permagnas gratias,  
 & petere, vt primo quoque tempore pium  
 atque liberum in Germania cogatur. Vt au-  
 tem abolitos Ecclesiæ Romanæ ritus atque  
 dogmata recipiant, non se posse bona cum  
 conscientia. Georgius quidem Trucesius &  
 Vehus iureconsultus Badensis conciliationis  
 vias aliquot de Missa déque votis priuatim in  
 medium adducebant, sed id frustra fuit. Ita-  
 que Cæsaris mandatu delecti sunt, qui de fa-  
 ciendo decreto deliberent. Hi erant Mogun-  
 tinus, Brandenburgicus Elector, Salisburgius,  
 Argentinenfis, Spirensis Episcopi, Georgius  
 Saxonæ, Guilielmus Bauariæ Princeps, Hé-  
 ricus Brunsvicensis. Quû ad decimū octauum  
 Septēbris diem Saxo domum redire cogita-  
 ret, Cæsar petit vt quatrimum solùm expe-  
 ctet. Interea Principes delecti formulam de-  
 creti concipiunt, & vicesimo secundo Se-  
 ptembris die Saxonem atque socios domum  
 suam Cæsar euocat, inque pleno Senatu Prin-  
 cipum, illud quod ad religionem pertinebat  
 recitari iubet. Saxonem videlicet atque so-  
 cios doctrinæ suæ confessionem exhibuisse,  
 quæ postea sit sacræ Scripturæ testimoniis  
 confutata. Multo deinde labore tam suo  
 quàm reliquorum ordinum eò rem esse de-  
 h. iii.

Decretum  
 Augustia-  
 num.

ductam, vt illi quædam dogmata ecclesiæ receperint, quædam repudiarint. Se tamen, vt omnes, quàm sit amans pacis intelligant, quàm nihil impotenter aut cupidè faciat, singulari quadam benignitate ipsis largiri deliberandi spatium ad decimum quintum vsque diem Aprilis, vt interea reputent secum atque statuunt, num in iis dogmatis quæ reliqua sunt, idem quod Pontifex, quod ipse, quod vniuersus denique orbis Christianus profiteri velint. Interea se velle, vt pacem per Imperium colant omnes, ne Saxo focique noui quid interea de religione suis in ditionibus procludi patiantur, ne quid etiam innouent, ne quem ad suam religionem pelliciant aut cogant.

Ad ea Saxo focique per Pontanum respondent, non se fateri nec agnoscere doctrinam suam auctoritate sacrarum literarum esse confutatam, imò ita sentire, sic illam niti Scripturæ sacræ consensu, vt quod impium sit nihil in ea reperiri possit. Etsi quidem lectæ confutationis exemplum impetrassent, liquidò se potuisse hoc demonstrare. Ne tamen silentio præteriretur confutatio, contrarium se scriptum inchoasse, statim vt audissent eam recitari, quantum quidem memoria complecti potuerint. Quod ipsum scriptum nunc tandem post multas occupationes perfectum sit.

Quum hucusque peruentum esset, Pontanus apologiam Cæsari defert. Eam vbi Fridericus



dericus Palatinus accepit, subnuente Cæsare, cui Ferdinandus aliquid ad aurem insurrauerat, reddit. Postridie Cæsar per Electorem Brandenburgicum refert, quod adeo adfirmet suam doctrinam esse piam, satis mirari se non posse: quum non solum confutata iam sit auctoritate Scripturæ, verumetiam superioribus omnibus Conciliis condemnata. Quod magis etiam mirari, quod sibi reliquisque Principibus errorem & falsam religionem attribuant. Etenim si vera sint quæ dicant, iam & suos & reliquorum etiam Principum, & ipsiusmet Saxonis parentes atque maiores, qui religionem illam seruauerint, habendos esse pro hereticis. Quod ad scriptum attingit, oppositum confutationi, iam antea demonstrasse nullam se disputationem ampliorum religionis velle permittere: quandoquidem hoc neque liceat, neque sui sit officii. Hac nimirum de causa illud repudiaffe. Nisi enim *Cæsaris* decretum hoc admittant & ratum habeant, *causam.* piendum sibi esse consilium ex tempore, & faciendum in eo quod suam personam & munus deceat. Et nisi pareant, fore ut reliqui ordines omnia Cæsaris causa velint & faciant. Iam enim data fide promississe fortunas omnes ei se communicaturos, & sanguinem ipsum atque vitam, ut negotio finem imponat: illum iniucè omne robur atque potentiam huc esse collaturum, ac promississe non prius iturum extra fines

Imperii, quàm ad exitum res deducta sit. Et hæc quidem ita se ipsis denunciare Principum atque ordinum omnium mandatu. Dicebat præterea ipsorum Ecclesiæ ministros magnū attulisse momentum ad seditionem atque bellum illud horribile rusticorum, quo propè ad centum hominum millia perierint. Postremò velle Cæsarem atque mādare, vt Abbates, monachos & alios ordinis ecclesiastici, quos eiecerint, in integrum restituant. Nam audire eum quotidianos illorum gemitus, & de restitutione quotidie sollicitari. Illi respondent, quoniam decreti exēplum, deque re tota deliberandi spatium impetrari nequeat, non esse quod amplius interpellent. Ideoque se rem omnem Deo committere, in quo primam spē salutis positam habeāt. Quum hæc orassent, perita dimissione discedunt, relictis ibi consulariis legatis. Verùm antequam abirent, Moguntinus & Treuirensis & Palatinus per internuntios exponunt apud Saxonē & Lantgrauianos, quod Brandeburgicus Elector de subministrandis auxiliis & communicandis fortunis ad propugnationē religionis esset locutus, iniussu suo factum. Quare si quam de se conceperint opinionem minus cōmodam, orare vt illam deponāt. Purgationē Saxonæ Princeps accipit, & ab se vicissim benevolentiam omnem expectari iubet. Romæ tunc temporis exundauit Tiberis maximo cum terrore ciui-



tatis, reflantibus ventis, & fluminis decurrentis impetum à mari retrò pellentibus. itaque plurimum fuit acceptum damni. Atrocior multo calamitas peruasit Batauos, iisque finitimos populos, quum per aggeres, quibus constringitur iis locis, mare perrupisset, & omnia secum longè latèque inuolueret. Decimotertio demum Octobris die, quum omnes ordines præterquam Protestantes in curiam vocati venissent, ciuitatum legatis recitatur decretum, & petentibus exemplar, denegatum fuit, repetita semel atque iterum prælectione. Quum plerique omnes approbarent, Augustani, Vlmenfes, Francofurdii, Halenses deliberandi tempus petunt. Postea vocantur in curiam, & recitatur formula pacis, in qua illi solum erant comprehensi, qui decretum factum approbassent. Biduo post Cæsar domum suam euocat Argentinenses atque socios, & in ordinum confessu recitari iubet ipsorum doctrinæ confutationem, scriptum valde prolixum & acerbum, ea parte potissimum, ubi de Cæna Domini tractatur. Eius erant artifices Ioannes Faber & Eccius. Nam quòd inuidiosum esset argumentum, criminationis nullum genus prætermiserant, vt Cæsarem atque Principes accenderent. Exitus hic erat, Quandoquidem in religione diuersam à reliquis omnibus opinionem profiteantur, & grauisimum illum errorem de sacramento eucha-

rifiæ probēt, statuas è tēplis eiecerint, & Mis-  
sam abrogarint, & collegia Cęsarum atq; Re-  
gum liberalitate olim cōstructa, subuererint,  
& varias quoque sectas foueant, inque vulgus  
per Germaniam disseminent editis libellis,  
qui passim circumferantur: idcirco denuo ab  
ipsis se postulare, vt ad sanitatem redeant, &  
priscam religionem recipiant. Alioqui se non  
prætermisurum esse quod sui muneris ratio  
postulet. Illi obiecta refellunt, & confuta-  
tionis exemplum sibi communicari petūt, nec  
impetrant. Quare orant iterum atque iterum,  
vt per Conciliū pium atque liberum causa de-  
finiatur, vtque religioni pax detur: nam alio-  
qui non se posse, etiam si maximè velint, quic-  
quam contribuere in bellum Turcicum. Dum  
hæc aguntur, Vlmenses, Augustani, Franco-  
furtenses, Hallenses, decretum factum de reli-  
gione declinant, & Concilium vrgent. Faber  
autem & Eccius, honorarium munus à Princi-  
pibus petunt & impetrant, ob scriptas confu-  
tationes: operam quoque suam deinceps Pon-  
tificiæ religionis defensionis pollicentur. Nam  
hi, sicut alij plerique, cogitabant crescere de  
Luthero: & Faber quidem postea Viennen-  
sem episcopatum est adeptus à Rege Ferdin-  
ando. Hinc illud Erasmi Roterodami factum,  
quo dicere solebat, Pauperem & tenuem  
Lutherum locupletare multos. Interea Sa-  
xones & sociorum legati Cæsarem interpel-  
lant per libellum supplicem, & orant vt pa-



cem communem per Imperium statuatur, néve religionis causa cuiquam vlla creetur molestia vel periculum. Cæsar vndecimo die Nouembris per Fridericum Palatinum respondet, quia decretum repudiet, ideo se cum reliquis fecisse pactum: non quidem offendi, sed munienti sui causa, si qua fortè vis intentabitur iis, qui vnà secum eandem profitentur religionem. Quod autem petât ne fisco liceat aduersum ipsos experiri, non esse æquum. Hoc enim propriè ad suum pertinere munus, vt ius omnibus administretur. ideoq; nolle sibi quicquam in eo præscribi. Quum aliud obtineri non posset, scribunt epistolam ad omnes ordines, & quid actum sit paucis commemorant: ac petunt ne sub exitum decreti, suorum Principum nomina reliquis inferâtur: & quoniam de pace frustra sollicitarint, ad auxilia belli Turcici nihil à se posse cõtribui docêt. Quinto post die præsentè Cæsare decretum recitatur in omnium ordinum cœtu: & post multam enumerationem torius actionis, Cæsar statuit ne tolerantur qui de Cœna Domini secº quàm hucusque seruatum sit, docent. Qui ante hoc tēpus facti sunt mariti sacerdotes vel Ecclesiastici, priuētur beneficiis, quæ statim ab hoc cõuentu, conferantur aliis. Hoc durante comitio Lutherus erat Coburgi ad Franconiæ fines, mandatu sui Principis, vt tantò vicinior esset Augustæ, si qua fortè res ipsius auxilium

postularet. Ut autem absens etiam aliquid in commune conferret, librum ad Episcopos & id genus alios proceres in eo conuentu conscribit. In hoc Cæsaris & Pontificiorum fremitu atque cōminationibus Melanchthon erat animo admodum sollicito & anxio, non quidem sui, sed ipsius exitus & posteritatis causa: seque mœrori, suspiriis atque lachrymis totum dabat. Lutherus autē ubi cognouit, crebris literis illum erigit & consolatur: & quia non hominum, sed omnipotentis Dei sit hoc negotium, monet ut omni deposita sollicitudine ac grauiori cogitatione, totam molem in illum reiiciat. Et cur, inquit, ad hunc modum te crucias & affligis ipse? Si filium suum Deus pro nobis impedit, quid trepidamus, quid metuemus, quid angimur atq; tristamur? An satanas est illo potentior? An qui tantum beneficium cōtulit, in rebus leuioribus deseret? Cur mundum à Christo debellatum formidamus? Si malam causam defendimus, cur non mutamus propositum? Si piam atque iustā, cur Dei promissis non confidimus? Causam hanc absque nostro consilio Deus gubernauit ad hoc usque tempus & protexit, idem quoque deinceps ad optatum finem perducet. Mihi quidem omnis hæc actio de doctrinæ cōcordia displicet. nam frustra hic labor sumitur, nisi regnum suum Pontifex aboleri totum velit. Quum hic esset rerum status, & offensionibus omnia paterent,



patent, Lantgravius foedere sex annorum sibi coniungit Tigurinos, Basilienses, Argentineses, vti cui vis fiat religionis causa, mutuum præbeatur auxilium. Eodem tempore Cæsar datis literis iubet Saxonem Electorem adesse Coloniam, creandi causa Romanorum Regis. Ea re cognita Saxo dimissis literis huc illuc, Lantgravium reliquosque Principes ac ciuitates Protestantes orat & hortatur, vt ad vicesimumsecundum diem Decembris Smalcaldię conueniant: sed interea filium suum Iohannem Fridericum Coloniam celeriter dimittit. Vbi Smalcaldiam omnes venerunt, foederis concipiunt formulam, non quidem offendendi quenquam, sed sui defendendi causa. Subscripserunt huic continuo Principes. Item Albertus & Gebartus Mansfeldici, Magdeburgum etiam atque Brema. Sed Argentoratum, Ulma, Constantia, Lindauia, Meminga, Campodunum, Heilbrunum, Rutelinga, Biberacum, Isna sic recipiunt, vt ad suos referant, & intra sextam hebdomadam nuntient quid velint. Georgium verò Brandeburgicum & Noribergam placuit per literas interpellari. Fuit & hoc decretum, Danię Regem & Pomeranum, item Megelburgium Principem, Hamburgum, Embecū, Northemium, Frācofurtum, Brunsvicū, Gotingā, Mindam, Hanobriam, Hildeffemum, Lubecam, Stetmum, aliasque ciuitates maritimas per legationem

esse sollicitandas. Cōfœderati Principes quos dixi, Smalcaldia dant literas ad Cæsarem die vicesimoquarto Decembris, siquidē ipso viuo & superstite Romanorum Rex creetur, & quidem frater germanus, ambiens atque rogās, videre ipsum, quē admodum id planē fiat, contra legem, contra ius atque libertatem Imperii, contrāque sponsonem atque pactum, & eam qua sit reipub. deuinctus, fidem. Causas creandi Romanorū Regis has in medium adduxit Cæsar in primo cōgressu Principum Electorum, Coloniae, Quia diuersis ipse regnis atque populis imperaret, neq; posset esse continenter in Germania: quia turbulentus admodum esset & periculosus orbis Christiani, precipuē verò Germaniæ status, propter disidiū religionis, propter vim atq; potētiam Turcarum, propter nuper excitatā seditionem atque bellum rusticanum: & quia per Imperium multa inofficiosē fierent ac minus obsequenter. Principes Electores à deliberatione Cæsarem orant, ne Germaniam deserat: sed in ea domicilium ac sedem sibi collocet. Quum autem in sententia persisteret, collatis consiliis, quinta Ianuarii die, Ferdinandum renūntiant Romanorum regem. Saxo, quod vnum poterat, creationem hanc esse vitiosam, explicatis causis, neq; sibi probari, per filiū disertè protestatur.

#### LIBER OCTAVVS.

**I**N superiori Smalcaldiæ cōuentu, hoc etiam inter alia placuit, quoniā aduersarii causam

M. D.  
XX XI.



atque professionem Euāgelii multis calūniis  
grauarent, & passim in summum odium addu-  
cerent, scribendum esse cum primis & Galliae  
& Angliæ Regi. Itaque datæ sunt literæ ad v-  
trunque eiusdem sententiæ. Februario men-  
se Saxoniae Princeps Elector, socios omnes  
conscribit, vt ad decimū nonum Martii diem  
adsint Smalcaldiae, deliberaturi de suscipien-  
da defensione contra vim hostilem, si qua for-  
tè fiat. Superiori cōuentu placuit, Daniæ Re-  
gem Fridericum de fœdere sollicitandum. Et  
Danus quidem amare se doctrinam Euangelii  
dicebat: sed multos esse per suum regnum E-  
piscopos valde potentes, tam opibus quàm  
clientelis & coniunctione nobilitatis, nec sibi  
integrum esse fœdus hoc inire tanquam Re-  
gem. Ad alias verò suas prouincias quod atti-  
net, quæ sint ditionis Imperii, non recusare.  
Priusquam fœdus iniretur, in consilium adhi-  
biti fuerunt, non iureconsulti modò, sed theo-  
logi quoque. Lutherus autem semper docue-  
rat magistratui non esse resistendum, & exta-  
bat eius hac de re libellus. Quum autem in hac  
deliberatione periti iuris docerent, legibus es-  
se permissum resistere nonnunquam: & nunc  
in eum casum, de quo leges inter alia mentio-  
nem faciant, rem esse deductā ostenderent: Lu-  
therus ingenuè profitetur, se neiciuisse hoc  
licere. Et quia leges politicas Euangelium non  
impugnet aut aboleat, vti semper docuerit:

deinde quoniam hoc tēpore tam dubio tām-  
que formidoloso multa possint accidere, sic  
vt non modò ius ipsum, sed conscientiæ quo-  
que vis atque necessitas arma nobis porrigat,  
defensionis causa fœdus iniri posse dicit, siue  
Cæsar ipse, siue quis alius fortè bellum eius  
nomine faciat. Dum Smalcaldiæ sunt, allatæ  
fuerunt eis literæ Cæsaris, in quibus hoc erat  
perscriptum, ex omnibus locis nuntiari de  
Turca, quemadmodum ingenti cum exercitu  
constituerit in Germaniam inuadere. Manda-  
bat igitur, vt sine exceptione conferrent auxi-  
lia. Respondent, quum pacem nondum imper-  
trarint, facilè cogitari posse, quàm sit ipsis in-  
commodum, quàm non consultum, vt in hoc  
dubio rerum suarum statu, quum & proscrip-  
tiones & vim hostilem expectare cogantur,  
præsidia sibi detrahant, ac veluti neruos inci-  
dant ipsi. Quum Vlmenses hoc ab Argenti-  
nensi Senatu flagitassent, Bucerus eò profes-  
ctus, ipsorum ditionis ecclesias constituit, &  
religionis formulam conscribit, adiutus ab  
OEccolampadio & Ambrosio Blaurero.

Sub hoc tempus in Belgium venit Maria,  
soror germana Cæsaris, quæ Ludouicū Hun-  
gariæ regem habuit in matrimonio. Hanc Cæ-  
sar amitæ suæ Margaritæ, quæ nuper è vita  
decesserat, substituit, & regionibus illis omni-  
bus præficit. Clementi septimo lis erat  
cum Alfonso duce Ferrariensi, de Rhegio &  
Mutina



Mutina. Tandem facta compromisso Cæsarem deligunt arbitrum. Is in Belgio quum esset, per hos ferè dies pro Ferrariensi pronuntiat.

Interim Principes & ciuitatù legati Francosurtum, sicut erat constitutum, conueniunt: vbi legati exponunt non videri consultum, vt propter titulum Ferdinando Regi tribuendum, litem vllam non necessariam subeant ipsi, aut periculum sibi creent. De Heluetiis in fœdus recipiendis, quod ciuitates valde cupiebant, Saxo per legatos respondet, Quoniam de Cœna Domini diuersum sequantur dogma, non sibi licere societatem cum ipsis vllam coire. Quanti sit ipsorum coniunctio propter vires atque potentiam non se quidem latere: sed eò sibi minimè respiciendum esse, ne tristis inde sequatur exitus: quod iis accidisse Scriptura testetur, qui muniendi sui causa, cuiusque modi præsiidiis vsi fuissent. Bambergenis Episcopus Wigandus, aliquot annis antè querimoniam habuerat ad socios Sueuici fœderis, de Georgio Brandeburgico, quòd suum ille ius ecclesiasticum interpellaret, quòd vectigalia sibi faceret deteriora, quòd facultates sacras aliò conferret, quòd sacerdotes ad nouum istud atque falsum doctrinæ genus congeret, aut si non parerent, eiiceret. Quum autem post variam disceptationem eius rei causa dies esset dictus hoc anno Norlingæ, mense Iulio: venerunt eò rogatu Brandeburgici

Heluetii  
in fœdus  
admittuntur.

Wigandus  
Bamber-  
berg.

Protestantium legati. Proponit actor, & quantum acceperit iniuriæ, quantumque damni, commemorat. Reus ea quidem parte, quæ propriè ad religionem & iurisdictionem ecclesiasticam pertinebat, interponit appellationem, & ab eorum edictis atq; iudicio pro-uocat ad Concilium. Interea Cæsar componendi dissidii religionis causa, conuentum indicit Imperii Spiræ ad Idus Decembris. Sed vndecimo Calendas Septembris ad Saxonem veniunt Guilielmus Nassouius, & Nuenarius Comites, magnæ propter virtutem auctoritatis viri: ac permissu Cæsaris de conciliatione agunt, & quinque omnino proponunt, de Cœna Domini, de ritibus Ecclesiæ, de bonis sacris, de auxiliis in Turcam, de Ferdinandi Regis electione. Quum sub exitum Augusti mensis Moguntini ac Palatini Principis legati Smalcaldiam venissent, Protestantium legatis exponunt de suorum Principum erga rempublicam atque patriam charitate. Quum enim infecta re sit Augusta discessum, ipsos, onçsiderata periculi magnitudine quod ex eo dissidio sit oriturum, non prius cõquieuisse, quàm Cæsar ipsis intercedendi, deque pace tractandi facultatem permetteret. Optimum ergo sibi videri, vt quæ conciliari Augustæ non potuerunt, Augustæ nunc denuo tractentur: & qui tunc fuit illius exitus, idem sit huius initium actionis. Initio Mensis Octobris Moguntino ac Palatino Principi Sa-



10 & Lantgravius rescribunt, & actione repetita superiori, de rebus propositis nihil agi posse cum fructu sine theologis, demonstrant. Se nimirum in ea, quam sint Augustæ professi, religione permanere. Verùm ne quid interea tumultuosè per Imperium fiat, orare se rursus & vehementer quidem, efficiant apud Cæsarem, vt eos qui doctrinam Euangelii vel iam profitentur, vel in posterum etiam profiteri volent, sinat vti pace, donec legitimi Cõcilii decretum & auctoritas interueniat.

Diximus antea de conuentu futuro Spira ad Idus Septembris. Cæsar autem quum de apparatu Turcico multorum literis atque nuntiis doceretur, in mensem Ianuarium anni sequentis diem producit, & Ratisbonæ locum indicit, vt Austriæ tanto esset vicinior, vbi bellum futurum videbat. Quomodo bellum illud, quod ante biennium Tigurini & Bernates erant facturi Quinquepagis, aliarum ciuitatum interuentu pacatum fuerit, libro sexto docuimus. Hoc autem anno recruduit vulnus: & vrbes illæ duæ locis omnibus occupatis, atque claustris viarum, ne quid ad illos deueheretur alimonix, prohibebant. Fuit hoc ad solstitium æstiuum. Et quæ res ad magnum aliquem motum spectaret, Gallix Rex, item Glareani, Friburgii, Soloturii, Appecellenses intercedunt, & pacis formulam concipiunt. Sed quæ hæc frustra fierent, Tigu-

Bellū ad-  
uersus Ti-  
gurinos.

rini & Bernates euulgato scripto, quemadmo-  
dum maximis illorum & variis iniuriis coacti,  
commeatu ipsos intercluserint exponunt. fuit  
hoc Septembris die nona. Quum autem  
Quinquepagici maximè rerum necessariorum  
inopia premerentur, silentio cōductis copiis,  
Octobris mensis die nono signa proferunt, &  
opinionē citius ad Tigurinorum fines perue-  
niunt: quibus in finibus erat iam antè dispo-  
situm à Tigurinīs præsidium circiter mille  
militum, & amplius. Et ii quidem suos mo-  
nent, crebris in oppidum dimissis nuntiis, vt  
mox aduolent. Sed tanta fuit hostium celeritas,  
vt hi vix egrè subsidio venire possent. Et  
quum iam superassent montem, quā faciendū  
erat iter, laborare suos in proxima valle, & in  
præsenti periculo versari cōspiciunt. Ibi tum  
ad virtutem sese cohortati, promiscuè decur-  
rūt de monte: cuius hæc erat natura, vt singu-  
laribus eundum esset. Ea res in causā fuit, quū  
vniuersi non possent in acie consistere, vt mul-  
titudine superati, plurimos è suis desiderarēt,  
ac terga verterent. fuit hoc vndecimo die O-  
ctobris. In cæsorū numero fuit Zuinglius.  
Nam Tigurinorum ita fert cōsuetudo, quum  
in hostem exitur, vt Ecclesiæ minister prima-  
rius vnā prodeat. Zuinglius etiā vir fortis ali-  
oqui & animosus, quū secū reputaret, quod si  
domi resideret, ac prælium fortè fieret aduer-  
sum, fore vt magnam ipse sustineret inuidiā,  
quasi

Mors Zu-  
inglii.



quasi concionibus quidem accenderet hominum animos, in ipso autem discrimine remollesceret, voluit omnino communem subire Martem. In corpus autem exanime valde sæuitum fuit: & vix etiã illius morte potuit odii acerbitas exaturari. Natus erat annos quadraginta quatuor, minor Luthero quatuor annis.

Per totum ferè mensem Augustum, visus antea fuerat cometa, & illis ipsis diebus mortem obiit Gallia Regis mater Loisia, Sabaudia ducis Caroli soror consanguinea. Bernates, qui finitimis Vnderualdiis erant facturi bellum: vbi rescuerunt, iubent Tigurinos bono esse animo, & auxilia pollicentur, & suis omnibus cum copiis breui sese ad futuros nuntiant: & hostis vlciscendi prouinciam sibi deposcunt. Vbi demum conuenissent omnes, quod fuit octauo circiter die post factum prælium, & Bernates aliquanto remissius agerent: Tigurini, quibus auxilia miserant Basilienses, & Schafusiani, & Sangallii & Mulhusiani, deligunt aliquot signa ex omni numero. Qui de nocte profecti, quiescebant in monte prope Mencingum, vt ad primum lunæ splendorem impetu facto, propinquum oppidum Tugium ex improviso caperent. Hostes verò, qui non procul inde confederant, quum id per indicium accepissent, celeriter arreptis armis ante lucem procedunt, & illos quiescentes inuadunt Octobris die vicefima quarta, magno

Cometa.

sublato clamore & vlulatu, quò plusterroris inferrent. Et quanquam superiores extiterunt Quinquepagici multis vtrinq̄ cadentibus, de religionis tamen studio nihil remittebant Tigurini. Pace demum facta per intercessionem, hoc etiam fuit additum, quod nuper cum Argentinensibus atque Lantgrauio fecissent foedus Tigurini, Bernates, Basilienses, vt ab eo discedant. Idem de Ferdinando faciant Quinquepagici. Sub finem Nouembris O Ecolampadius è vita decessit. Ex interitu Zuinglii maximum animo conceperat dolorem, eaque res morbum etiam auxisse putatur: erat enim coniunctissimi. Natus fuit annos quadraginta nouem. Extant eius in Prophetas aliquot lucubrationes, quæ valde probantur dotis. Cæsar initio mensis Ianuarii relicto Belgio Ratisbonam petebat, conuentus agendi causa. In itinere quum Moguntiam venisset ad Calendas Februarii, Moguntinus Archiepiscopus & Palatinus Princeps iterum de pace intercedunt, & actionem permittente Cæsare, Saxonem atque Lantgrauium monent, vt idem faciant. Itaque missis vltro citroque literis Schuinfurti, quod est ad Mœnum flumen oppidum, Imperii fit conuentus ad initium Aprilis. Ibi cœptum est agi de pace ad Concilium vsque seruanda. Principes intercessores ipsi aderant, & de præscripto Cæsaris hæc illis mandata proponunt, vt præter scriptum illud

Mors OE-  
colāpadii.

M. D.  
XXXII.



illud exhibitum Augustæ de religione, nihil  
 innouent, nihil doceant, nihil euulgent, & in- *Conditio-*  
 tra hos fines permaneant adusque Concilii *nes Prote-*  
 tempus. Ita tamen vt cum Zuinglianis & A- *propositæ.*  
 nabaptistis nihil habeant commune: ne per oc-  
 casionem religionis alterius ditionis homines  
 ad se pertrahant, aut in suam tutelam recipiãt:  
 ne quem suorum extra suæ ditionis fines do-  
 cere patiantur: vt ab omni temperetur contu-  
 melia: ne iurisdictionem, ritus atque ceremo-  
 nias ecclesiasticas interpellent: vt opem aduer-  
 sus Turcam ferant, & decretis obtemperent,  
 quæ ad républicam & administrationem Im-  
 perii pertinēt: vt Cæsari ac Romanorum Re-  
 gi pareant: & si quod fœdus contra Cæsarem,  
 Regem, aut diuersæ religionis ordines fece-  
 rint, aboleant. Hoc si faciant, sperare se fore vt  
 Cæsar atque Rex omnem superioris temporis  
 offensionem deponant. Multis vltro citroque  
 verbis habitis, quum vêtum esset ad extremũ,  
 neque propius coniungi possent, intercessores  
 pergendum esse tamen in actione ducebant: &  
 quò celerius ad Cæsarem omnia perferrentur,  
 Noribergæ conuentũ alterũ indicũt, ad tertium  
 Iunii diẽ. Ibi tandẽ, licet summa rei conciliari  
 non posset, tamen quòd irruente in Austriam  
 Turca, necesse erat omnes vndecunque vires  
 contrahere: Cæsar pacẽ publicã totius Germa-  
 niæ sancit, & ne religionis causa cuiquam vllò  
 molestia creetur edicit adusque Concilii tem-

pus: aut si nullum fiat, tantisper donec per ordines Imperii alia fuerit inuenta ratio dissi- dium hoc sanandi. Qui contrà fecerint, iis gra- uem constituit pœnam: & omnem operam se daturum ait, vt intra sextû mēsem Concilium denūtietur, & anno post inchoetur. Aut si hoc impetrari non possit, vt tum in Imperii comitiis de summarei tractetur. Itaque mandat vt interim actiones omnes forēses, religionis cau- sa iam intentatæ, suspendantur, neque posthac in Protestantes vllæ moueantur. & si quid for- tē contrà fiet, irritum esse iubet. Protestantes inuicem, qui tum septem erant Principes, & ciuitates viginti quatuor, obsequentiam & of- ficiū illi deferunt, & auxilia pollicentur ad- uersus Turcam. Hanc pacis formulam interces- sores decreuerunt Iulii die vicesima tertia: Cæ- sar autem Augusti mensis die secundo ratam habuit, & edicto publico deinde sanxit. In Augustæ conuentu decretum etiam fuerat, vt Cameræ iudiciū reformaretur. Delecti huius rei gratia quum Spirā venissent, leges faciunt, quæ partim ad iudices, partim ad aduocatos, partim ad litigatores pertinent. Huius emen- dationis formulam illi in conuentu, quem tum Cæsar Ratisbonæ agebat, exhibent. Cæ- sar communicato cum reliquis consilio, sibi placere illam affirmat, & paucula quædā adii- cit. Hoc anno Christiernus Daniæ Rex, in decimū nunc annua exul, cōparata classe cogi- rabat

Christiernus Daniæ rex.



tabat amissa recuperare. Sed captus mari, custodia traditus fuit: eodemque ferè tempore filius eius adolescens, quem Cæsar auunculus educabat, mortem obiit. Cæsar antea resciderat transactionem Alberti Prusis ducis cum Polonia rege Sigismundo. Quum autem Albertus in proposito maneret, proscriptus hoc tempore fuit à Camera, solitante Walthero Crombergo. Qua re cognita, Polonia Rex per legatum hoc in cõuentu docet, Prusiam esse antiquitus in fide & clientela sui regni. Petit igitur proscriptionem illam aboleri totam. Præcipua fuit in his comitiis belli Turcici deliberatio. Quumque literis quotidianis atque nuntiis adferretur Turcam premisissè iam multas equitum copias præter Danubium, decreta fuerunt auxilia. Itaque vicesimo septimo Iulii die finem habuit hic conuentus, & ad bellum sese comparabant omnes. Ad Idus Augusti Saxonis Princeps Elector diem supremum claudit. Ei succedit Ioannes Fridericus filius. Quum solymannus Belgradum venisset, deflectit ad læuam, & Giuntium oppidum arcemque frustra tentat, fortiter illud propugnante Nicolao Iurixio: deinde prædatum emittit ad quindecim equitum milia duce Casono. Is Lincium vsque suprâ Viennam excurrit: & longè latèque deuastatis agris, nullum immanitatis genus prætermittit. Quum verò pedem referret, in nostros equites, qui

Albertus  
Prusis  
dux pro-  
scriptus.

Bellum

Turcicum.

fuerat emissi, vt rapinis & populationibus illum prohiberent, incidit, & diuersis locis ad internecionem propè coccifus, tandem & ipse occumbit. Solymanus magis ac magis ad læuam tendens, Gratium petit oppidum Stiriaë. Quo cognito Cæsar, qui tum erat Lincii, deliberat quid facto sit opus. Tandem ea sententia vicit, vt castris omnibus ad Viennam positus hostem expectaret. Sic tandem Solymanus nulla re memorabili gesta discedit. Galliaë Regem Cæsar de auxiliis appellauerat: verum is respondit, vt quidem Cæsar tum referebat, Germaniam esse potentem satis, que sola Turcæ resistat. Angliæ Rex cunctanter etiam, neque satis apertè rescripsit. Heluetii licet à Cæsare sollicitati, non se commouerunt. Quum pedem Turca retulisset, Cæsar exercitum dimittit, quod hyems iam suberat, & Viëna contendit in Italiam. Mantuæ quum esset decima Nouembris die, datis literis ad ordines Imperii, fratrem suum Romanorum Regem per suam absentiam ait esse gubernaturum rempublicam. Se grauibus de causis è Germania profectum esse in Italiam: & ibi cum Pontifice vellegere de Concilio, sicut Ratisbonæ decretum sit. Pacem ergo colant omnes, quam nuper edicto sanxerit, & fratri non secus ac sibi ipsi pareant. Inde Bononia profectus, cum Clemente septimo venit in colloquium, deque religione & Concilio inter alia deliberat. Fœdus etiam cum eo facit, & cum cæteris Italiaë



Dynastis, aut potius renouat in sesquiannum:  
 verbo quidem pro tuenda Italiae pace, sed reue-  
 rane Gallis pateret aditus. Reclamabant forti-  
 ter Galliae regis legati: Clemens autem mone-  
 bat vt remissius agerent, tacite significans non  
 fore diuturnum. Adduxerat enim Caesar ma-  
 gnas Hispanorum copias, à quibus Italiam li-  
 berari Pontifex cupiebat. Itaque foedus hoc  
 probabat obsecutus tempori. Caesar post in  
 Hispania nauigat mense Martio: neque multo  
 post legatum Pontifex in Germaniam mittit Hu-  
 gonem Rangonum, Episcopum Reginum. Is ubi  
 demum ad Saxonem venit, comitatus legato Cae-  
 saris, Pontificem Concilii admodum esse cupidum  
 dicit. Sed quia res ipsa postulat vt de Concilii  
 futuri modo, deque tempore & loco prius deli-  
 beretur, habere se capita quaedam à Pontifice  
 notata, que formulam eius rei complectantur.  
 Quorum nonnulla pertineant ad modum & ordi-  
 nem, nimirum vt sit liberum atque commune,  
 & omnino tale, sicut patres habere consueue-  
 runt. Deinde qui sunt interfuturi Concilio, vt  
 illi<sup>9</sup> decreta se seruaturus esse spodeant: nisi e-  
 nim id caueatur, frustra sumi laborẽ omnẽ. De  
 loco videri Pontifici Placentiam aut Bononiam  
 fore non incommodam, aut certẽ Mantuam, quae sit  
 Imperii ciuitas, & Germaniae vicina. Post hunc  
 legatus Caesaris verba facit, petens vt narrationi  
 legati Pontificii fidẽ habeat, & benignẽ respõ-  
 deat. Saxo deliberatione interposita respõdet,  
 quia Caesar atque Pontifex hyeme superiori

Clemens  
 tis simulatio.

M. D.  
 XXXII.

datis Bononia literis ad ordines Imperii, lega-  
 tionis & Concilii futuri spem fecerint, ideo se  
 sociósque diem constituisse vigesimumquar-  
 tum Iunii diem, quò conueniãt Smalcaldia, de  
 re tota deliberaturi. Quapropter orare ne pro-  
 crastinationem hanc molestè ferant. Quum  
 deinde socii venissent, re deliberata, commu-  
 ni nomine per literas responsum fuit vltima  
 die Iunii, In conuentibus Imperii fuisse decre-  
 tum, vt vel omnium populorum, vel prouin-  
 ciã Germaniã Cõcilium fieret liberum atque  
 Christianum. Ideo nimirum his verbis, ne vel  
 illa sententia Pontificis, vel cuiusuis alterius  
 vis atque potentia causã præiudicaret. Dein-  
 de ne secundum leges Pontificias, & schola-  
 rum opiniones, verùm iuxta sacram Scriptu-  
 ram, in hac tota causã iudicium fieret. Nam si  
 cuius potentia plus valere debeat quàm sacræ  
 literæ, quàm legitima cognitio: quis dubitet  
 aduersus Pontificem frustra laborem omnem  
 & actionem suscipi? Satis enim esse notũ, quid  
 antea actis aliquot Conciliis profectum sit. Ete-  
 nim etsi de libero Concilio loquitur Põtifex,  
 tamen haud dubiè aliò spectat, quando hoc a-  
 git, vt sibi Reges atque Principes obstringat,  
 & vt Concilii nomine suam dominationẽ at-  
 que potentiam defendat, neue quis errores at-  
 que vitia reprehẽdat: aut si quis hoc moliatur,  
 non ferat impunè. Orant igitur vt Cæsar con-  
 siderata causã magnitudine, quæ vniuersam  
 remp.



remp. & omnes nationes complectitur, det operam vt legitimè res agatur: nam hoc ipſius eſt officium, eſque licere legibus, quando videlicet Pontifex veritatem impugnat. Prouidentiu enim eſſe, ne ſit & actor ille vel reus, & ſimul iudex. Erat tum apud Ferdinandum Regem Pontificis legatus, Petrus Paulus Vergerius. Et quia Reginus Epifcopus ætate erat prouectus & valetudine minus firma, Clemens Vergerio mandabat, ſiquidem illi quid accideret impedimenti, vt ipſe legationem ſubiret. Imprimis verò monebat, vt in memoria ſemper haberet, quæ ſua ſit de Concilio mens atque voluntas. Mandatis igitur & formulæ præſcriptæ diligenter inſiſtat, neque latum vnguem ab ea diſcedat, nec in anguſtias ipſum atque neceſſitatem peragendi Concilii coniciat, etiamſi fortè Rex Ferdinandus maximè vrgeat & inſtet.

*Clemens  
Papa à Cō  
cilio abhor  
ret.*

### LIBER NONVS.

Quum ad hunc modum reſpōdiſſent Proſtantes, facto decreto placuit theologis & iureconſultis dandum eſſe negotium deliberandi de futura Cōcilio actione. De Georgio Saxonix principe non ſemel diximus, quo modo & Lutherum priuatim, & publicè totam ipſius doctrinam odiſſet. Quum autem è ſuis eſſe multos intelligeret, qui Cœnam domini percipiendam eſſe dicerent iuxta Chriſti mandatum, eccleſiarum miniſtris iniūxit, vt iis qui

*Persecutio  
Lipsiæ ob  
doctrinam  
Lutheri.*

tempore Paschali de more veteri peccata sua confiterentur, & Cœnam Domini iuxta Pontificû decreta iumerêt, symbola quædam, ac veluti tesseras darent, quas illi post redderêt Senatui: quòd sciri possêt, quînam Pontificiû, qui verò Lutheri dogma sequerêtur. Itaque Lipsiæ, quod est eius regionis primariû oppidum, deprehêsi fuerûnt ad septuaginta sine symbolis. Hi Lutherum antea consuluerât quid factò esset opus. Ille per epistolam respondit, vt quicertò crederêt integrâ sumédam esse Cœnam, nihil agant contra conscientiam, & capitis discrimen potius adeant. Sic ergo cõfirmati, perseverant: & citati à Principe, quem eis propè bimestre tempus concederetur ad deliberandum, neque propositum mutarent, tametsi priuatim singuli sollicitarêtur, eiecti sunt oppido. Lutherus in ea, quam diximus, epistola, Georgium satanæ vocabat apostolum. Eares magnam excitauit turbam: & Georgius quidem datis ad patruelem Electorem Saxonix literis, accusabat illum, quòd non modò conuictum sibi faceret & contumeliam, sed suæ quoque ditionis homines ad rebellionem inflammaret. Elector ea de re Luthero scribit: & inter alia, nisi de oblato crimine sese purget, necessariò sibi in ipsû esse vindicandû ait. Hac igitur occasione Lutherus edito libello, criminationẽ illã refellit, & se cõsuluisse dicit illis, nõ vt Principi resisterent impia mandanti, sed  
exi-



exilium paterentur potius. hoc autē ad nullam pertinere rebellionē. Huic libello subiūxit epistolā, qua ciues Lipsenses exules consolatur.

Diximus de Cæsaris & Clemētis septimi colloquio. Quum autē in Hispaniā Cæsar redisset, Clemens rogatu Galliarū regis per mare Ligusticum venit Mafsiliam autumni tempore, & arctioris necessitudinis causa, neptē suam Catharinā Medices in matrimoniū dat Henrico

*Papæ ne-  
ptis Hēri-  
co nubit.*

Regis filio, Principi Aureliano, quindecim annorū adolescenti. Commoratus Mafsilię Clemens per mensem & amplius eō, priusquā domū rediret, in gratiā Regis atque Procerum, quos charos Regi esse videbat, Cardinales quatuor creauit Gallos. Quin ad status Italię mutationem hęc affinitas pertineret, nemo ferē dubitabat: & mirabantur plerique disparitatem coniugii. Sed & Clementem subdubitali se, neque prius credidisse ferunt rem agi ferid, quā in complexu illi venissent. Mensibus aliquot post, Lantgrauus ad Galliarū Regem proficiscitur, restituendi causa Vlrichi Principis Wirtembergici. Nam Lantgrauus magna necessitudine & propinquitate coniunctus erat Vlricho, Itaque agrum Mompelicarum Regi pro certa pecunię summa nomine Vlrichi oppignorat. Hoc tempore maxima rerum est facta per Angliam immutatio, quod sic accidit. Anglię Rex Henricus VII. duos habuit filios, Arturum & Henricum. Arturus in matrimonium duxit Hispanię Regis

M. D.  
XXX.  
IIII.

Henricus  
octavus  
Ang. rex.

Ferdinandi filiam Catharinam, mortuus non relictis liberis. Henricus pater, qui cuperet necessitudinem hanc perpetuari cum Hispanis, Iulii secundi Pontificis permissu Catharinam alteri filio tradi curat, quem deinde regni successorem habuit. Henricus igitur eius nominis octavus, quum à morte parentis eam duxisset, post complures annos in regno iam satis confirmatus, Episcopis aliquot animi sui scrupulum proponit, & in deliberationem adducit, An legitimum sit cum ea, quæ fratris fuisset vxor, matrimoniũ, & multos menses à congressu vxoris abstinuisse dicitur. Episcopi priuatim agunt ipsius mãdatu cù Regina, & Pontificis diploma non esse idoneum atque syncerum dicunt. Illa nunc serò cognosci de diplomate respõdet, quod olim approbarint. Cùmque res tenderet ad iurgium, imploratum est Romani Pontificis Clementis auxilium. Abortierat aliquando illa, neque fœtum vllum edidit diu vitalem, præter vnam puellam Mariam. Pontifex causam delegat duobus Cardinalibus, Campegio, quem in Angliam misit, & Eboracensi. Rex autem ne quid temerè videretur agere, misis internūciis per Galliam, Italiam, Germaniam, exquirat theologorum sententias. Et Parisienses quidem videbantur approbare, non sine largitionis opinione, sicut alii plerique. Cæterùm erat in gynecæo Reginz virgo quædam eximia pulchritudine,

Anna



Anna Bolenia. Hanc Rex adamare cœpit: nec obscure significabat se illam expetere coniugem. Hoc ubi Cardinalis Eboracensis animaduertit, Regi familiarissimus, quem auctorem fuisse diuortii dicunt, mutat propositum: & datis ad Pontificem literis, monet ne diuortium approbet. nam alioqui futurum, vt Catharinæ succedat altera, quæ Lutheri sit infecta dogmate. Quod ubi Rex per legatū suum, qui tunc Romæ erat, accepit, magnopere fuit offensus: & aliquantò post Eboracensi, qui & regni Cancellarius erat, & tres obtinebat episcopatus, primò magistratum abrogat: dein de binos episcopatus adimit. & tandem quum ille priuatam vitam agens domi suæ, voces quasdam emitteret insolentiores, & vindictæ studium præ se ferentes: mandat, vt dimissa familia, non magno cum comitatu ad se veniat. Sic ille, quum aliter non posset, in viam sese dat: sed in itinere priusquam ad Regem perueniret, quum ex animi ægritudine in morbum peracutum incidisset, vitam finit. Pontifex autem, vt Campegius discedendi causam aliquam haberet, litem ad se reuocarat: & quòd Annæ coniugium sibi perniciosum esse futurum videret, Regem subinde monet ac minis etiam territat, vt ab instituto discedat. Quum nihil proficeret, in gratiam Cæsaris secundum Catharinam pronuntiat, huius anni mensis Martii die vigesimo tertio, quum Rex

lz.

*Cardinalis  
Eboracensis  
cancellarius  
&  
beneficium  
priuatur.*

*Annæ Boleniæ  
coniugium  
Papæ  
perniciosum.*

*Primatus  
Pape ab  
Anglo reie-  
ctus.*

ante annum Catharina repudiata, & Maria fi-  
lia pronuntiata illegitima, duxisset alteram. V-  
bi sententiam contra se latam esse cognouit,  
& continuò decretum facit, quo se per Angliã  
ecclesiæ caput proximum à Christo pronun-  
tiat, & Pontificatum planè proiicit: & capitis  
pœnam constituit, si quis Episcopo Romano  
supremam potestatem ascribat. Tributum etiã  
annuum Romani Pontificis quæstori dari so-  
litum, denegat: & ne qua pecunia deinde Ro-  
mã deferatur, grauisimis verbis edicit. Et hæc  
quidem omnia de Senatus ordinũ regni, quod  
Parlamentũ vocant assensu. Quod de tributo  
diximus, sic habet. Inas Britaniæ Rex, ad annũ  
salutis D. CC. XL. opinione religionis ac pieta-  
tis, regnum suum Pontifici Romano cõgale  
fecit, & in singulas domos imposuit singulos  
nummos argenteos, quos vulgò vocabant san-  
cti Petri denarios. His ferè diebus monachi  
Franciscani cruentum ac funestum ediderunt  
ludum in Galliis, Aureliæ. Prætoris vxor eius  
vrbs testamento cauerat, vt sine pompa sepe-  
liretur atque strepitu, in æde Frãiscanorum.  
Qui indignè ferentes speratum bolũ sibi cre-  
ptum è faucibus, nouiciũ quendã adolescen-  
tem supra testudinem tẽpli collocant, qui stre-  
pitu se illius esse damnatum spiritum signifi-  
icaret, & è templo effodi corpus postularer.  
Conuicti sceleris monachi, publicè producti  
sunt

*Francisca-  
ni Aureli-  
anenses.*



sunt ad primarium templum, & ad eum vrbis locum, vbi supplicia fumuntur de maleficis, atque suū ibi scelus profiterētur. Cæterū in regno Pōtificio creberrima solebāt esse spectra. Nam demortuorum spiritus (vt credebatur) tumultuantes à funere, quamobrem vel essent damnati, vel ad tempus igni purgatorio, sicut vocant, affligerentur, exponebāt: & proximos agnatos vel amicos, vt miseris opem ferrent, sollicitabant. Frequens autē erat, vt aut vota, quæ diuis fecissent, persolui, vel pro sui liberatione Missarum aliquem certum numerum atque sacrificia fieri postularent. Ea res & opinionē purgatorii mirabiliter auxit, & Missis auctōritatem summā conciliauit, & sacrificis erat supramodum quæstiosa. Sed postquā innotuit, & aliquid roboris assumpsit Lutheri doctrina, paulatim euanuerūt eiusmodi spectra. Lāt-gravius vbi cū Gallia Rege pepigisset, primo vere copias cōscribit, & Maii die decimateria educto exercitu, Ferdinādi hostiles copias in fugam coniecit. Eo facto plāriq; omnes per agrū Wirtēbergicū in Vlrichi Principis potestatem redeunt. Post multā autē actionē Georgii Saxoniae Principis opera sic pactū fuit. Vlrichus Princeps, & ipsius hæredes masculi, sint Ferdinandi Regis, tanquā Austriae Principis, beneficiarii. extincta fortē familia Wirtembergica, nec extantibus masculis, Austriaci Principes eam regionem obtineant Imperiū

*Conditio-  
nes pacis  
inter Fer-  
dinandū &  
Vlrichum.*

beneficio & auctoritate. Vlrichus Ferdinan-  
 dum agnoscat pro Romanorum Rege, neque  
 fœdus vllum aduersus eū faciat. Lantgravius  
 & Vlrichus intra certum tēpus veniam petant  
 à Ferdinando Rege supplices, aut ipsimet aut  
 ipsorum legati. Ferdināus intercedat vt etiā  
 ipsis Cæsar condonet. Bello durante Wir-  
 tembergico Mediolani Princeps Franciscus  
 Sfortia secundus in matrimonium ducit Chri-  
 stinam Daniæ Regis captiui Christierni filiā,  
 Cæsaris è sorore neptem. Galliæ rex ei bellum  
 facturum erat: sed mors Clementis septimi, qui  
 cum fœdus antè fecerat, moram & impedin-  
 tum intulisse putatur. Nam Clemēs ad exitum  
 ferè Septembris diuturno stomachi vitio iam  
 senex sublatus est, & successorem habuit Pau-  
 lum tertium, Farnesium: qui non multò post  
 Alexandrū ex filio notho Petro Aloisio, val-  
 de adolescentem, & Ascanium ex filia notha  
 Constantia nepotem, creat Cardinales. Verge-  
 rium deinde vocat ex Germania, deque statu  
 regionis cognoscit, & cum Cardinalibus deli-  
 berat, quo modo sit impediendum nationis  
 Concilium, interea dum occultis consiliis ad  
 arma Cæsar, aliisque Reges excitentur. Placuit  
 tandem in Germaniā esse remittendum Ver-  
 gerium, qui generale, sicuti vocant, Cōcilium  
 promitteret, idque daret operam ne quid a-  
 stutè vel captiosè fieri putaretur: quod Cle-  
 menti nimirum acciderat. Vtque profectus ad  
 omnes

*Francif.  
 Sfortia II.  
 ducit Chri-  
 stinam re-  
 gis Daniæ  
 Filiam.*



omnes Principes, Mantuę futurum Conciliũ,  
 ac ibi de conditionibus agendum esse diceret.  
 Imprimis autem attenderet, quam vellent a-  
 ctionis esse formulã Protestãtes, vt ea peripe-  
 cta, modum eis deinde præscriberet atque le-  
 ges, quibus minimè venturos esse sciret. Man-  
 dauerat etiam vt Principum animos in Anglię  
 Regem accēderet, cuius ditionem omnem in  
 prædam dare cogitabat occupanti. Videret  
 præterea num qua ratione possent Lutherus  
 atque Melãchthon ab instituto dimoueri. De-  
 lecti quoque fuerunt Cardinales aliquot & E-  
 piscopi, numero ad nouem, qui formulam ali-  
 quam emendationis ecclesiasticæ conscribere-  
 rent. Interea per Galliam nouus exoritur  
 motus in eos qui de Lutheranismõ erãt quo-  
 quo modo suspecti: cuius quidem rei hæc erat  
 occasio. Lutetiæ Parisiorum & aliis quibusdã  
 in locis, & in ipso Regis palatio, ferè eodem  
 tempore, noctu chartæ quædam fuerunt affi-  
 xæ, in quibus de religione deque Missa cum-  
 primis multa erãt perscripta. Mox inquiri cœ-  
 ptum est ac inuestigari: & per indicium non-  
 nulli, quidam vero per suspitionem compre-  
 hensi, habita quæstione viui cremantur, horri-  
 bili sanè spectaculo. Nam ad machinam alli-  
 gati, & in altum sublati, deinde in ignem è su-  
 blimi demissi & rursum adducti, carnifice demũ  
 abscindente funem in subiectam flammã cor-  
 ruebant. His etiam qui paulo videbantur erudi-

*Persecutio  
 ob chartas  
 Lutetiæ  
 affixas.*

M. D.  
XXXV.

*Sex Pari  
sus ob con-  
fessionem  
Evang.  
exusti.*

*Rex tyran-  
nidem ex  
cusat.*

*Cæsaris  
expeditio  
in Africâ.*

tiores, antequam produceretur, lingua resecta fuit, ne vel supplicii causam, vel suæ doctrinæ summâ ad populû explicarent. Quum eius laniæ factum esset initium Nouembri mēse, Lutetiam Rex Ianuario post venit, & placandi numinis diuini causa, supplicationē facit ad templa diuorum, incredibili hominû studio atque cōkursu. Expiationis verò causa producti fuerunt eo die sex, qui machinis illigati, sicut antè dictum est, diuersis locis, quâ Regi domû redeunti faciendû erat iter, exusti fuerunt illo ipso temporis puncto, quû Rex præteruehatur, igni succenso, & ipsis misericordiam illius atque gratiâ implorantibus. Quum autem hoc ipso tempore Turcici legati essent in Galliis, eoque nomine Rex in odiû atque suspicionem vocari sese per Germaniam audiret: illa quoque supplicia, quæ diximus, multos offenderent, Calendis Februarii dat literas ad Imperii Principes omnes & ordines: ac illud de Turca primû excusat. Post alterû criminationis caput diluit: & vel contra suum institutum atque naturam, seuerum se fuisse dicit in homines quosdam audaces atque facinorosos, qui sub religionis prætextu, reipublicæ moliebantur excidiû. Cæsar Aprili mense Barchinone soluit, & in Africam cû exercitu profectus, quû Tunetem urbem & arcem Goletâ cepisset, Regem eius loci Muleassem Mahometanæ religionis, quæ Turcicus legatus Barbarossa



barossa finibus eiecerat, restituit, sibi que vecti-  
galem facit, arce communita valido praesidio.  
Barbarossa nostrorum incuria & errore dilap-  
sus, Hipponam, inde Argieram confugit, clas-  
semque reparauit, ac Byzantium discessit.

Erant in Anglia Ioanes Fischerus, Episcopus *Ioannes*  
Roffensis, & Thomas Morus, vterque celebris *Fischerus.*  
& eruditione clarus. & illius quidem multi sunt  
aduersus Lutherum editi libri. Morus etiam *Thomas*  
dum regni fuit Cancellarius, qui praecipuus est *Morus.*  
ibi magistratus, in suspectos de Lutheranismus

grauiter animaduertat. Hi neque diuortium  
Regis probabant, & multo minus decretum il-  
lud, quo Pontificis abrogata dignitate, profite-  
batur se caput esse totius per Angliam ecclesiam.  
Capti igitur quum in sententia permanerent,  
huius anni mense Iulio capite multati sunt. Ca-  
ptiuum Roffensem Pontifex creauit Cardinalem,  
eaque res odium Regis amplius accendisse cre-  
ditur. Sub fine mensis Octobris Mediolani  
Princeps Franciscus Sfortia decedit a vita, non  
relictis liberis. Ea res noui belli dedit occasio-  
nem, ut infra dicetur. Interea Caesar a Sicilia  
Neapolim venit, & literis inde datis vltima die  
Nouembris ad Protestantes, pacem Noribergicam  
feruaturum quidem, sed audire se dicit ipsos in-  
uadere & occupare Pontificiorum bona. & quum in  
iudicium idcirco vocentur, obducere pacem illam  
atque transactionem Noribergicam, nec illos resti-  
tuere. quod sibi & minus aequum videatur, & non

*Saxonia  
Princeps  
ad Ferdi-  
nandam  
proficiscitur.*

possit non esse molestum atque graue. Ad hoc ferè tempus Elector Saxonie Princeps ad Ferdinandum Regem iuit in Austriam, & rebus ibi confectis, quarum causa profectus erat, quum Pragam venisset, urbem Bohemie primariam, domum rediturus, interpellatus fuit à Petro Paulo Vergerio, Cæsari atque Regi Ferdinando placere Concilii locum Mantuam, quod Sacramentariis, Anabaptistis, & id genus aliis sectis Germania redundet, neque sit tutum exteris nationibus eò proficisci. Eos verò qui Pontificem existiment à suo iure, quod longo iam tempore sit cõfirmatum, velle discedere, plurimum falli. Quum in hac legatione Vergerius Lutherum quoque Wittembergæ conuenisset, ac è Saxonia rediret ad Ferdinandum Regem, in itinere Saxonem ab illo reuertentem offendit. Erat iam antea dies dictus Decembris dies sextus, quo Smalcaldiæ conuenirent Protestantes aliis de causis. Quum autem interim hæc legatio superuenisset, habita deliberatione, Decembris die vicesima prima per literas respondent. Multis viris bonis dolere plurimum, iniusta quorundam crudelitate veram atque salutarem doctrinam opprimi passim, & Ecclesie membra dilacerari, & manifesta vitia confirmari. Talem verò sæuitiam non illos decere, qui præfati sunt Ecclesiis, Futurum etiam nisi caueatur, vt hac agendi ratione profus deuastentur Ecclesiæ. Quapropter



pter si vnquam aliàs, nunc maximè opus esse Concilio. Quòd verò Mantuam Pontifex delegerit, omnino se sperare Cæsarem in eo nõ esse discessurũ ab Imperii decretis, nec à suis etiam decretis. Ante biennium à Clemente septimo promissum fuisse Concilium, additis conditionibus valde captiosis: nunc autem id quod præcipuum est, quòd Cõcili libertatem & cognitionis modum atque formam completur, partim insidiosè prætermitti, partim ad Pontificem referri, cuius esse dicat denuntiare & peragere Concilia. Pontificem verò, qui doctrinam ipsorum atque religionem toties damnarit, esse manifestum aduersarium. At si iudicium permittatur aduersario, iam sanè Concilium non posse esse liberum: in quo videlicet de voluntate Cæsaris, Regum atque Principum, ex omni numero deligendi sint homines idonei, qui iuxta verbum Dei causam cognoscant atque definiant. Nam & quosdam Episcopos à suis populis, & Pontifices à Cæsare simul & Ecclesia, propter errores & pertinaciam olim fuisse condemnatos. Se quidem non esse neglecturos vllò tempore cõmunem rempublicam: & sicut à vera doctrina recedere non possunt, ita etiam aliis in rebus omnia facturos esse concordia causa. Galliæ Rex qui iam planè constituerat in Italia belligerari, legatum misit Guilielmũ Bellaium Langæum, ad hunc Smalcaldia conuētum. Is decimono-

*Mantua  
delecta ad  
Concilium*

*Calumnia  
in fideles.*

*Ceremo-  
nia reli-  
gionis pe-  
dissequa.*

no Decembris die orationem habuit, & primò de suppliciis Regem excusat, illum animaduertisse quidem in suâ ditionis quosdam, sed hoc ad ipsorum iniuriã nullã pertinere, quum non idem quod ipsi, sed longè diuersa senserint. Regem solere de ipsis amanter & perhumaniter loqui, & ab ipsis agnoscere quãdam esse sanctissimè declarata, sed moderatì⁹ quẽdam fieri voluisse. Videre quidem illum & longinquitate temporis, & hominum indiligẽtia & superstitione ceremonias in Ecclesiam obrepssisse quasdam inutiles & superfluas. Verum vt omnes idcirco promiscuè tollantur absque decreto publico, min⁹ ei placere. Ceremonias enim esse velut adiutrices & pedissequas religionis, & singulis fuisse temporibus. Nũc quia temporum hic sit status, vt cõmune liberumque Concilium adhuc quidem cogi non possit, optimũ Regi videri, si Germani conueniãt interim omnes, & collatis sententiis rationem ineant concordie, quẽ faciliè sanciri possit: modò nihil obstinatè fiat, & errore deprehenso non pigeat mutare sententiã, & cedere meliora docenti. Si quidem hoc fiat, Regem ipsis in eo futurum socium & adiutorium. Nam & Paulum tertium Pontificem interpellatum à Rege super eo, fateri non sic esse traditionibus humanis insistendum, vt non pro conditione temporis & publicæ quietis causa, mutari possint: & si rectè atque ordine omnia fiãt, profiteri multa se temporibus, multa cõ-



muni concordiaē permissurum esse. Quod si ipsi etiā placeat, vt delecti aliquot Gallie viri docti & periti rerū sacrarū intersint huic actioni, vel si quos ipsi de suis in Galliā mittere velint ea de causa, lōgè hoc illi fore gratissimum: & ipsorū hoc arbitrio totum permittere. Diximus de Camera iudicibus, qui præter edictū Cæsaris, Protestantibus litem mouebāt. Hi iudices erant plerique omnes religionis Pontificiæ: & quum post bellum Austriacum in Italiam Cæsar redisset, ab ecclesiasticis interpellati, qui de Protestantibus habebant querimoniam, in ius illos vocabant, & omnibus exceptionibus reiectis, pergebant. Itaque Protestantes datis in Italiam ad Cæsarem literis, de sua molestia queruntur, & alterum impetrant ab eo mandatum. Quum autem Elector Saxonie Princeps aliis de causis Cadamum venisset per id tempus ad Ferdinandum Regem, queritur quid sibi, quid sociis accidat: & Ferdinandus edictum Cæsaris cōfirmat, & factam pacem obtinere iubet, & Camera mandat vt ab omni superfedeant actione. Sed illi nihil eo commoti procedunt. Protestantes igitur explicatis causis illos vti suspectos & aduersarios, more solēni recusāt: & arbitros designāt, qui de causis recusationis cognoscant, vtrūm legitimæ sint an minus. Illi autem interposito decreto recusationē hāc, vt iuri scripto & legibus Imperii contrariam, reiiciunt, & irritam pronuntiant. Venit deinde Saxo Viennam ad

*Protest.  
de Came-  
re iudici-  
bus que-  
runtur.*

*Protest.  
legato Gal  
licæ respõsio.*

Ferdinandum regem, & nouum rursus mandatum impetrat, sed & hoc frustra fuit. Ad ea quæ legatus Gallicus dixerat, responsum fuit, etsi de suppliciis illis varii sint rumores: tamen quia seditionem illos excitare voluisse dicat, non esse quòd Regis institutum ipsi reprehendant. Quod ad Concilium attinet, conditiones aliquot à Clemente septimo fuisse propositas, verùm eius generis, vt satis apparet, eum nõ posse ferre liberam cognitionem. Hunc verò Pontificem, etsi Cõcilium promittat, tamen de forma deque modo nolle tractari. Deinde indicere illud extra fines Imperii. Qua quidẽ ex re facile videri possit dolũ subesse ac imposturam, & hoc solum agi, vt sub nomine Cõcilii vera doctrina deleatur. Quod autem de cõmunicatione doctorum hominum in medium adduxerit, opus habere magna deliberatione. Legatus idem egerat priuatim cum Pontano, cũ Melanchthone, cũ Lantgrauianis & Iacobo Sturmio, de multis dogmatis, & quæ Regis esset de singulis opinio, quæ theologorũ sentẽtia per Galliã, Lutetiæ præsertim explicabat. In plerisque dicebat, Regem non esse alienũ à libro Philippi, quo locos ille tractat communes theologicos. De Pontifice verò placere dicebat Regi, non esse primũ neque præcipuũ iure Diuino, sed humano, sicut Philippus affirmet. Vulgatã quoq; de purgatorio igni opinionem defedi à theologis: nam ex eo

fonte



fonte manare Miffam, exequias anniuersarias, legata, & quicquid est nūdinationis. Miffa verò sublata, rationem ipsis omnem auferri tuenda potentia suæ, ac veluti neruos incidi sanguinis & vitæ. Quumque Rex illis aliquot esset largit<sup>9</sup> mēses, intra quos de purgatorio sententiam Scriptura docerent, hoc demum respondisse, aduersariis non esse porrigenda tela, quæ post retorqueāt. Ad vota monastica quod attinet, Regem putare posse hoc à Pontifice impetrari, ne qui iuuenes ante maturam ætatem illi vitæ generi deuinciantur, vt que liceat illis, quum videbitur, ab eo discedere, & contrahere matrimonium. De Cœna Domini integra percipiēda sermonem fuisse Regi cum Clemente septimo. Sperare etiam ab hoc impetrari posse Pontifice, vt facto decreto liberum permittat vsum eius rei pro cuiusque conscientia. Pergratum autem Regi futurum dicebat, si priusquam conueniatur, aliquot è precipuis ipsorum theologis, pauci tamen, in Galliam mittantur, qui cum Lutetianis conferant. Ad huiusmodi colloquium Regem esse delecturum aliquot præfractos & acres, & iis additurum esse quosdam non alienos à puriori doctrina: quò per hanc rationem veritas patefieri possit & elici. Præter ea quæ diximus magno studio sollicitabat eos, de fœdere cum Rege ineundo. Et hæc quidem erat potissima legationis causa. Quum autem ipsi Cæsarem exci-

*Vota monastica.*

*Cœna Domini.*

perent, aduersus quem nihil sibi faciendum esse demonstrabant, infecta re discessit. & priuatim ad quosdam, Mirari se quod tatum Regem negligerent, & tempus aliquando fore dicebat, quum illius coniunctionem magno redemptam cuperent. Angliæ quoque Rex Henricus octauus legationem eò misit, cuius erat princeps Eduardus Foxus, Episcopus Herfurtenfis. Legationis erat summa, Regis mandatu iam abolitam esse per Angliam magnam errorum partem, & de communi omnium assensu Pontificatum Romanum ac illius imposturas omnes è regni finibus exterminatas esse, non secus atque per Saxoniam. Quinque sit idè utrobique studium atque voluntas, Regem singulari quadam in illos accendi beneuolentia: & ante omnia cupere ut verus Dei cultus restitueretur, ad eamque rem perficiendam & tuendam, non recusare sese ipsi coniungere. Sic enim affectum esse erga religionem & ipsos, ut suas fortunas omnes & seipsum eò sit impensurus. Egerunt Protestantes summas Regi gratias, polliciti nulli se labori suo vel periculo parcituros esse, quò hæc tam salutaris doctrina cursum suum retineat: neque dubitare, quin Deus hanc omnem actionem regat, quantumuis etiam inuitis & reluctantibus aduersariis. Rogare autem ut Regi ista renuntiet, suumque illi studium commendet. Quum ad duodecimum Decembris diem à Ferdinãdo Rege Smal

*Foxus An  
glia Regis  
legatus.*

ET REIP  
Idi Saxo ve  
decreto, fo  
arrabat, re  
quao appar  
de pleret m  
at, modo do  
in comitis pr  
em subeant.  
reps, Virich  
is Bazarus B  
ortum, Camp  
ria. Guilielm  
tedus fuit ad  
ius peoper co  
one Chiamom  
za vsilli fice  
non se defu  
Hocetiam  
demum sub  
ogelii recipi  
ut fideles Ec  
um Regium m  
LIBER  
Vnc ad obl  
primi nomi  
paulo sunt  
Maceroc  
dem sedition



Smalcaldiã Saxo venisset, pridie Natalis Christi facto decreto, fœdus, quod annum adhuc vnum durabat, renouatur in annos decem, & de reliquo apparatu constituitur: & recipiendos esse placet in hoc fœdus, qui velint atque cupiant, modò doctrinam Augustæ propositam in comitiis profiteantur, & sortem communem subeant. In iis erant Pomeraniæ Princeps, Ulrichus Wirtembergicus, Robertus Bauarus Bipontinus, Augusta, Francofurtum, Campodunum, Hamburgum, Hanobria. Guilielmus etiam comes Nassouius in fœdus fuit admissus. Et quanquam Lantgrauius propter controuersiam inter ipsos de ditione Chattorum non assentiebatur, tamen si qua visilli fieret ob Euangelii professio-nem, non se defuturum dicebat auxilia petenti. Hoc etiam anno Senatus Augustanus omni demum sublata dissentione, doctrinam Euangelii recipit: & datis ad Lutherum literis, orat vt fideles Ecclesiæ ministros, & in his Vrbanum Regium mittat.

*Renouatio  
fœderis  
Pro: est.*

## LIBER DECIMVS.

**N**Vnc ad obsidionem Monasterii, quæ est primi nominis vrbs Westphaliæ, veniendū: sed paulo sunt quædam altius repetēda. De Thoma Mūcero diximus libro quinto, quem admodum seditionem multitudinis cōcitarit,

cuiusmodi fuerit ipsius doctrina, quis etiam vitæ finis. Ex huius officina prodiit genus hominum, qui propter actionem & ipsum dogma vocantur Anabaptistæ, qui tandem in ea vrbe, quam diximus, valde quidem munita, locum atque sedem occuparunt. Id autem sic accidit. Est non procul ab vrbe Monasterio diui Mauricii templum. In eo docebat Euangelium anno salutis nostræ millesimo quingentesimo trigesimo secundo, Bernardus Rotmannus frequenti ciuium auditorio. Quem quidam è ciuibus præstantiores in vrbem recipiunt. Quùmque à templis excluderetur, foris in porticu suggestum ei collocant. Nec multò post ille de consilio delectorum populi, missis literis in vicinam Hessiam Lantgrauianæ ditionis, petit viros aliquot bonos atque doctos ad se mitti, qui vnà secum Euangelii semetem ibi faciant. Itaque Marpurgo bini mittuntur. Quum eò ventum est, deliberant numero sex, quomodo pontificatum inde primo quoque tempore profligent. Ad eam rem hæc est visa ratio commodissima. Pontificios errores conscribunt, & in triginta circiter capita referunt, eaque Senatui tradunt, sic interim animo parati, vt nisi demonstrent è sacris literis hæc omnia cum Verbo Dei pugnare, nullam pœnã reculent. Senatus in curiam venire iubet Pontificios, & ea quæ diximus errorum capita proponit: & rogat, an ea quæ obiciantur, sacris literis

Bernardus  
Rotmannus



teris, confutare velint. Ad hūc modum inter-  
 pellati, quum magnopere Senatui rē esse cor-  
 di viderent, paucis respondent, nihil habere  
 se quo sua defendant. Quōd autem hucusque  
 dixerint, suum institutum esse probum atque  
 rectum, id opinione esse factum & ignoratio-  
 ne. Tum Senatus, quandoquidem erroris &  
 falsæ doctrinæ conuicti, nihil habent quod op-  
 ponant, & suam ipsi nequitiam agnoscant, iu-  
 bet, vt in posterum à docendi munere absti-  
 neāt: nouis autem doctoribus, qui detexissent  
 ipsorum imposturas, locum in templis omni-  
 bus permittant. Hi quum aliud non possent,  
 irati discedunt, & ad eius vr̄bis Episcopum  
 abeunt: & inito consilio, statuunt occupandas  
 esse vias omnes, ne quid in vr̄bem importari  
 possit annonæ. Episcopus erat Comes Fran-  
 ciscus Waldeccus. Monasterienses de nocte  
 profecti, quæ diem natalem Christi præcedit,  
 circiter nongenti, quum ex improviso venis-  
 sent, oppidulum in quo erant Pontificii, ca-  
 piunt: & occupatis portis ne quis euaderet, om-  
 nes comprehendunt. Episcopus fortè pri-  
 die discesserat. Mox in vr̄bem captiuos addu-  
 cunt. In iis erant primi nominis Pontificii, &  
 ex reliqua nobilitate nonnulli. Rogat ex iis Se-  
 natus, quid sit ipsorum voluntatis, & an Euan-  
 gelij prædicationem cogitēt posthac impedi-  
 re. Liberaliter illi respondent, se duros ope-  
 rā, vt ea doctrina vigeat. Itaque fit pactio. Hūc

*Monasteriē-  
 ses ecclesia-  
 stici erroris  
 conuicti.*

*Ioannes  
Leidenſis  
Anabapti-  
ſta.*

admodum rebus pacatis, venit Monasteriũ facinorator quidã Hollandus, Ioannes Leidenſis, Anabaptiſta vehemẽs. Is priuatim rogat ex Euangeliũ doctoribus in initio, quum in corũ sermonem familiariter ſeſe inſinuafſet, num arbi trentur paruulos rectẽ baptizari. Quũ affirmarẽt, cœpit ridere & cõtẽnere. Et hic quidẽ fuit veluti alter gradus ad nouũ iſtud doctrinã genus. Iãmque reſed̃ proceſſit, vt de Anabaptiſtis plurimus eſſet per vrbe ſermo: tametſi priuatim adhuc & occultẽ res ageretur. Nemo enim qui non eſſet ipſorũ ſectã, admittebatur. Deinde non profitebãtur iſta palãm auctores, neq; docebant, niſi de nocte: & quando reliqui ſomnũ caperẽt, tũc demũ ſua peragebãt myſteria. Sed re patefacta, quũ plãriq; ciues fremereẽt, & indignũ eſſe clamarẽt nouũ dogma clanculũ & noctu diſſeminari, ſit ſenatuscõſultum, quo iubentur auctores ab vrbe proficiſci. Verũ egreſſi, redibant alia via: & mandatum à Deo ſibi iactabant, vt i permanerẽt. Prouocati ad diſputationẽ publicã, quũ repudiarẽt cõditionẽ, cœperũt vulgõ cõtẽmni. Hãc verõ maculã vt eluerent, ex ipſis quidã, velut afflatus numine, per vrbe diſcurrit: & Pœnitentiã, inquit, agite, & rebaptizamini. ſin minus, iã ira Dei vos obruet. Hic cœptum eſt vulgõ tumultuari: & quicunq; rebaptizarentur, eadẽ quẽ ille, eodẽq; modo declamabãt. Tandem factõ concuſſu clamorẽ tollunt, & omnes non baptizatos

*Anabapti-  
ſtarum ſi-  
mulatio.*



zatos iubet interfici, tãquã paganos & impios. Deinde tormẽta publica & curiã inuadunt, & multis vim faciunt. Alii autẽ, vt se suosq; ab iniuria defenderet, aliũ quẽdã vrbis locũ, natura munitũ occupãt, & cõplures ex ipsis capiunt. Ea dimicatio eousque durauit, donec vtrinq; datis obsidib<sup>9</sup>, ventũ est ad cõpositionẽ: qua cautũ fuit, vt suã quisq; religionẽ sequeretur. Rotmãnus interim & Bernard<sup>9</sup> Cnipperdolingus facillẽ primus eius factionis, occultis misissis literis in oppida vicina, sui generis homines monebant, vti fortunis omnibus relictis, ad se quã primũ aduolarẽt. Oppidani autẽ, ii præsertim qui erant re lauta, quũ viderẽt externis hominibus vrbẽ cõpleri, subducunt se quã possunt cõmodissimẽ. Fuit hoc sub Bacchanalia, mense Februariõ 1534. Ad hũc modũ debilitatis alteri<sup>9</sup> partis virib<sup>9</sup>, Anabaptistã nouũ deligunt senatũ, suã factionis omnes. creãt quoq; cõsules, & in iis Cnipperdolingũ. Paulõq; post ædẽ diui Mauricii sub vrbẽ inuadunt, & cũ vicinis omnibus ædificiis incẽdunt. Deinde tẽpla omnia diripiunt, & primariã ædẽ intus labefactant. Mox per omnes vias cõfertim discurrunt, & primò quidẽ, Pœnitentiã, inquit, agite: mox verò, Migrate hinc euestigio, impii, nisi vitã discrimen subire vobis propositũ est. Simul armati cõcurrunt, & quicũq; nõ esset ipsorũ sectæ statĩ ex vrbe propellunt, nulla nec ætatis habitatione, neq; sex<sup>9</sup>. Ad hoc tẽp<sup>9</sup> primi nominis

*Cnipperdo  
lingus con  
sul creatus.*

*Mattheus  
bona vult  
esse cōmu-  
nia.*

apud ipsos Propheta (nam hoc sibi nomen v-  
surpant) Ioannes Mattheus, mādabat vt quod  
quisque haberet auri, argenti, rei mobilis, id  
omne deferret in medium, capitis proposita  
pœna. Hac edicti seueritate attonitus populus  
obtemperabat: nec integrum erat cuiquam fal-  
lere, aut partē aliquā defraudare. Nam puellæ  
quædam duæ vaticinantes, quod commissum  
esset fraudis denūtiabant. Post hæc idem Pro-  
pheta mandabat ne quis vllum deinceps li-  
brum haberet, aut sibi seruaret, præter sacra  
Biblia. Reliquos omnes in publicum deferri  
iussit, & aboleri. Hoc se mandatum diuinitus  
accepisse dicebat. Biduo ante Pascha decur-  
runt in templa, & simul omnes vbique campas  
impellunt. Aliquot pōst diebus vaticina-  
tur Cnipperdolingus, fore vt in summo gradu  
collocati deturbentur, alii autem è sordibus  
& imis emergant subselliis. Deinde iubet om-  
nia templa destrui. Itaque mos ei geritur: &  
quod è cælo venisse dicebat edictum, magno  
studio perficitur. His ipsis fere diebus Ioannes  
Leidensis gladium tradit Cnipperdolingus, car-  
nificemque eum cōstituit. Obsidebat interim  
urbem Episcopus, quæ aliquot locis fuerat op-  
pugnata. Sed quū eius per vim capiundæ spes  
nulla superesset, septem fuerunt extructa circū  
castella seu propugnacula, tollendi causa com-  
meatus, cum singulis peditum signis, & cohorti-  
bus aliquot equitū, qui ibi eisēt in hybernis.  
Post

*Cnipperdo  
lingus.*



Post frustra tentatam oppugnationem Ioannes Leidenſis ad quietem ſeſe componit, & totum triduum ſomniat. Expergefactus nullo verbum facit, ſed chartã poſcit, in eaque duodecim viros deſcribit, qui ſummæ rerum præſent, & tanquam in Iſraele cuncta gubernarent. hanc enim Patris cæleſtis voluntatem eſſe dicebat. Deinde dogma proponit, virum non eſſe deuinctum vni coniugi, & licere quantumuis multas in matrimonium ducere. Mox ille ternas ducit vxores: quod eius exemplum alii poſtea ſequuntur: ita vt etiam in laude poneretur frequens matrimonii repetitio. Ad octauum Calendas Iulias oritur Propheta nouus, aurifex. Is conuocata in forum multitudine, commemorat Patris cæleſtis hoc eſſe mandatum & voluntatem, vt Imperium totius orbis terrarum Ioannes Leidenſis obtineat, vt cum validiſſimis copiis egreſſus, Reges atque Principes omnes promiſcûe interficiat, & multitudini ſolum parcat, iis videlicet qui iuſtitiam ament, vtque ſedem Dauid patris ſui obtineat, donec regnum pater ab ipſo repetat. oppreſſis enim impiis regnatos eſſe pios in hac vita. His rebus palam pronuntiatis, continuò Ioannes Leidenſis in genua procumbit, & ſublatis ad cælum manibus, Per multos, inquit, dies hæc mihi res comperta fuit, viri fratres, neque tamen eam diulgare volui. nam fidei faciendæ cauſa Pater alio eſt vſus adminiſtro.

*Somnium  
Leidenſis.*

*Aurifex  
propheta.*

Sic ergo Rex factus, ilicò duodecim viros abrogat, & pro consuetudine Regum deligit sibi proceres. Coronas etiã duas, & vaginam, & torquem, & sceptrum, & alia id genus ornamenta sibi parari iubet, ex auro lectissimo. Deinde certos cõstituit dies, quib<sup>9</sup> palàm audiret omnes. Quoties in publicum prodiret, comitatus erat suis officariis & proceribus domesticis. Proximè eum sequebantur adolescentuli bini equites, dexter coronã & Biblia gestabat, alter euaginatam ensẽ. Durãte obsidione librum conscribunt & edunt, Restitutionem ipsi vocant. In hoc libro tradunt inter alia, regnum Christi futurum esse eiusmodi ante supremũ iudicii diem, vt pii & electi regnent, impiis omnino deletis vbique. Tradunt etiam populo licere magistratum abrogare. Item, etsi nullum habuerunt mandatum Apostoli vsurpan dæ iurisdictionis, tamen eos, qui nunc sunt Ecclesiæ ministros, debere sibi sumere ius gladii, pèrque vim constituere nouam rempublicam. Ad hæc neminem, qui non reuera sit Christianus, in Ecclesia tolerãdum esse. Tum & illud, non posse quenquam fieri saluum, nisi facultates omnes in cõmune deferat, nihilque proprium possideat. Lutherum etiam & Pontificem Romanum aiunt esse falsos prophetas: Lutherum tamẽ altero deteriorem. Sed & matrimonium eorum, qui vera fide non sunt illuminati, pollutũ & impurũ, ac pro scortatione vel adulterio potius habendum esse dicunt.

*Liber Restitutio nominatus.*

*Anabaptistarum doctrinæ summa.*



Hæc illorum dogmata cum primis oppugnabant Melanchthon, Iustus Menius, Urbanus Regius. Paucis deinde post hebdomadis, Propheta nouus, quem antea diximus, tuba canit per omnes vias, & edicit vt ad primarii templi vestibulum armati conueniant: nam ab vrbe profligandum esse hostem. Quum eò ventum est, cœnam reperiunt paratam. Insi discumbunt ad millia quatuor. Deinde cœnant etiam ii qui interea fuerant in excubiis, circiter mille. Rex & Regina cum suis domesticis ministrat. Sumpto cibo, iamque ferè peracta cœna, Rex ipse panem singulis porrigit, his verbis, Accipite, comedite, annunciate mortem Domini. Regina verò poculum porrigens, Bibite, inquit, & annunciate mortem Domini. Post ille, quem diximus, Propheta conscendit in suggestum, & rogat an verbo Dei velint obtemperare. Quum affirmarent omnes, Patris, inquit, mandatum est, doctores verbi esse emittendos circiter viginti octo, qui ad quatuor mundi plagas profecti, doctrinam, quæ in hac vrbe celebratur, denuntient. Nominatim deinde recenset eos, & quò quemque proficisci oporteret demonstrat. Hi quum egressi ad locum quisque suum venissent, excitato per oppida clamore, monent vt pœnitentiam agant homines, alioqui breui perituros. Post habitam quæstionem, quum in proposito manerent, nec vllum agnoscerent Magistratum,

*Cœna Monasterii celebrata.*

Anaba-  
p: Statum  
comentiū.

præter suum Regē, capitis poena multati sunt. Falsi fuerant expectari copias è Frisia & Hollandia. Simul ac istæ venerint, Regē omni cum exercitu proditurum, vt mundum sibi subiciat, interfectis Regibus ob non administratā iustitiam. Iam autem erat vrbs adeò graui- ter & angustè circumfessa, nullus vt quicquam pateret exitus. Itaque ciues inedia veriti, & de suo periculo solliciti, cogitabant comprehendere Regem, & vinctum tradere Episcopo. Rex autem qui per indicium rem cognouisset, ex omni multitudine deligit sibi duodecim, quos maximè sibi fideles putabat, & singulis attribuit partem aliquam vrbs tuendam. Deinde toti multitudini promittit fore, vt ad Pascha liberentur ab obsidione simul & inopia. Quos verò delegerat duces, iis ampliora multò promittit, & rerum dominos ait futuros. Nominatim etiam quam cuique prouinciam, quas arces atque prædia daturus esset, exponit. Ingrauescente verò annona per vr- bem Februario mense, sic vt nonnullis etiam fame acrerum inopia pereundum esset, quæpiam ex Reginis miserata vicem populi, fortè ad alias dixit, non putare se Deum hoc velle, vt ad hunc modum homines inedia consumatur. Rex qui penum haberet instructam domi, non ad vsum modò necessarium, sed ad luxum etiam, vbi rescuit, in forum illam producit, & vnà reliquas omnes: & in genua considere ius-  
fam



sam capite plectit, & mortuam ignominia no-  
 tat ut scortum. Eo facto reliquæ concinunt,  
 & Patri cælesti gratias agunt. Deinde choream  
 Rex ducit: multitudinem etiam, cui præter pa-  
 nem atque salem nihil iam erat reliquum, ad sal-  
 tationem atque læticiam cohortatur. Quum  
 venisset Pascha neque liberatio appareret vl-  
 la, Rex qui magnificè promiserat, vt ad excu-  
 sationem aliquid inueniret, per sex dies agritu-  
 dinem simulat: post in forum prodit, & asino  
 cæco se insedisse, totiûsque multitudinis pec-  
 cata sibi Patrem imposuisse dicebat. Nunc igitur  
 ipsos planè esse mundos, & ab omni piaculo  
 solutos. Hanc illam esse quam promiserit li-  
 berationem, qua quidem debeant esse conten-  
 ti. Quum intra urbem iam res in eum esset  
 deducta casum, vt fame complures quotidie  
 morerentur, multi etiam aliò discederent, ac  
 foras prodirent adedò tenues & afflicti, vt etiã  
 hostis vteretur in eos misericordia, belli duces  
 monebant oppidanos, quòd si Regem & pau-  
 cos præterea quosdam traderent, ipsis nihil fu-  
 turum esse fraudi. Ciues etsi vehemèter opta-  
 bant, seueritate tamen & vigilantia Regis de-  
 territi nihil audebant, tam enim erat Rex ob-  
 stinatus, vt quandiu superesset quod ipse cum  
 paucis ederet, non esset facturum deditioem.  
 Rebus ad extremum in vrbe adductis, duo qui-  
 dam profugiunt. Ex iis vnus capitur à militibus,  
 alter interposita fide ad Episcopum venit: &

*Rex in-  
 dia mace-  
 ceratos ad  
 choream  
 impellit.*

*Monasterii  
expugna-  
tio.*

utrumque potiundæ urbis rationem ostendit. Iunii die vicesimaquarta, noctu sub horâ vndecimam copiæ silentio ad urbem accedunt: & industria perfugæ, milites aliquot delecti, per fossam in vallum perueniunt, interfectis excubitoribus. Hos alii subsecuti, portâ minorem offendunt patentem: & circiter quingenti cum ducibus aliquot atque signis, in urbem inuadunt. Quinque initio resisterent oppidani, & occupato foro sese communiuissent: re desperata veniam petunt, & impetrant. Rex autem & Cniperdolungus in hoc ipso tempore capiuntur. Rotmannus abiecta spe salutis, quum in cõfer tam hostium turbam incurrisset, cõfoditur, ne viuis in illorum veniret potestatem. Vrbe capta, Episcopus dimidiam prædam & tormenta sibi sumpsit. Postea dimissis copiis, duo tantum signa sibi seruat, præsidii causa. Rex & socii duo, captiui, ducebantur huc illuc ad Principes, spectaculi & ludibrii causa. Per hanc occasionem Lantgrauiani concionatores cum Rege sermonem cõferunt, & disputationem ineunt de his potissimum dogmatis, De regno Christi, de Magistratu, de iustificatione, de Baptismo, de Cœna Domini, de incarnatione Christi, de coniugio: & Scripturæ testimoniis eò proficiunt, ut illum quãtunvis reluctante, suaque defendentem: & si non mutarent totum, flecterent tamen atque labefactaret. Quum essent adducti Telgetum, Rex ab Episcopo rogatus, qua fretus auctoritate tantam sibi licentiam

*Lantgrauianorum  
cum Rege  
disputatio.*



arrogasset in suam ciuitatem atque populum: rogat inuicem, quis ipsi ius & imperiū in eam ciuitatem dedisset. Quinque responderet Episcopus, de collegii populique voluntate sibi ditionem hanc obuenuisse, refert ille & eò diuinitus se vocatum. Decimo tertio Calendas

M. D.  
XXXVI.

Februarii Monasterium reducuntur, & singulis attribuitur custodia separatim. Quod secutum est biduum, piis admonitionibus datum est, vt ab errore deducerentur. Et Rex quidem agnouit peccatū, ac precibus ad Christū confugit. Reliqui duo nec vllum fatebantur delictū, & obstinatē sua defendebant. *Regis ac sociorum executio.* Postridie Rex in locū editiorē productus, alligatur palo. Ad erant bini carnifices, ac forcipes igniti. Ad tres primos morsus cōticuit. Deinde misericordiā Dei continenter implorans, quum horā & amplius ad hunc modum laceratus esset, trāfacto demum per pectus mucrone, decessit. Idē supplicium & socios eius perculit. Extincti caueis ferreis illigātur singuli, & ad summam turrim vrbis exponūtur pensiles: Rex quidē medius, & quanta est hominis statura sublimius illis.

Huius anni mense Ianuario mortem obiit Catharina, quam ante annū tertium Henricus Angliæ Rex repudiauerat. Bellum tunc Geneuensibus aliquandiu fecerat Sabaudie Princeps Carolus, adiutus ab eius vrbis Episcopo, vel potius instigatus: partim ob Euangelii profersionem, partim aliis de causis

Sabaudus  
Geneuam  
adoritur.

*Bernates  
Sabaudie  
partem oc-  
cupant.*

Erant autem Geneuenses Bernatum Heluetiorum focii:& tandem ab illis adiuti summis copiis, vim hostilem reiciunt. Et Bernates progressi, quicquid ipsorum finibus erat opportunum, occupant, ad Lemanium vsque lacum. Faciebant idem reliqui quoque Heluetii, quorum ad fines Allobroges pertingunt. Dum hæc geruntur, Galliarum Rex, qui multo antè constituerat in Italia belligerari, maximè verò post mortem Fracisci Sfortiarum, vere primo conscriptis copiis, bellum & ipse Sabaudiarum Principi facit, auunculo suo, propter cõtrouersiam hæreditatis, quam sibi deberi dicebat, ab illo possessam & vsurpatam. Sabaudus iam antea debilitatus, & impar hosti tam valido, breui tempore ferè totis finibus eiectus fuit. Rex enim superatis Alpibus Pedemontanam quoque regionem inuadit, & inter alia præcipuum iis locis oppidum Taurinum capit, & opere præsidioq; munit, ductore Philippo Schaboto Amiralio. Habebat in matrimonio Sabaudus Emanuelis Lusitaniarum Regis filiam Mariam, Cæsar autem Mariarum sororem Isabelam. Et superioribus quidem annis neutri se dederat ille: quum autem nunc ad Cæsarem inclinare videretur, Regem è sorore cõsanguinea Ludouica nepotem in se cõcitauit. Sunt qui dicant Clementem Põtificem, quotempore Marsilię fuit, Regi consiliũ hoc dedisse, vt si Mediolanũ aliquando recuperare vellet, vicinã Sabaudiam atq; Tauri-

*Quid Re-  
gem in Sa-  
baudum  
im pulit.*



nos primùm occuparet. Vt cūque sit, Rex anno sequēti noua quadam cōsuetudine, per sui regni prouincias instituit milites legionarios, ad quadraginta circiter millia, qui sese armis exercerent. Quum enim antiquitus Galliæ Reges plurimùm valeant equitatu, quem alunt perpetuum, iste peditatū etiam voluit habere delectum, ne semper opus esset externo milite. Erat autem propositi Regis producere exercitum, & bellum in Insubria facere, quod principatum Mediolanensem recuperaret. Vbi primùm de conatu Regis Cæsar intellexit, Neapoli Romam venit initio Aprilis, & aliquot post diebus, senatum sibi dari petit: & in frequenti cœtu Cardinalium, præsentē Pontifice & exterorum Regum legatis, orationē habet grauem & vehementem in Galliæ Regem, qui rupto fœdere, & inueterato quodam odio, pulcherrimos ipsius & sanctissimos conatus impediret. Exitus orationis erat, vt diceret se paratum esse cum illo dimicare singulari certamine, quod videlicet alterius priuato potius quàm publico totius orbis incommodo belli finis aliquando fiat. Priusquam Neapoli discederet, fœdus cum eo Veneti fecerunt in Turcam. Interea Pontifex Vergerium reuocat è Germania. qui magna celeritate Romam reuersus, legationem renūtiat, Protestantes Concilium postulare liberum & Christianū, & quidem intra fines Imperii loco opportuno, quod

*Legionari-  
orum in  
sitiutio in  
Gallia.*

*Querimo-  
nia Casa-  
ris.*

Cæsar sit ipsis pollicitus. Luthero cæterisque nullam esse spem, nisi opprimatur. Ad illud de Rege Britannia Protestantes minimè assentiri, cæteros verò Principes mirè frigere, Georgiū autem Saxoniae ducem affirmare, maximum esse periculum à Lutheranis: quod sanè non alia ratione depelli possit, aut euitari, quàm si bellum Cæsar illis atque Pontifex quamprimum faciant. Supra dictum est de legatione Britanica. Cum iis actum fuit Smalcaldiaë certis conditionibus, ut puram Euangelii doctrinam Augustæ propositam, & post explicatam, Rex propaget: & in legitimo Cōcilio, si quod erit, vnà cum ipsis defendat. Et sicut doctrinæ sese Rex cōiunxit, ita quoque fœderi coniungat, eiusque dicatur patronus & defensor. Quum ad Regem hæc postulata legati misisset, Wittembergam profecti, reliquam ibi hanc emem transigunt, & interea cum theologis ibi disserunt de dogmatibus. Imprimis autem sollicitabant, ut diuortium Regis, theologis probarent. Sed hi non se posse per Scripturam dicebant. Concepta deinde fuit actionis instituendæ formula, quam in Angliam mittendi legati sequantur. In ea cautum fuit inter alia, quum eò venerint, & de fœdere fortè decreuerint, ut in rebus omnibus Imperium atque Cæsarem, cui fide sint atque iureiurando deuincti, clavis verbis excipiant. Ciuitatum nomine fuit ad legationem designatus Iacobus

Stur-

*Angli diuortium  
Scriptura  
approbati  
nequit.*



Sturmius: theologi verò Melanchthon, Buce-  
rus, Georgius Draco. Recepti sunt in fœdus  
hoc in conuentu Wirtēbergicus Princeps VI-  
richus, Berninus & Philippus fratres, Pome-  
riæ Principes, Georgius & Ioachimus An-  
haldii, fratres. Item Augusta, Francofur-  
tum, Campodunum, Hamburgum, Han-  
nobria.

De Geogio Saxonæ Príncipe sæpe dixim⁹,  
quomodo Lutheri doctrinā inde ab initio ve-  
hemēter odisset. Quū ergo per hāc occasionē  
variæ lites inter ipsum atque Saxonē Electorē  
patrualem, huius parentem, nascerētur, ita de-  
mum transacta res fuit, ne quod religionis cau-  
sa dissidiū sit: verū in eo sese gerat vterque,  
quemadmodum id putent Deo se posse pro-  
bare. Deinde vt & alterutrius & vtriusque  
pariter beneficiarii seu clientes, cuiuslibet re-  
ligionis, eodem sint iure, quo prius. Nam  
habet vterque Princeps permixta dominia.  
Quod quidem pacis retinendæ gratia, con-  
sultò maiores ita constituerunt, vt vter eo-  
rum vellet mouere bellum, suis ipse finibus  
atque populis damnum dare cogeretur. Geor-  
gius autem ea postposita transactione, qui-  
busdam Ecclesiasticis ditionis Electoris, an-  
nuos prouentus, quos in ipsius agris haberent,  
non multò pòst, eò quòd Lutheri doctrinā se-  
querentur, denegabat. Mortuo verò Saxone,  
Ioannes Fridericus cœpit per legatos & per

*Georgius  
Lutheri do-  
ctrinam o-  
dit.*

*Concilia-  
tio frustra  
tentata.*

litteras cum admonere pacti. Sed ille minus amice demum rescribens, veluti per contumeliam obiecit inter alia, defectionem ab Ecclesia & à Pontifice atque Cæsare. Quúmque post multam actionem hoc demum anno frustra rursus esset tentata conciliatio: per legatos Elector hoc in conuentu rem omnem sociis ordine commemorat, & ope auxilióque iuuari se petit, si quam ille fortè cum suis vim paret. Ad decimum deinde Maii diem dimittitur conuentus. Initio autem Iunii Angliæ Rex coniugem suam, Annam Boleniam, adulteri damnatam & incestus, capite plectit, quã filiam ex ea procreasset Isabelam. Ea res legationem, de qua diximus, Anglicanam sustulit.

*Legatio ob  
ecclesiasti-  
corum bona.*

Inflammato iam bello Cæsarum cum Galliæ Rege, Paulus tertius Iunii die secundo Concilium Mantuæ indicit. Subscripserant diplomati Cardinales viginti sex. Interea Protestantes legationem mittunt in Italiam ad Cæsarem, & illud de occupatis Ecclesiasticorum bonis, qua quidem de re Cæsar cum ipsis per litteras exposulauerat, excusant, & de Camera iudicio queruntur. Sed antequam legati peruenissent eò, Cæsar Iulii die septimo Saulitia oppido litteras dederat ad Protestantes, licet ipsa quoque re præstiterit adhuc quod scripsit: tamen quia Galliæ Rex, cui nunc obuiam ire cum exercitu cogatur iniqua molienti, falso suggerat ipsis, quasi nactus occasionem sit



fit, violaturus inducias atque pacem, ideo se  
 rursum his ipsos literis voluisse cōmoneface  
 re, nequid eius rei credant, nec ad vllum motū  
 se excitari patiantur. Collectis iā viribus, &  
 per mediam Italiam facto itinere, valido cum  
 exercitu Cæsar in Prouinciam Galliam inua  
 dit, Rex ad Auenionē castra posuit, inter Rho  
 danū & Druentiā flumina: & deuastatis agris,  
 qua parte Cæsarem esse descēsurum videbat,  
 quū pugnādi potestātē nō faceret, in summas  
 illum difficultates coniecit. Nam inopia rerū  
 omnium Cæsar adductus, & multis hominum  
 millibus ex inedia & contagione desideratis,  
 Antonio quoque Læua sublato, quū reliquas  
 copias dimisisset, Genuam redit. Alter eius ex  
 ercitus per eam astatem in Veromanduis bel  
 lum faciēs, oppidum Peronam obsedit, Hen  
 rico Nassouio ductore. Verūm infecta re, per  
 idem ferè tempus, quo Cæsar ex Prouincia, dis  
 cefsit. Vtriusque rei allatus nuntius Lutetiam  
 eodem die, magna lætitia ciuitatem affecit.  
 Nam valde trepidatum fuit. Sub huius ini  
 tium belli vitam finiit Gallix Regis filius natu  
 maximus, Franciscus, octodecim annorum a  
 dolescens. Veneno periisse fama fuit, & Ita  
 lus quidam Sebastianus Moncucullanus in sus  
 pitionem vocatus, habita quæstione, diuersis  
 equis Lugduni fuit distractus. Et Rex datis  
 postea literis ad Germanix Principes, inter a  
 lia grauem ea de re querimoniam habuit, in

*Cæsar Pro  
 uinciam  
 inuadit.*

*Perona ob  
 lissā.*

Antonium Layam & Ferradum Gonzagam, Cæsaris ministros, omnem inuidiã facti conferes. Archiepiscopus Coloniësis Hermannus, quum iam olim emendationem Ecclesiæ cogitaret, hortatu suorum, prouinciæ suæ Concilium cogit in hoc tempore, vocatis eò reliquis, vti fieri solet, suæ ditionis Episcopis. Facta sunt ibi decreta de ceremoniis atque doctrina. Post etiam eius rei liber fuit editus, quem Ioannes Gropperus, iuris Pontificii professor, composuit: in quo pleraque omnia dogmata Pontificia, nouis interpretationibus & veluti coloribus vestiuntur. Hoc ipsum verò scriptum, neque tum satisfaciebat, licet ederetur: & aliquot post annis Episcopo minus placuit. Ad hoc etiam tempus, Iulio mense decessit è vita Erasmus Roterodamus, septuaginta circiter annorum senex. Basilieæ sepultus, quo remigrarat Friburgo relicto. Per occasionem profligati Pontificatus, & repudiatae filiaë Mariæ, quam vulgo diligebant, & suppliciorum, quibus nonnulli fuerant affecti, quòd Regiis edictis nõ obtemperassent, nata fuit grauis per Angliam seditio: quæ breui tempore sic exarsit, vt Rex conductis copiis obuiam illis procederet. Quum autem castris vtrinque positis, in colloquium esset ventum, demulsis quorundam animis reliqua turba discessit ab armis: & quum iam æstº ille deseruisset, capite plarique multati fuerunt



runt eius motus auctores. Mense Septembris Pontifex aliud scriptum euulgat, & interea dū fiat Concilium, velle se dicit sanctam ciuitatem Romam, totius orbis Christiani caput, & doctrinæ, morum atque disciplinæ magistram, emendare, & ab omnibus eluere sordibus atque vitiis, vt sua nimirum domo rectè purgata, reliquas eò facilius purgare liceat. ideo se Cardinales aliquot delegisse, quos sibi De<sup>o</sup> immortalis, officii sui & sollicitudinis tãquam adiutores atque socios, adiūxerit, qui rē istã ad eò necessariã atq; salutarē administrēt.

Cæsar Octobri mense Genua soluit, & in Hispaniam redit. Galliæ Rex Lutetiã deinde venit, & Calendis Ianuarii filiam natu maximam Magdalenam, in matrimoniũ ibi dat Iacobo quinto Scotiæ Regi, qui superiori autumno venerat in Galliã. Idibus deinde Ianuarii Galliæ Rex Lutetiæ Parisiorum venit, in curiam forensẽ, quod rarò fieri cõsuevit: & grauẽ habet de Cæsare querimoniã, & causas explicat, cur Flandria & Artesia prouincię, quas Regũ Gallorũ beneficio atq; tutela Cæsar teneat, sicut ipsius etiam maiores, ad Gallię patrimoniũ reuocari debeant. verba faciebat aduocatus regius Capellus: neque Cæsare, sed Carolũ Austriacũ appellabat. Interim Tigurini, Bernates, Basilienses, Argentinenses ad Gallię Regẽ intercedũt pro iis, qui ppter religionẽ erãt in vinculis, & vt exules restituerentur,

orabāt. vñ fuerūt opera reginæ Nauarræ eorū  
 legati, quæ soror erat germana Regis, lectissi-  
 ma mulier, & veræ doctrinæ perquàm studio-  
 sa. Conscriptis interea copiis, Rex initio  
 Martii progressus in Atrebatēs, oppidum &  
 arcem Heliūm valde munitam obsidet, ac  
 intra mēsem deditione capit. Ad hoc ipsum  
 tempus venit ad Regem legatus à Pontifice,  
 Reginaldus Polus, Anglus, Cardinalis. Lega-  
 tionis causa fuisse putatur, vt aduersus Angliæ  
 Regem aliquid cuderetur. Sub illud tempus,  
 quo Galliæ Regis filiam Scotiæ Rex ducebat,  
 Pontifex ei dono miserat ensē fabrefactum,  
 multique pretii: & in Angliæ Regem ipsum  
 excitabat. Solēt autem Pontifices in nocte Na-  
 talis Christi, certis quibusdam ceremoniis, vt  
 vt alia multa, sic etiam ensē consecrare, sicuti  
 vocant: quem deinde honoris & beneuolentiæ  
 causa tradunt, aut etiam absenti mittunt, cui  
 videtur. Polus postea librum conscribit in  
 Regem Angliæ, cui titulum dedit, Pro ecclēsia-  
 sticæ vnitatis defensione. Scriptum hoc excu-  
 sum Romæ, non addito tempore, diu latuit: &  
 post multos demum annos, ad vnum & alterū  
 in Germaniam emanauit. Qui familiariter ho-  
 minem norunt, Euangelii doctrinam probè ei  
 cognitam esse dicunt. Quòd autem in Henri-  
 cum Regem ita scripserit, causam esse putant,  
 vt suspicionem euitaret Lutheranismi. Librū  
 verò sumptu suo curauit Romæ procudi, sicuti  
 ti fe-

*Ensis con-  
 secratio.*



ti ferūt: & ad se receptis omnibus exēplis, Pō-  
tifici tantū atque Cardinalibus & intimis a-  
micis legendum dabat. Nam & illis probare  
sefe volebat, & simul verebatur, vt est credi-  
bile, ne si vulgò legeretur, in eorum reprehensionem  
incurreret, qui longè diuersum ab ipso  
non semel audissent.

## LIBER VNDECIMVS.

**Q**Uum Augustani demum religionem  
mutassent, & Ecclesiastici plerique,  
genere nobiles, hanc ob causam irati, deseruis-  
sent urbem, senatus ad Cæsarem, Ferdinan-  
dum regem, & omnes Imperii ordines edicto  
scripto, facti sui rationem explicat: & quàm a-  
micè cum illis egerit, quàm multa pertulerit:  
quàm autem illi sese gesserint odiosè, & quo-  
modo seditionem aliquoties in vrbe conati  
sint excitare. Cæsar Genua rediturus in  
Hispaniam, Matthiam Heldum procancella-  
rium in Germaniam amandat, qui Ianuario  
mense Vienna digressus à Ferdinando Ro-  
manorum Rege, & in itinere certior factus  
per Saxonem atque Lantgrauium, de ipsorum  
conuentu, quum Smalcaldiam venisset Fe-  
bruarii die decimoquinto, multis verbis per-  
suadere conabatur, vt sese auctoritati futuri  
Concilii submitterent, & quæ in eo decreta  
forent, approbarent. Deinde vt iudicio Ca-  
meræ starent, & à pace Noribergica suo fœ-  
m. iii.

*Heldus in  
Germaniâ  
missus.*

deri adscriptos excluderent, Augustanos maximè. Venit eò etiam legatus Pontificius, Episcopus A quensis, cum literis ad Electorem Saxonix, quibus eum Pontifex ad Concilium hortabatur. Sed is lusit operam, neque magna eius fuit habita ratio: & certo die quum Lantgrauii colloquium experiuisset, ille non sibi vacare dixit: & eodem ferè momento Lutherum inuisit, grauitè ex calculo tunc ibi decumbentem. Quod quidem è suo diuersorio legatus videre poterat. Pontifex interea Concilium ad Calendas vsque Nouembreis producit, eiusque rei causam esse dicit, quòd Mantux Princeps Fridericus, militum præsidio muniri urbem, & sumptus in eam rem fieri velit: quod sibi præter expectationem euenerit. Non multò post Angliæ Rex, & suo & regni procerum nomine scriptum euulgat: Concilium à Pontifice conuocatum esse, cuius illæ rei potestatem non habeat, quo tempore bellum ardeat Cæsaris cum Rege Gallix, & Mantux designatum esse locum, quò non omnibus venire tutum sit, neque commodum. Se quidem ex animo cupere Concilium Christianum: sed ad Pontificium minimè venturum esse, neque legatos etiam missurum. Nam hoc illis esse proprium, vt sui emolumentum causa, Christum & veritatem in eiusmodi conuentibus opprimant. Nihil verò



sibi cum Episcopo Romano esse commune: nec illius edicta magis ad se pertinere, quam cuiusvis alterius Episcopi. De Cæsaris atque Regum auctoritate conuocari solita esse Concilia. hunc sanè morem recuperandum esse, hoc præsertim tempore, quando tam graues habeat accusatores Pontifex: neque tamen absque vitæ periculo reprehendi possit & accusari coràm, nisi legitimum habeatur Concilium. Cæsar totum hunc annum in Hispania permansit. Exercitus autem eius Belgicus Floro Burenfi ductore, Sanpaulum oppidum & arcem in Atrebatibus Iunio mense vi capit, præfidiariis omnibus necatis. Inde profectus in Morinos, Terouennam obsidet: frustra tamen. Ibi demum induciæ factæ sunt decem mensium, in ea solùm regione. Nam in Gallia Subalpina seu Pedemontio, vigeat bellum nihilo secius. Et quum deinde Taurini premerentur inopia milites, obsessis omnibus viis, & intercluso comitatu: Gallæ Rex autumnii tempore conscriptis copiis, filium natu maiorem Henricum & Annam Mommorantium eò mittit, qui ferro patefacta via, præsentem in ediam subleuant.

Octobri mense Ferdinandi regis exercitus, in quo & Saxones erant equites, & Misnii, & Francones, & Austriaci, & Carinthii, & Bohemi, & Pannonii, quos Germani vocant Hussaros, Exechiû oppidum

*Ferdinandi  
exercitus  
caesus.*

ad Drauum flumen obsidebat, quod valido tenebatur à Turcis præsidio. Cùmque tempus tererent, & inedia coacti dilcederent: intercepti fuerunt ab hoste circumfuso, qui sylvas & aditus omnes preoccupauerat. E ducibus multi in hostium potestatem venerunt, abducti Byzantium in miseram seruitutem. Quarto Idus Octobris, Angliæ Regi natus est filius Eduardus, ex Ioanna Semera, quam ab Anna Bolenia duxerat in matrimonium. Interea Pontifex, quia per Belgium erant induciæ, totus in hoc erat, vt per Italiam & reliquis etiam in locis, belli conquiesceret administratio. Pontificis consilium fuisse dicitur, vt illos iam pacatos, aduersus Britannia regem, cui erat infestissimus, atque Lutheranos, excitaret.

*Eduardus  
nascitur.*

Paulus tertius initio sui Pontificatus, in Cardinalium numerum allegerat suos nepotes, vt i supra diximus. Cùm autem hoc nomine minus bene audiret, alios quosdam nobilitate ac doctrina præstantes viros, hoc etiam est honore dignatus: partim vt inuidiam & offensionem leniret, partim vt idoneos haberet propugnatores, qui scriptis & eloquentia valerent. In his erat Gaspar Contarenus, Reginaldus Polus, Ioannes Bellaius, Fridericus Fregosus, Sadoletus, Aleander, Bembus. sed & de Erasmo cogitauit.

Liber



## LIBER DVODECIMVS.

*Reforma-  
tio ecclesie  
pontificie.*

**D**E concilio in Calendas vsque Nouébres prorogato, supra diximus: verum id frustra fuit. Pótifex tamen, vt hominum spem aleret, ac aliquid facere videretur, ex omni suorum numero iam antè quosdam delegerat, illique grauiter mandarát, vt ecclesie morbos & accuratè circumspicerent, & adulatione omni remota, sibi demonstrarét. simul iusiurandum ipsis remiserat, vt liberè pronuntiarent: & vt magno silentio rem omnem agerent, iusserat. Delecti scripto rem omnem complectuntur, & magnis laudibus Pontificem euehunt, ob studium veritatis. & de condonationibus, quæ passim Romæ veniunt, de sacerdotiis hominibus idoneis cõferendis, de pensionibus non reseruandis, de Cardinalibus, qui curias Regum sectantur, episcopatuũ venandorum gratia, de Episcopis suo gregi non cohabitantibus, de sacerdotibus indoctis & sordidis, qui Romæ versantur in æde diui Petri, de scortis & impudicis mulieribus, quæ vestæ mulis per vrbem, sectatores habent Cardinalium familiares, multa loquuti, egregiam suam reformationem absoluunt. Emendatio hæc verbis quidem concepta, sed representata minimè fuit. Pontifex demum à Calendis Nouembris ad Calendas vsque Maii anni sequentis, Concilium extrahit: & Vicentiæ locum designat, quæ Venetorũ ditionis est vrbs

ampla & copiosa. Volebat Pontifex negoti-  
 um reformationis esse arcanum, verum nõ dit-  
 latuit: & quĩ in Germaniã emanasset ex vrbe  
 Roma, Lutherus lingua populari, Ioãnes autẽ  
 Sturmius Latinẽ responderet. Lutheri libello  
 præfixa pictura, statim denotat argumentum.  
 nam Pontificem in subbimi folio sedentem  
 circumfistunt aliquot Cardinales, qui caudis  
 vulpinis, ad longurios alligatis, veluti scopis,  
 omnia sursum deorsum repurgant. Erat in  
 Cardinalium cœtu Nicolaus Archiepiscopus  
 Capuanus, omnis emendationis impatiens.  
 Hic à Paulo summissus, vt certò creditur, ma-  
 gna contentione reclamabat, ne quid omnino  
 reformaretur: ac inter alia dicebat, fore alio-  
 qui, vt Lutherani iactent, quasi ab ipsis pro-  
 pemodum adaacti, illud fecerint. Itaque sibi  
 sunt passi persuaderi patres atque Pontifex,  
 ne quid mutaretur. Et tamen hic ipse qui impe-  
 diuit, clanculum in Germaniam ad amicum  
 quendam emisisse libellum dicitur: quod præ-  
 rique sic accipiunt, quasi Pontificem voluerit  
 atque reformatores illos præbere deridendos.  
 alii putant non nescio Pontifice exiisse libel-  
 lum, vt sic ipsius aliquod studium appareret e-  
 mendationis: & id homines intelligerent ali-  
 unde, tanquam ipse fuerit daturus grauiora, si  
 quidem aliquid eiusmodi putasset euulgan-  
 dum. Februario mense Galliæ rex Annam  
 Mõmorancium, curiæ præfectum, creat ma-  
 gistrum.

*Pictura  
 ridicula.*



gistrum equitum, ipsi Cōnestablium vocant, qui summus ibi est honoris gradus. Vacauerat autem hoc munus inde à Carolo Borboniorum duce, per annos ferè quindecim.

Interea Protestantes ad exitum ferè Martii conueniunt Brunsvici, & de rebus ad fœdus pertinentibus agunt: & Daniæ regem Christianum in fœdus recipiunt. Is erat Frederici filius: & Euangelii doctrinam receperat: & instituendis ecclesiis Ioannem Po-

*Cōuentus  
Protestan.  
Brunsvici.*

*Euangelii  
in Daniæ.*

meranum, Wittemberga vocatum, præfecerat, ab eoque fuit inauguratus regno. Ioannes etiam Marchio Brandeburgicus, Electoris Ioachimi frater, vt in fœdus admitteretur, per Saxoniam principem petebat. Petebat idem Prusiam Princeps Albertus. hunc ante annum sextum Camera proscripserat: eaque causa fuit potissima, cur in hanc societatem non reciperetur. fauorem tamen atque benevolentiam ei promittebant omnes. Hunc ad conuentum proficiscenti Saxoni, Lantgrauio, sociisque, Henricus Brunsvicensis cauere fide publica recusabat, quum eundum esset per ipsius fines. iam enim agitabat belli consilia. In comitatu Saxonis erat Mauricius, Georgii Saxoniam Principis, ex Henrico fratre, nepos, septemdecim annorum adolescens. Hæricus erat religionis Protestantium, ideò-

*Congressus  
Cæsaris & Re-  
gis.*

que Saxo filium eius Mauricium, propinquum suum, ad se receperat. Daniæ quoque Rex Brunsvicum ipse venit. Maio mense Pontifex Niceam proficiscitur, oppidum Liguriæ maritimum. eò Cæsar & Galliæ Rex venerunt: ille quidem classe profectus ab Hispaniis, hic autem per loca mediterranea, comitatus, inter alios, Germanorum copiis, quibus præerat Guilielmus Furstembergicus. Reges hoc in loco non fuerunt ipsi congressi, quantunvis id Pontifex optaret: sed aliquot post diebus, quàm ille discesserat, ad Aquas mortuas conuenerunt, quod est Galliæ Narbonensis oppidum, ad ostiũ Rhodani, Fossam Marianã veteres appellat. Niceæ post multam actionem, etsi de summa rei non conuenerat, induciæ tam factæ fuerunt Iunio mēse, in annos decē. In primo congressu Rex Pontifici dextrum pedem osculatus fuit, in cathedra sedenti: post etiam reliqui proceres. Veruntamen erant in comitatu Regis, qui licet admoneret Connestablius, id facere recusabant, Christophorus dux Wirtembergicus, Guilielmus comes Furstembergicus, Germani: Marechalus Marchianus, Gallus: & Daniæ Regis legatus.

*Erardi  
Marchiani  
vanias.*

Mortuus est hoc tempore Erardus Marchianus, Cardinalis, Episcopus Leodinus, quo vix alius doctrinæ causa plures affixit. Sepulchrũ iste sibi multis annis antè fieri curauerat, in æde primaria Leodina, sumptuosissimum: & exequias anniuersarias, nō secus at-



que mortuis Pontificii solent. etenim viuo sibi magis profutura iudicabat hæc sacrificorum opera: quibus ipsi meritum attribuunt, & aeternæ vitæ præmium deberi putant. Qui propius hominem nouerant, ostentatione quadam hoc eum facere dicebant, quòd esset gloriæ cupidissimus, & voluptatem ex ea pompa quæreret. Excudebantur hoc tempore Lutetia Biblia sermone Anglico, vt per Britanniam distribuerentur in templa, iussu Regis: sed vbi rescitum est, interdictum fuit, nec erat in nullo discrimine typographus. Domum reuertentem Pontificem, quod fuit Augusti mensis initio, Romani maximo triumpho & honore suscipiunt, tensis & adornatis vbique viis, & passim descriptis elogiis, quibus eum ob restitutam orbi pacem, & conciliatos Monarchas mirificè celebrabant.

Hoc anno collegium est institutum Argentorati, seu schola iuuentutis, auctore potissimum Iacobo Sturmio, senatore primario: quæ breui tempore mirum in modum effloruit. Et quum religionis atque doctrinæ Gallica causa multis esset emigrandum è Galliis atque Belgio, senatus Argentinensis templum illis aperuit, vt ecclesiam constituerent. Huic primis aliquot annis præfuit Ioannes Caluinus Nouiodunensis, deinde Petrus Brulius.

Cæterum fuit apud Britannos aliquot seculis in summa veneratione Thomas Cantua-

Gallica ecclesia Argentorati.

Io. Caluinus.

riensis, eiusque corpus inclusum erat thecæ, gemmis & auro supramodum exornatæ. Rex autem Henricus, illum exemit hoc anno, reliquiâsque corporis incendit. Quo tempo-

*Reliquiæ  
Thomæ  
Cantuæ.  
incensæ.*

re Niceæ conuentum est Ioachimus Brandenburgicus, Princeps Elector, Ioachimi filius, Iunii mensis initio, ad Saxonem Electorem legatum mittit, qui de apparatu Turcarum, Germaniam inuadere volentium, certiore eum faciat. Religionem Saxonicam Ioachimus

*Brandenburg. Ele-  
ctor Elector.  
fuit.*

iam susceperat, eiusque rei librum emisit: à fœdere autem abstinuit, & Cæsari atque Ferdinando Regi totus erat alioqui addictus: & plusculum retinuit ceremoniarum, & offensionibus mederi studebat. Hoc anno secta

*Antinomi.*

prædiit eorum, qui Antinomi dicuntur. hi pœnitentiam ex Decalogo non esse docendam dicunt: & illos impugnant, qui docent non esse prædicandum Euangelium, nisi primum quassatis animis atque fractis per explanationem Legis. ipsi verò statuunt quæcunque tandem sit hominis vita, & quantumuis impura, iustificari tamen eum, si modò promissionibus Euangelii credat. In his erat facile primus Ioannes Illebius Agricola. qui à Luthero priuatim commonefactus, & facta Scripturæ collatione rectius institutus, in sententiam eius accedit: idque publico deinde scripto testatur, cōfessus errorem. Quum Helldus, quem Cæsar legatum miserat, nō tulisset à Prote-



à Prôteſtantibus quale voluerat reſponſum,  
 adiit plerofq; Principes, & obducta crimina-  
 tione, quaſi Proteſtantes nullum ius atque co-  
 gnitionem ferre poſſent, & pacis conditiones  
 repudiarent, cœpit eos de fœdere ſolicitare,  
 cuius & Cæſarem & Ferdinandũ Regem pro-  
 fitetur auctores: nec prius cõquieuit, quàm  
 id apud quofdam perficeret. Hi erant Mogun-  
 tinus & Salisburgenſis Archiepiſcopi, Guiliel-  
 mus & Ludouicus Bauari, Saxo Georgius, E-  
 ricus & Henricus Brunſuicẽſes. Huius rei cau-  
 ſa cõuentum eſt Noribergæ: & hoc titulo fuit  
 initum fœdus, vt ſi religionis Põtificiæ cauſa,  
 quam veterem ipſi vocat, vlla fieret alicui mo-  
 leſtia, paratum eſſet auxilium. Itaque Sanctum  
 vocabant, quaſi pro gloria Dei ſuſceptum &  
 eccleſiæ tutela. De Camera iudicio ſape di-  
 ximus. Hi perpetuò ſui ſimiles, de conſuetis  
 actionibus nihil remittebant: & ciuitatẽ Men-  
 denſem, nuper in omnium aſpectu, ſub aperto  
 cælo, ſicut ipſorum habet ceremonia, proſcri-  
 pſerunt, ob litem, quæ illis erat cum ſuæ vr-  
 bis eccleſiaſticis. Ea re cognita, Saxo &  
 Lantgravius ſcriptum euulgant, quo monent  
 & rogant omnes Principes & ordines, vt ſen-  
 tentiam latam habeant pro iniuſta, neque ſe  
 patiantur ad vim vllam excitari. Nam ſi ſe-  
 cus fiat, & ſi qua ſententiæ illius futura ſit  
 executio, non ſe poſſe ſociorum iniurias ne-  
 gligere. Diximus de fœdere facto Nori-

Fœdus Põ-  
 tificiorum.

*Henricus  
Brunsvic.*

bergæ. Huius erant primi duces Luduovicus Bauarus & Henricus Brunsvicensis, qui totus ad rumpendum otium publicum spectabat: & in hoc incumberebat, vt belli initium fieret aduersus Protestantes. Et quum illis ferè diebus literas accepisset ab Archiepiscopo Mogūtino, postridie Natalis Christi paucisei respondet: cætera scribæ committit Stephano Fabio, quem ad ipsum mittebat cum mandatis.

Is non procul ab oppido Casello incidit in Lantgrauium ad venatum fortè euntem, cumque Brandeburgici Electoris famulum se fingeret, deprehensus est. Ita literis interceptis, illorum consilia, quæ omnia ad Protestantibus vim inferendam spectabant, detecta sunt. Lantgrauius euestigio dat literas ad focerum suum, Georgium Saxonem, ad Ferdinandum, eiusq; sororem Mariam, & ad Principes Electores, quibus queritur iniuriam sibi sociisque suis fieri, & belli occasionem quæri. Brunsvicensis vbi rem esse patefactam, & de Lantgrauii scriptis cognouit, respondet: ac multas à Lantgrauio & Saxone sibi factas esse iniurias dicit. Per hanc occasionem cœptum est agi scriptis aduersariis, quæ non multò post in omnium acerbissimas inuectiuas desierunt. cuius quidem rei factum fuit initium à Brunsvicensi, qui nouo quodam inter viros principes exemplo, nullum prætermisit criminationis aut contumeliæ genus, vt libri typis excusfi de-

M. D.  
XXXIX.

*Principum  
Philippica*

mon-



monstrant. Februario mense ventum est  
 Francofurtum, ad agendos conuētus Imperii:  
 & post multam variamque disceptationem &  
 acrem, Aprilis die decimanona demum trans-  
 actum est his conditionibus, Cæsar, vt collo-  
 quium doctorum haberi possit de religione,  
 largitur sociis Augustanæ confessions quin-  
 decim mensium inducias: & ne quid eis interea  
 religionis causa molestiæ fiat, edicet. Pacifica-  
 tio Noribergensis & Cæsaris edictum Ratis-  
 bonense, iubetur interim esse rata. Quòd si per  
 tempus induciarum de religione non cōueniat,  
 pax tamē illa valebit ad usque proximū Impe-  
 rii conuentū. Et si fortè ante finem induciarum  
 conuentus fiat, obtinebit nihilominus ea pax,  
 vsq; ad altera comitia. Forēses omnes actiones  
 intentatas Protestantibus, & Mindesem quo-  
 que proscriptionem Cæsar, interea dum e-  
 runt induciæ, suspendit: & si quid contrà fiat,  
 irritum esse iubet. De voluntate Cæsaris con-  
 stituetur dies, Calendæ Augusti mensis, quem  
 ad diem Noribergæ conueniant Pontificii &  
 Protestantes, viri boni cupidisque pacis, & mi-  
 nimè contentiosi vel pertinaces. Hi certum  
 numerum deligent theologorum, qui placidè  
 & amicè de religione conferant: iis etiam qui-  
 dam erunt adiuncti, non quidem professio-  
 ne theologi: sed tamen homines periti atque  
 sedati.

Ad exitum huius conuentus, Aprilis die

Conuentus  
 Frācosurii.

*Georgius  
Saxo mo-  
ritur.*

*Testamē-  
tū inciuile.*

*Henrici re-  
spon. Chri-  
stianiſt.*

vicesima quarta, moritur Saxonix Princeps Georgius, non relictis liberis. nam eius filii duo iam antè decesserant absque sobole. Itaque Henricum fratrem eiusque filios, Mauricium & Augustum, testamento facit hæredes, ea lege, ne formam religionis mutant. Nisi parent, Cæsari & Ferdinando Regi ditio- nem omnem attribuit, donec aut ille, vel filii, vel ex ea familia proximus agnatus conditio- nem impleat. Hoc suum testamentum ita confectum, nobilitati prius & populo com- municat, senex iam & valetudine minus fir- ma: petiitque vt ratum habeant, & data fide iu- rent ab eo sese non discessuros. Illi verò, quòd metuerent ne bellum ea res inter agnatos ex- citaret, orant, vt patiatnr ad Henricum fra- trem mitti legationem. Sperare enim illum adfensurum, vt in religione nihil immutetur. Itaque missi legati, quum variis vterentur ar- gumentis, periuadendi causa: præcipuè autem hoc dicerent, multum esse paratæ pecuniæ, multum exquisitæ suppellectilis, quæ sit con- secuturus omnia, modò voluntati fratris mo- rem gerat. Sanè vestra hæc, inquit, legatio planè mihi repræsentat illud, de quo proditum est in sacris literis, quòd satanas Christo polli- ceretur totius mundi regna, modò procum- bens ad pedes, ipsum adoraret. An verò tan- ti apud me esse putatis vllas opes, vt earum

cau-



causa velim ab agnita veritate purâ; religio-  
ne discedere. Multum certè vos expectatio ve-  
stra fallit. Quum igitur hoc accepto respon-  
so, nullâque re perfecta illi discederent, ante-  
quàm domum rediissent, iam è vita deceffe-  
rat Georgius. Henricus frater ilico Dresdam  
& ad reliqua profectus oppida, suam in fidem  
populum adigit. Hoc autem proclivius erat,  
quod fœdere nitebatur Smalcaldico. Saxoniz  
quoque Dux Elector, quum de testamento  
Georgii cæterisque consiliis eius non nesci-  
ret, vbi de eius morte in itinere cognouit, do-  
mum euestigiò properat, vt si opus esset, Hen-  
rico subueniret. Hac tanta spe Principes  
Pontificii deiecti, tantâque iam ad Protestan-  
tes accessione facta, valde doluerunt: Mogun-  
tinus præsertim & Henricus Brunsvicensis,  
vt postea dicemus. Itaque successorem ha-  
buit Georgius & hæredem, omnino præter  
voluntatem suam: & is, quem omnium homi-  
num acerbissimè per omnem vitam oderat,  
nimirum Lutherus, Lipsiam accersitus à no-  
uo Principe, conciones aliquot habuit, & reli-  
gionis fecit initium. Apparuit hoc tempo-  
re, quod erat Maio mense, cometa: & illi-  
psis ferè diebus moritur Caroli Cæsaris v-  
xor, Isabella: cui deinde Galliz Rex, vbi pri-  
mùm audiuit, Lutetiz facit exequias atque  
funus, quæ Regum est consuetudo. Dixi-  
mus de Cõcilio Vicentino, quod Põtifex ad-

Lutherus  
Lipsia.

usque Pascha huius anni prorogarat. Quñ au-  
tem ne tunc quidem vlli venirent, ille decimo  
die Iunii literis euulgatis, Cōcilium non qui-  
dem amplius producit; sed ad suum & senatus  
Cardinalium arbitrium suspendit. Angliæ  
Rex aliquot antè mensibus alterum euulgarat  
scriptum, de synodo Vicentina, & quo modo  
Pontifex orbi terrarum illudat, exponit. Inter  
alia multa, quibus ostendit in eo libro, quàm  
densæ fuerint sub pontificatu Romano tene-  
bræ, quàm impura foedaque religio, huc fuisse  
deuentum ait, vt etiam vestis monachorum ad  
æternam salutem non parum conferre putare-  
tur: & plerique non modò mediocres, verum  
etiam optimates, ita sepeliri vellent. Id qui-  
dem fortè posteritas non credit: sed tamen ve-  
rum est, & in Italia potissimum fieri solebat: &  
nostra memoria Mantuæ Marchio Franci-  
scus, eius nominis secundus, testamento cauit,  
vt in ordinis Franciscani, vel, vt vocant, Sera-  
phici veste sepeliretur. Fecit idem Albertus  
Pius, Carporum Princeps, Lutetiæ: & Chri-  
stophorus Longolius, Belga. His ferè die-  
bus ordinum Imperii, conuentus agit Britan-  
niæ Rex Henricus, & inter alia de religione  
decreta facit, Pontificiis penè per omnia simi-  
lia. Vt de dogmatis illis ita statueret, nonnulli  
dicebant ab Episcopis impulsum fuisse, quò  
per eam occasionem Thomæ Cranmero Ar-  
chiepiscopo Cantuariensi, & Thomæ Cromle-  
lio

Angliæ  
Rex in Pa-  
pam.

Exequiæ  
seraphicæ.



lio, qui religionis erant cupidi, detraheretur auctoritas. Et hoc ipso tempore Rex in matrimonium petebat Principis Cliuensis Guilielmi sororem, Annam, eleganti forma virginem, quæ cum esset ei pacta, mensibus aliquot post in Angliam traiecit. Orta fuit hoc ipso ferè tempore Gandavi seditio. Viribus & auctoritate plurimum ea ciuitas valet iis locis, & pro libertate sæpe dimicauit cum Flandriæ dominis, quorum est in ditione. Cæsar eo cognito, cum per Italiam prius cogitasset in Germaniam venire, mutato consilio, per Galliam iter facere constituit, quum Rex illud ab eo vehementer contenderet, ac liberaliter omnia promitteret. Itaque Calendis Ianuarii Lutetiam est ingressus: nec vllum aut festæ leticiæ genus, aut honoris, quo mēs hominis capi possit, prætermisum fuit. Legatus autem eò venit à Pontifice, Alexander Farnesius Cardinalis.

Quo tempore Cæsar erat cum Rege Galliæ, splendidissimam miserunt ambo legationem ad Venetos, vt ad Turcarum oppugnationem omnia conferrent. Illi verò re tota diligentius perpenſa, Turcam, qui cum inducias habebant, omnino sibi reconciliandum esse iudicabant. Itaque ipsorum legatus Aloisius Baduarius, de pace missus ad Turcam, pacis redimendæ causa, omnes alias conditiones deferre prius, & duas vrbes Epidaurum

*Proditores  
Venetiis.*

& Naupliam, ad extremam necessitatem re-  
servare iussus erat. Sed Turca, qui decretum  
Senatus iam antè per indicium acceperat, ex-  
postulans cum eo, quòd mandata sua non sa-  
tis explicaret, non nisi traditis illis locis paci-  
fici voluit. Obstupefactus ille, quum arca-  
na reipublicæ prodita esse videret illud, quod  
alioqui tandem facturus erat, quantumvis in-  
uitus atque dolens permittit. Vbi domum  
reversus, rem omnem exposuisset, attoniti pa-  
tres, post diligentissimam peruestigationem,  
quosdam comprehendunt, & criminis conui-  
ctos capite plectunt. Ex iis quidam in Gallici  
legati, Episcopi Monspeulani diuersorium,  
velut in asylum perfererat. Mittuntur ergo  
satellites, qui totam domum perquirant. sed  
quum aditu prohiberentur, Senatus ex arma-  
mentario iubet educi machinas ad euertend-  
dam domum. Galli quum periculum suum vi-  
derent, illum exhibent.

Aduentante Cæsare in Belgium, Fer-  
dinandus Rex ab Austria profectus, eò quo-  
que venit, deinde Protestantium legati. quos  
quum ad vicesimum quartum Februarii diem  
Cæsar audisset Gandavi, præsentè Granuel-  
lano, re deliberata se responsurum dixit.

Pridie Idus Martii, Cæsar Protestantium  
legatis responderet, benignè quidem sic satis:  
verùm ita tamen, vt an pacem præstare vellet,  
intelligi non posset. Gliscebatur id tēporis inter  
Gran-



Granuellanum & Heldum æmulatio quædam <sup>Granuell.</sup>  
 atque simultas, quæ tandem hunc exitum ha- <sup>& Hel-</sup>  
 buit, vt Heldus loco submotus curia decede- <sup>dss.</sup>  
 ret, ac vitam priuatam ageret. nam ille præsta-  
 bat auctoritate, & Heldū in crimen odiumque  
 vocabat, quod in consiliis & actione nimium  
 esset vehemens, quodd Cæsarem nihil tale cogi-  
 tantem, & inuitum, propemodum in bellum  
 pertraxisset. Quicumque non obscuram suæ vo-  
 luntatis daret significationem Granuellanus,  
 quasi concordiam & otium publicum amaret,  
 interpellatus à Protestantibus, ad pacis consi-  
 lia Cæsarem inflexit. Et ipse quidem initio,  
 tanquam suo nomine, Smalcaldiam mittit in-  
 tercessores atque legatos. Postulata quidem e-  
 rāt satis moderata: sed tamen illud significa-  
 bant, propè persuasum esse Cæsari, quasi re-  
 ligionem minimè spectent, neque pacem ex a-  
 nimo petant: sed bonis & facultatibus eccle-  
 siarum ad se transferendis tantum incumbāt,  
 & dissidiis latentur, & aduersa sint ab eo vo-  
 luntate, magis que propendeant in partes eo-  
 rum, qui simultates cum eo manifestas, & ini-  
 micitias exercerent. Hæc autem ad Cæsarem  
 delata fuerant, partim ab aduersariis, par-  
 tim à Gallis. Nam quo tempore Cæsar per  
 Galliam ibat, & ad summam arctissimam-  
 que necessitudinem omnia spectare vide-  
 bantur, aded vt Rex in magnam ac propè cer-

tam spem veniret recuperandi Mediolani, patesfacta ei quædam fuisse dicuntur, & exhibitæ Smalcaldicorum ad Regem literæ.

## LIBER DECIMVS-

## TERTIVS.

*Responsum  
Protestan.*

**A**D ea Protestantes Aprilis die vndecimo prolixè respondent, & Granuellano gratias agunt, qui Cæsari auctor fuerit, vt ratione causam illorum explicaret. Nam quia aduersarii causam tuentur iniustam & infirmam, quia suos errores passim ab omnibus impugnari vident ac reprehendi, quia doctrinam Euangelii refutare non possunt: ideo sibi colorem aliunde asciscunt, ista nos criminatione premunt ac vulgò traducunt. Sed præter officium est & valde indecorum Episcopis, quòd de bonis ita Cæsarem sollicitant & urgent, quasi in eo summa sit posita reipublicæ Christianæ: nec interim de tollendis tot tantisque vitiis & erroribus, quos ne ipsi quidem dissimulare possunt, verbum vllum faciunt. Quòd autem tanto cum onere & discrimine doctrinam hanc ipsi profitentur, vna solùm est & præcipua causa: nimirum, quia Deus hoc ab eis requirit, vt filii sui nomen & Euangelium profiteantur. Iubet enim vt falsum & impium cultum defugiant homines. Hoc dato responso decretum faciunt, vt pro iis ad Regem intercedatur, qui doctrina



næ causa per Galliam paterentur. consulunt etiam Heilbrunensibus, ut Missam pôtificiam è certis templis, quod nondum fecerant, ex-terminent, promissis auxiliis ad eam rem, si quid fortè periculi contingat. Postremò quid sit opus factò constituunt, si fortè Cæsar aut pacem repudiet, aut ambiguè respondeat: aut Camera suo more pergat: aut copiæ conscribantur occulté.

Dum hæc geruntur, Cæsar animaduertit in Gandauenses, & seditionis auctores capite ple-  
dit: & ablatis armis, quum priuilegia & beneficia omnia ipsis ademisset, arcem ibi cõstruit, & præsidium in capite ac ceruicibus illorum collocat. Decimooctauo deinde Aprilis die Cæsar dat literas ad Saxonem & Lantgrauium, se pro sua benignitate rursum ipsis alium indicere conuentum, ut ad sextum Iunii diem Spiræ sint: aut si fortè lues aut morbi contagio non permittat, eo loco, quem frater Ferdinandus constituerit, agendi causa uide-  
licet derationibus, quæ emadmodum hoc tantum periculum, quod Germaniæ prorsus incumbat, euertere possit atque tolli. De Car-  
dinali Farnesio supra diximus. Is Lutetia Pa-  
risiorum profectus cum Cæsare fuit in Bel-  
gium, adolescentiæ vix egressus annos. & Cæsarem indignè tulisse ferunt, quòd non aliquem ætate consilióque grauè Pontifex misisset. Quñ igitur de religione deque bello Tur-

*Legatus  
suo digniss  
Pontifice.*

cico incidisset deliberatio, & Grāuellanus verba fecisset, Farnesius p̄sente Cæsare & Ferdinando orationem habuit in Protestantos admodum vehementem, ad eò vt inter cætera diceret, non facilè posse discerni, vtri magis Christum oppugnent, Protestantos an Turcæ. nam hos quidem in corpora tantùm sc̄uire: sed ab illis etiam animas in sempiternum exitium trahi. Erat attributus Farnesio Marcellus Ceruinus, Episcopus Nicæstri, consiliorum ipsius moderator. Hoc Farnesii cōsiliū vbi mensibus aliquot post emanasset, Ioannes Calvinus excusum typis, commentario vestiuit. Ad hoc tempus, Cluuiæ Princeps, Geliæ possessor, ad Cæsarem venit transactionis causa. Verùm id frustra fuit: & domum reuersus, cum Galliæ rege cœpit communicare consilia. Nam is quum recuperandi Mediolani spe tota decidisset, oblatis à Cæsare conditionibus, quas minimè putarat, animum ab eius amicitia totum auertit, licet dissimulanter, seque falsum esse querebatur: & à Cōestablio, qui Cæsaris transitus auctor fuisset, & ipsum ingenti spe totum impleisset, alienior esse cœpit, quum antea nihil non ei tribuisset. Quum igitur & ipse rationes omnes circumspiceret, quomodo Cæsari molestiam exhiberet: & Cluensis tantam litem ac offensionem de Geliæ possessione, sustinere solus non posset,

cœptum

Dux Cluensis.



ceptum est cogitari de mutuis amicitia vinculis. Bellum hoc tempore Pontifex faciebat Perusinis, quum illi falis & aliarum rerum vestigal auctum ab illo, pendere recusarent. Ciuitatem verò suæ ditionis fecit: & Ascanium Columnam, virum præpotentem, consimili de causa, finibus omnibus eiecit. Cardinalis Farnesius expositis mandatis, quum de pace Cæsaris & Gallia regis non succederet: dies etiam effret clam ipso constitutus Haganoæ Protestantibus, ad futuram actionem, discedit: & sub Idus Maias celeriter Romam contendit. Ad conuentum Haganoicum Gallia rex Legatum mittebat Lazarum Baysum, monitu Cæsaris. Nam offensionem dissimulabant vterque, & blandis adhuc verbis res agebatur: & Calendis Iunii Rex edictum proposuit admodum graue, contra disseminatores hæresis & falsæ doctrina Lutheri atque sociorum. His ferè diebus Anglia Rex Thomam Crommelium, quem ex infimo loco perduxerat ad summam dignitatem, capite plectit, & Annam Cliuensem repudiat: & Catharinam Hauardam, Norfolcia Ducis è fratre neptem, in matrimonium ducit. Crommelius fuerat suator connubii Cliuensis. Quum autem Rex Hauardam post adamaret: impulsus ab ea fuisse putatur, ut Crommelius, quem suis illa rebus ob-

*Bellum Pō  
tif. in Pe.  
rusinos.*

*Quinta  
uxor An-  
gli.*

stare iudicabat, è medio tolleretur. Nobilitati quoque nõ multum erat acceptus: & in suspicionem venerat, quasi Pontificiis moliretur exitium. Henricus Brunsvicensis interea tum reliquos Protestantes, tum Henricum Saxoniæ principem grauitèr ad Cæsarem accusabat. Vigesima quinta die Iunii conuētus Haganoici factum est initium. Protestantium legati aliquot diebus ante actionem interpellauerāt Electorem Palatinum, Coloniensem, Treuericum, Ericum Brunsvicensem, Episcopum Augustanum & Spirenses, vt pacis essent consiliarii. Ferdinandus legatis ad se vocatis (nam Principes ipsi non venerant) nominat intercessores. Quos illi quum recepissent, cœptum est agi. Venerunt etiam eò theologi Protestantium magno numero, Iustus Menius, Pistorius, Vrbanus Regius, Bucerus, Brentius, Blaurerus, Osiander, Schnepfius, & alii multi. Melanchthon graui valetudine detētus in itinere, substitit. Hi domi quisque suæ conciones habebant ad suos, vti fieri concuevit: tunc imprimis, quum deliberandi causa simul omnes conuenissent legati. Ferdinandus autem vbi rescieuit, interdixit. Legati contra non publicè, sed priuatim doceri tantum, demonstrant, nec esse quod ægrè ferat. Post multam disceptationem, quum Protestantes colloquium vrgerent: intercessores contra sibi mandatum à Cæsare atque Rege dicerēt,

vt

Cōuentus  
Haganoici  
1624.



vt ad modum actionis Augustanæ pergerent, Ferdinandus Rex Iulii die decimosexto conuocatis omnibus, quandoquidem ita se res habeat, vt definiti nihil possit, imprimis autem propter absentiam Lātgrauii atque Saxonis, constituendum esse dicit alterum diem, quo utriusque partis legati & viri docti pari numero conueniant, & de dogmatis Augustanæ confessionis inter se conferant, simul proximo conuentui locum designat Wormaciam, ad vicesimum octauum diem Octobris. Interea pacem ab omnibus coli, & à vi iubet abstineri. Eo durante conuentu mortuus est Ioannes Vayuoda, Rex Hungariæ, relicto filio Stephano, quæ recēs ei peperit Isabela, Sigismundi Poloniæ Regis filia. Sub hoc *Incendia per Saxoniam.* quoque tempus orta sunt variis in locis incendia per Saxoniam & loca finitima, ditionis ferè Protestantium exustis aliquot oppidis atque vicis. Hoc tantum scelus auctore Brunsvicensi factum esse ferebatur. Secūdo Calendæ Iulii crematus est Londini, ob Euāgelii professionē, Robert<sup>9</sup> Barnus, doctor theologus. Fuerūt simul exusti duo quidā alii eiusdem religionis. Deinde cremati sunt tres eodem die, qui & Romani Pōtificis primatum, & Catharinæ Hispanæ coniugium approbant. Augusto mense vitam finiit Lutetiæ *Endam.* Guilielmus Budæus, libellorum supplicum magister, summę vir eruditionis, & ad omnē

posteritatem memorabilis, qui absque pompa sepeliri voluit. Sub Idus Octobris datus Cæsar Bruxellæ literis, Granuellano potestatem facit agendi, sibi que legatum instituit ad futurum colloquium. Qui cum Wormaciam venisset, Atrebatensi Episcopo, filio, comitatus, & theologis Hispanis, Muscosa, Maluenda, Carobello, exhibitis in confesso mandatis & epistola Cæsaris, orationem habet vigesimoquinto die Nouembris, & excusans cur neque Cæsar neque Rex Ferdinandus adessent, præclarum Cæsaris erga rempublicam & verè paternum animum exponit. Postridie quàm Granuellanus orasset, ceptum agi de notariis atque scribis, & vtrunque delecti sunt bini, qui singula diligenter exciperent atque seruarent: à Protestantibus designati sunt Gasparus Cruciger, Wolfgangus Musculus, theologo. Octaua deinde Decembris die Thomas Campegius, Episcopus Feltrensis, legatus pôtificius, orationem habet. Postea prolixa fuit inter eos altercatio de forma iurisiurandi, de numero collocutorum, & suffragiorum modo. Quum enim Pontificii animaduertent, Palatini & Brandenburgensis Electoris, atque etiam ducis Cluensis consiliarios in Protestantium partes inclinare, veriti ne suffragiis vincerentur, consultò diem ex die ducunt, donec aliud à Cæsare nuntiaretur. Sub idus demum Ianuarii mens-

M. D.  
XLI.

sis



sis Pontificii deligunt Ioannem Eccium, alteri vero Philippum Melanchthonē, qui differant. Et primò quidem vt ordine fieret progressus, de peccato, quod vocāt Originis, verba faciunt alternis, in confesso publico. Sed ecce post tertium colloquii diem, Cæsaris adferuntur ad Granuellanum literæ, ceterosque legatos, quib<sup>9</sup> literis, & actionē omnē ad Ratisbonæ comitia reiicit: & Protestantes imprimis eò venire iubet, & Granuellanū ad se quamprimū reuocat. Ita res impedita & dissoluta fuit. Ducendo enim tempus, & nectendo morā, diuerticula sibi quarūt Pontificis administri & effugia. Februarii mensis die vndecima, Philippus Schabotus, Gallia, quem vocant, Amiralius, vir summæ dignitatis, in suspicionem vocatus apud Regē, ob non bene administratum bellum Sabaudicum, damnatus fuit repetundarum & læsæ maiestatis, & priuatus honoribus, ablata spe restitutionis. Ad hoc etiam tempus Henrici principis Saxonis filius Mauricius, in matrimonium ducit Agnetem, Lantgrauii filiam. Mense Martio plerique Principes ac ordines Ratisbonam veniunt, quum aliquandiu Cæsar eos expectasset. Sub hoc tempus Ratisbonam allatus est Martini Lutheri liber admodum vehemens, lingua populari scriptus in Henricum Brunsvicensē. Is emisso nuper libello Saxonem

*Amiralius  
damnatus*

*Cōventus  
Ratisbonæ*

nominauerat hæreticū, seditiosum, Cainum,  
 monstrum, AEsopum, nulla nec corporis nec  
 animi virtute præditum, quem ipse quoque  
 Lutherus, licet eius idolū ac velut alter deus,  
 rideret ac contemneret. Lutherus, qui suam  
 ad existimationem hoc pertinere ducebat, a-  
 cerrimè respondet, & calumniam esse dicit.  
 Lantgravius præterea & legati Saxonici Ra-  
 tisonæ Brunsvicensem apud Cæsarem accu-  
 sabant, tum ob alia, tum ob incédiarios, quos  
 in ipsorum regiones immiserat: nam malefi-  
 corum plerique habita quæstione, ad extremū  
 vsque spiritum testificabantur, à præfectis &  
 familiaribus Henrici Brunsvicensis accepta  
 pecunia se fuisse conductos. Iunxerat se illis  
 Guilielmus Brunsvicensis, qui & ipse fratrem  
 germanum Henricum grauitè accusabat, à  
 quo fuerat multis annis detentus in carcere.  
 Quū iam pleriq; cōuenissent omnes, inchoat-  
 tur actio die quinta mensis Aprilis, & nomine  
 Cæsaris de more proponitur. Postea Cæsar ab  
 vtrisque petit, imprimis autem à Protestanti-  
 bus, vt deligendi personas facultatem sibi per-  
 mittant, quæ de rebus cōtrouersis amicè con-  
 ferant: in eoque sibi fidant, qui nihil sit factu-  
 rus, quod non ad patriæ salutem pertineat.  
 Id quū obtinuisset, designat Iulū Pflugium,  
 Ioannem Eccium, Ioannem Gropperum,  
 Philippum Melanchthonem, Martinum Bu-  
 zerum, Ioannem Pistorium, vt dogmata con-  
 trouer-



trouersa tractent, & ad se Principesque referant. Deinde ad se vocatos, multis verbis grauius monet, vt in huiuscausæ tractatione nihil tribuant affectibus, verum ad gloriam Dei solum respiciant. His quosdam adiungit, qui partim actioni præsideant, partim vt testes & auscultatores adsint. Itaque Fridericum Palatinum & Granuellanum præsidere iubet, sex verò alios testimonii causa voluit adesse. Quum autem Aprilis die vicesima septima conuenissent omnes, Granuellanus eis librum descriptum exhibet, quem Cæsari dicebat esse traditum à quibusdam viris bonis atque doctis, velut idoneum ad futuram conciliationem.

Velle itaque Cæsarem, quò videlicet legitimum argumentum habeant, ac velut agendi materiam, vt eum librum pariter euoluant & expendant: & quod in eo simul omnibus probatur, laudent: quod verò minus, corrigant. Liber iste doctrinæ capita præcipua continebat.

Maior mense Protestantium ordines ad Franciæ regem missis Ratisbona literis, pro iis qui per prouinciam Galliæ, ob doctrinæ professionem partim erant in viculis, partim in exitio, partim in latibulis ærumnosam vitam agebant, intercedunt. Huic persecutioni causam dedit in Merindolanos, Prouinciæ vicum, anno superiori lata sententia præside Bartholomæo Chassaneo iureconsulto. quæ quum esset horrenda supramodum & atrox, ingentem terro-

*Persecutio  
in Gallia*

*Ducis Cli  
uēsis aduē  
sus in Gal.*

rem attulit miseris hominibus. Verūtamen eius executio plena in aliud tempus dilata fuit. Dum hæc Ratisbonæ geruntur, Guilielmus princeps Cliuensis, quum implacatum haberet Cæsarem ob Geldriæ possessionem, clam in Galliam proficiscitur. Quò cum venisset sub exitum Aprilis, Rex non secus atque filium parens complexus est. ac tum coeptum est agi de eius cōiugio cum Ioanna, Regis è Margarita sorore, Regina Nauarræ, nepte, circiter vndecim annorum puella, longè omnium totius Gallie ditissima, & forma cum primis elegantia, & optimis formata moribus. Itaque sub Idus Iunii mensis peraguntur nuptiæ. Aliquot pòst diebus, domum Cliuensis rediit, in Gallias relicta coniuge sponsa, quam apud se remanere mater voluit, donec esset tēpestiua viro. Priusquam in Galliam veniret Cliuēsis, Amiralium, de quo supra diximus, Rex liberari, domumque proficisci, Maio deinde mense iubet ad se venire, & perhumaniter acceptū, pristinæ dignitati restituit, & tāquā ab inferis in lucem reuocauit: & nouo profus ac p̄pmodū inaudito exēplo, sententiā à lectis simis latā & summis quidē iudicib⁹, irritā fecit: partī odio Cōnestablii, vt creditur, partim intercessione Stāpianę domingę, q̄ recenti fuit Amiralio cōiuncta necessitudine p̄ affinitatē.

*Amiralii  
restitutio.*

*Acta collo  
quiū Ratis  
bonæ.*

### LIBER XIII.

**S**Vb finem Aprilis inchoatū fuit colloquiū. Eccius autem erat impatiens atque moro-



sus nam & librum fastidiebat, & socios collegas minimè probabat: & aliquantò post in febrem incidit, ita quidem vt interesse non posset. adibant eum tamen focii, de quæ rebus omnibus conferebant. Exhibiti vero libri loca quædam de cõmuni consensu per colloquium fuerunt emendata, de quibusdam conueniri non potuit, de Ecclesia eiusque potestate, de Sacramento corporis & sanguinis Christi, de peccatorum enumeratione, de satisfactione, de vnitæte & ordine Ministrorum Ecclesiæ, de Sanctis, de Missa, de vsu integri Sacramenti, de cœlibatu. Redditi itaq; Cæsari fuit liber, sic vt erat emendatus. Cæsar & studium illorum laudat, & gratum habet: & si fortè res deinceps ita poscat, vt consimilem diligentiam atque voluntatem adferant, hortatur. Octaua deinde Iunii die in consessu Principũ & ordinum refert, quid actum, & quousq; sit facta progressio: collocutores egisse rem diligenter, & conciliaisse multa, nec illa quidem leuia, doctrinæ capita. De cæteris verò, quæ nondũ conciliata sint, Protestantium theologos, quid sentiant, aperuisse. Post vtrunque scriptum illis exhibet, & vt quamprimũ deliberent, mentemque suam in vtroque demonstrant, ad hæc vt despiciant quomodo status reipublicæ, tam ciuilibus quàm Ecclesiasticis emendari debeat, petit. Senatus Principum magna sui parte constat ex Episcopis

pis. Itaque vicit eorum numerus, qui & librū à Cæsare propositum, & actionem omnem colloquii reiciebant. Quum autem Electores & alii nonnulli Principes non assentirentur, conceptum fuit aliud scriptum, & oblatum Cæsari: quem in eo monent, vt tanquam aduocatus & defensor ecclesiæ, rem omnem cum legato Pontificio communicet, Facit id Cæsar: & vt reipublicæ status, imprimis autem ecclesiæ reformetur, instat. Legatus ad ea respondet, sibi videri consultum, ne de cæteris rebus omnibus quicquam decernatur amplius: verum vt ad Pontificem omnis referatur actio, qui sanè per Cõcilium publicum, vel quantuis aliam rationem temporis accommodatam, sit facturus in hac cõtrouersia, quod toti reipublicæ, cum primis autem Germaniæ, proffit. Deinde, quò reformationis etiam videretur cupidus, Episcopos omnes ad se domum euocat, & ita se comparent hortatur, ne vel minimam suspicionem ambitionis præbeant, vt omnem luxum & quicquid omnino mali sit exempli defugiant, vt habitent in locis frequentioribus, & prouideant, ne morbus ille, qui iam per Germaniam grassatur, sensim obrepat. Vtile quoque fore dicit, si quibus in locis Episcopi non habitant, ipsi fideles habeant ibi ministros & emissarios, è quibus omnia cognoscant: & si fortè satanas alicubi conetur irrumperere, mox illi resistent & occurrant. Operam  
etiam

Ad Calendas  
Græcas  
vide-  
licet.



etiam dandam, vt in linguis & bonis artibus rectè iuuentus erudiat. quà quidem in re Protestantes nihil prætermittant diligentia. Nam in hoc esse totos, vt suis in gymnasijs vi-ri doceant, eruditione præstātes: atque ita fieri, vt adolescentes plærique omnes ad ipsos concurrant, imprimis autem genere nobiles, qui cum literis vnà religionem etiam illorum imbibant, eaque corrupti, cæteros deinde contagione sua lædant & contaminent. Theologi Protestantium, vbi hanc Cõtarenì orationem scripto comprehensam legerunt, iniuriam sibi fieri docent: & propter eruditionem hominis, longè meliora sibi de illo promississe dicunt. Principes Electores ad ea quæ Cæsar consuluerat, respondent, vt quæ conciliata sunt ad Cõcilij tempus vsque recipiantur, placere sibi dicunt. Protestantes verò Cæsarem orant, vt definita iam doctrinæ capita, fanciat & doceri iubeat. sic enim magis atque magis patefactum iri veritatem. Cæteri postea Principes, in quibus facillè primum locum obtinebāt Episcopi, & his adiuncti Bauari fratres, & Henricus Brunsvicensis, quid ipsorum sit consilij Cæsari separatim ostendunt: non sibi licere assentiri, vt vlla fiat mutatio religionis atque rituum, qui tot seculis valuerunt. Cæsar auditis omnium sententijs iterum proponit: & ordine commemoratis omnibus, quia diffiniri causa non possit, & verò præsens immineat

à Turca periculum non vno loco, multumque iam tempus elapsum sit, actionem ad Concilium velle se referre dicit: & à Protestantibus petit, vt interim nihil tentent præter ea quæ sint à theologis conciliata. Deinde monet Episcopos & proceres Ecclesiasticos, vt rationem ineant, quibus Ecclesiam quisque suam reforment, quò videlicet aditus fiat ad publicam emendationem. Galliarum Rex hoc durante conuentu, Cæsarem Fregosum Genuatem, Antonium Rinconem Hispanum, exulem, mittit ad Turcarum Cæsarem. Hi quum Padum nauigarent, ituri Venetias, capti sunt & trucidati, sub Calendas Iulii mensis. Ea res maximi belli causam postea dedit. Per legatum suum Rex ad Cæsarem de ea cæde queritur. quumque non ferret quale voluit responsum, satis præse tulit, bellum ex eo nasciturum esse. Fortè veniebat tum ex Hispaniis Georgius Austriacus, Maximiliani Cæsaris filius nothus, Archiepiscopus Valentinus, in Belgium rediturus. Is Lugduni comprehensus, in carcerem abducitur, vindicandi causa Fregosi & Rinconis. His ferè diebus Antonii Lotharingi Principis filius Franciscus, in matrimonium ducit Daniæ Regis Christierni filiam Christinam viduam. Tulit hoc molestè Galliarum Rex, eoque magis, quòd anno superiori filia Lotharingi nupserrat Auracæ Principi Renato, qui totus à Cæsare pendeat.

Quo

*Legati Gal-  
lici caesi.*



Quo tēpore Cæsar conuentus agebat Ratisbonæ, Ferdinandus Rex Budam obsidet & oppugnatur. *Buda oppugnatur.*  
 pugnatur, in qua tum erat Vayuodæ Ioānis vxor vidua, cum filiolo Stephano. Tutores autem infantis & regni proceres Turcicum auxilium implorauerant. Legatum ergo Turca mittit cum copiis, quæ mense Iulio Budam venerunt. ipse deinde cum reliquo exercitu, non multo post eò venit. Itaque Ferdinandici reiecti, Germani, Bohemi, Morauī, relicta obfisione, & ingenti accepta clade, fuga salutem sibi quærunt. Turca sub exitum Augusti munera mittit infanti Stephano, vestes auro textas, & equos valde speciosos, ac matri nuntiat cupere se puerum videre, petit vt in castra sibi mittat. Mulier perterrefacta, quum aliud non posset, hortatu procerum mittit vnà cum nutrice, comitatum turba nobilium. Ille perhumaniter excipit, & Reginae consiliariis ostendit velle sibi Budam tradi, neque prius ad matrem Reginam missus est filius, quàm re perfecta: & Transsylvaniam matri & filiolo concedit.

Peractis Ratisbonæ comitiis, Cæsar mox in Italiam contendit, & Lucæ cum Pontifice colloquitur, interea dum in naues imponitur exercitus, quem ex Germanis, Italis, Hispanis iam antè collegerat. Quia verò iam suberat hyēs, deterrebat eum Pontifex à nauigatione. sed ipselicet de clade Pannonica iā acceperat, *Expeditio Cæsaris in Afsicam.*

quo Turcas in diuersa parte destineret, omnino sibi proficiscendum esse duxit, & ad vigesimum tertium Octobris diem, Argieram appulit, urbem Africæ maritimam. Quo die classem Cæsar applicuit, cælum erat serenū & placidum mare: tertio verò die coorta vehementior tempestas, & imbres effusissimi quum nõ remitterent, administrationem belli totam impediuerunt: ita quidē, vt Cæsar amissis quàm plurimis nauibus & tormentis & reliquo omni apparatu, infecta re discedere cogeretur. Cladis huius nuntius in Galliam delatus, non obscuram lætitiā excitauit. fremebant enim plerique propter casum Fregosi & Rinconis: iamque tempus adesse dicebant illos vlciscendi. Rebus malè gestis & amissa Buda, Ferdinandus Rex, ordinum suorum agit conuentus Pragæ, Bohemorum vrbe præcipua. Ibi demū inter alia proceres Austriaci, supplicem libellum Regi tradunt, in quo infelicem reipublice statum, & suam propriè conditionem deplorant, qui tam vicinum habeant crudelissimum hostem Turcam, & eum quidem victorē. Itaque de remediis cogitādum esse: imprimis autem, vt ira Dei mitigetur: quod nulla meliori ratione fieri potest, quàm si Regis mādātu purè annuntietur verbum Dei, & eius doceatur Euangelium. Quare obtestantur, vt decreti nuper facti beneficium illis permittatur: nec illis, qui formam religionis Ratisbonæ in comitiis

nuper

Austriaci  
petunt doct.  
Euang.



nuper conciliatam sequetur, vlla fiat molestia. Qui ad hunc modum supplicarunt Austriacæ nobilitatis & ordinum nomine, fuerunt ad viginti quatuor proceres: ciuitates autem decē, & in his Vienna, deinde finitimi Stirii & Carni. Ferdinandus ad ea respondet, dolere sibi vehementer quas patiantur calamitates: nec se vnquam repugnasse, quò minus verbum Dei rectè doceretur, iuxta traditionem Apostolorum & interpretum, quos Ecclesia recepit & approbavit. Quamobrem ita sibi de ipsis inuicem polliceri, fore, vt conciliationem publicam, vel totius orbis, vel nationis Germaniæ Concilio obedienter expectent, nec aliquid mutent aut innouēt: sed in religione colenda, cæterisque præstandis officiis, patrum suorum sequantur vestigia: neque decretum Ratisbonense quicquam ad se pertinere putent. Illi rursum in eandem propè sententiam, paucis tamen, supplicat: & vt purus Dei cultus instituat, neque veris Ecclesiæ ministris periculum creetur, orāt. nam alioqui non esse, quòd vllam sibi de Turca victoriam polliceantur.

Paulò sub hoc tempore mortem obiit Episcopus Numburgicus, in cuiusque locum à collegio fuit adoptatus Iulius Pflugius, de quo diximus. Elector autè Saxonie Princeps, nõ hoc licere collegio, nisi de suo consensu, contēdebat, & reiecto Pflugio, Nicolaū Amstorffium, ex nobilitate theologum Wittembergicū, insti-

M. D  
XLII.

*Conuēsus  
Spirensis.*

*Bucerus  
Coloniā  
accessit.  
Anglic  
Rex iterū  
aliā vxore  
capite ple-  
dit.*

tuit, inaugurante Luthero, mēse Ianuario: qui  
pōst eius rei librū edit lingua populari: & Pflu-  
gio, tanquam hosti purā doctriņæ, gregē Do-  
mini minimē esse cōmittendū docet. Acce-  
pta per Hungariam clade, conuentū Cæsar in-  
dicit ordinum Spiræ, per Ferdinādum Regē,  
& initium fieri mense Ianuario iubet. Vbi con-  
uentum est, Ferdinandus Rex de more propo-  
nit, ac de Turca bene lōgum sermonem facit,  
qui per æstatē sit rediturus, vt non solūm quod  
in Hungaria reliquum est capiat: verum etiam,  
vt Germaniæ finitimas prouincias omnes in-  
uadat. His ita commemoratis, quid Austriaci,  
quid Hungari, quid Bohemi, & iis adiuncti po-  
puli, quid etiam suæ ditionis Ecclesiastici col-  
laturi sint in hoc bellum, cōmemorat. A con-  
uentu Ratisbonensi, Ioannes Gropperus Ar-  
chiepiscopi Coloniensis legatus, domū reuer-  
sus, Bucerum mirificè commendabat: & inter  
omnes idoneum esse dicebat, cui religionis e-  
mendatio rectè cōmitti posset. nā esse cum pri-  
mis doctum, & pacis amātem, & integrā vitæ.  
Episcopus ergo, qui iā antè nouisset Bucerū,  
& ipsius opera cogitaret uti, significat se cum  
ipso cupere loqui. Profectus eō Bucerus, hu-  
ius anni mense Februario, perhumaniter fuit  
exceptus, imprimis à Groppero. His etiam  
diebus Angliæ Rex vxorem Catharinam Ha-  
uardam capite plectit, quod cū eam pro vir-  
gine duxisset, antea fuisse corruptam atque vi-  
tiatā



tiatâ cōperisset. Qui vitiarat, in Hiberniâ con-  
cesserat, vbi publici quid muneris habebat.  
Reuocatus autē ab illa iam Regina, & in fami-  
liâ adscriptus, capite multatus fuit post illâ,  
vt & alii quidam, partim ob idem flagitiū, par-  
tim ob reticentiâ. Ea sublata sextâ Rex ducit,  
Catharinam Parrâ. Ad Spiræ conuētū, lega-  
tionem Galliæ Rex misit, cuius erat princeps  
Franciscus Oliuerius, Cancellarius Alenco-  
mus, qui bene longa oratione Germanos à bel-  
lo in Turcâ suscipiēdo, cū de eo deliberaretur,  
dehortatus est. Pontifex eō legatum miserat  
Ioannē Moronū, Episcopū Mutinensem.  
is de sentētia Pontificis rogatus à Ferdinādo,  
respōdet Pōtificē suppeditaturū esse in bellū  
Turcicū millia quinque peditū, si Cæsar ipse  
militiæ præsit. Sin autē, eius summæ dimidiū.  
Quod spectat ad Concilium, magis ei probari  
Mantuâ, aut Ferrariâ, aut Bononiâ, aut Placē-  
tiâ. veruntamē si hęc minus placeāt, nō illū recu-  
sare, quin Tridēti fiat, quōd sit ad Germaniæ  
fines oppidū. Ferdinandus & cæteri Principes  
pontificii & legati Cæsaris, gratias agūt: & pla-  
cere sibi Tridentum affirmant. Protestantes  
verō neque Concilium Pontificis, neque lo-  
cum, neq; quod in decreto eius sit facta men-  
tio, probāt, & contrā sentiūt. Galliæ Regis  
legati quum nihil proficerent, & ordines in  
bellum Turcicum inclinarēt, suāmq; præsen-

tiam & ingratham esse viderent, atque suspectam Cæsarianis, ante finem comitiorum a-  
 beunt subirati. Vbi domum reuertissent, Rex  
 ilico belli suscepit cōsiliū. Quoniam is erat  
 Germaniæ status, auxilia decretā fuerunt, &  
 exercitus comparari iussus, qui Ferdinandicis  
 copiis adiutus & auctus, vim Turcicam susti-  
 nere posset, & amissa recuperare. Summæ re-  
 rum præficitur de communi consilio, deque  
 Cæsaris etiam voluntate, Ioachimus Brande-  
 burgicus etiā Elector, qui Spira statim profe-  
 ctus ad viam sese parat. Ad idem ferè tempus,  
 orta fuit magna per Saxoniam simultas, inter  
 Electorē Principem, & Mauriciū, qui patri  
 Hérico, nuper mortuo, successerat. Lis erat de  
 finibus & oppido quodam: & Pflugii causam  
 non obscure probabat Mauricius, cōmendan-  
 tibus eum propinquis. Ad ciuile bellum res  
 omnino spectabat, nam ad arma conuocabant  
 vterque suos: verū Lantgrauii interuētū cō-  
 posita, quieuit. Initium fuit hoc offensionis in-  
 ter ipsos, quæ post aucta tempore, grauissimū  
 Germaniæ vulnus infixit. Et Mauriciū qui-  
 dem mirabantur multi eō vehementiæ pro-  
 gressum, vt cui tum ipse, tum parens, omnem  
 propè fortunam deberet, in eum tam acerba  
 cogitaret. Huc autem non parum attulisse mo-  
 menti putantur ex consiliariis nonnulli, qui  
 cum Georgio Principi fuissent admodum fa-  
 miliares, nec religionem amabant, nec Electro  
 rem

*Simultas  
 inter Prin.  
 Saxonie.*



rem etiam. Interea Pontifex Calendis Iu-  
 nii Conciliū indicit Tridenti, ad Calēdas No-  
 uembris: eoque venire iubet Patriarchas, Epi-  
 scopos, Abbates, & id genus alios, quibus iure  
 vel priuilegio Conciliis interesse licet, ac sen-  
 tentiā dicere permissum est. Iulio mēse Gal-  
 liae rex atrocissimis verbis bellū Cæsari denū-  
 tiat, & edito libello suis liberū facit, vt quacū-  
 que ratione possint, terra marique prouincias  
 illius deuastēt. Paulò antè Longeuallus & Ros-  
 femus in Brabantiam inuaserant, magnūque  
 terrorē inferebant imparatis: & proximum e-  
 rat vt Antuerpiam caperēt atque Louanium:  
 sed destituti rebus ad tormenta necessariis, &  
 progressis, quacunque vaderent, omnia popu-  
 lantur, & pecuniam extorquent, & vi patefa-  
 cta via, filio Regis Aureliano principi Carolo,  
 qui Lucemburgicæ regioni bellum tunc facie-  
 bat, mense Augusto sese coniungunt. In his co-  
 piis erant à Daniæ Rege missi equites ad qua-  
 dringentos. Præter Danuillerum, Virtonum  
 Iucēum, capta fuit etiam vrbs primaria Lucē-  
 burgum. Rex ipse diuersa parte bellum mou-  
 uet, & valido cum exercitu profectus Parpi-  
 nianum, quod est ad Pyrenæos montes oppi-  
 dum agri Ruscinonēsis, obsidet. Sed & per Pe-  
 demontium arma iubet expediri, ductore Gui-  
 lielmo Langæo, & in Atrebates atque Mori-  
 nos impetum facit, Vendomio Principe rem  
 administrante. Sic aded quinque diuersis locis

*Gallus Cæ-  
 sari bellum  
 indicit.*

hostem inuadit. Bellū Rex facturus, Polinum remisit ad Turcam, oratum vt in Prouinciam Galliam sibi classem mitteret. Quum autem aliquantō ferius Polinus aduenisset, Solymanus rem in annum sequentem reiiicit. Eo flagrante bello, Rex edita proponit in Lutheranos. Parisiensis etiam senatus, graui constituta pœna denuntiat librariis, ne quos libros damnatos atque suspectos excudāt, aut diuendant: & nominatim Ioannis Caluini librū, qui est de institutione religionis Christianæ. Dein de rogatu inquisitoris fidei, quem vocant, septimo Idus Iulii decernit, vt pro concione populus admoneatur, officiū suum ecclesiæ præstent, & si quem Lutheranum, aut de religione malè sentientē norint, deferant. hoc enim esse Deo gratissimum. Ecclesiæ verò ministris præscripta fuit formula, quam in explorando sequerentur. In hoc etiam tempore Meti docebant Euangeliū vnus & alter ordinis Dominicanī. Quūque sacerdotū turba non obscurum odium præ se ferret, plarique ciues vehementer orabant Senatum, ne docētes impediret, omnē obsequētiā professi. Venit etiam eò Guilhelmus Farellus, qui primò quidem in vrbe priuatim, post in castello quodā foris docebat. Quum autē Cæsaris essent ad senatum allatæ literæ, quibus mandabat ne quid in religione mutarent, & vt in fontes vindicaret, interdictum ciuibus fuit, ne cuius interessent cō-

*Edicta in  
Euangeli-  
cos.*

*Meti doce-  
tur Euan-  
gelium.*

*G. Farell-  
lus.*

cioni



cioni, qui non Episcopi & tredecim virorum  
 mandatu doceret. Hac ætate locustarum in- *Locusta.*  
 finita turba Germaniam & Italiam citeriorem  
 volando peruasit. Erant autē inusitata magni-  
 tudine, & vbi cūque sese demitterēt: agros de-  
 pascebātur. De Henrico Brunswicensi, de gra-  
 uissimis illius in Saxonem atque Lantgrauū  
 inuectiuis, deque incendiis excitatis, non se-  
 mel diximus. Quum autem Imperii ciuitates,  
 Goslarium & Brunswicum Smalcaldici fœderis,  
 perpetuis rapinis atque excursionibus ve-  
 xaret, neque Cæsaris & Ferdinandi Regis pa-  
 reret edictis, qui rogatu Protestantium, vt ab  
 omni vi temperaret, mandauerant, bellum ei  
 Saxo & Lantgrauius faciunt, communi socior-  
 um nomine: & breui tempore suam in ditio-  
 nem, ipsius agrum omnem perducūt, & arcem  
 non procul ab vrbe Brunswico positam, Wolf-  
 febutelum, in qua spem omnem collocauerat,  
 deditione capiūt. Ipse non diu commoratus,  
 aduentante iam hoste fuga sibi salutē petit. In  
 ea arce cōplures repertæ sunt literæ, quibus li-  
 quidò doceri potest quid ipse, quid Bauari,  
 quid Moguntinus, quid Heldus, & alii nōnulli  
 conati sint. Protestantes edito scripto, sui facti  
 causas prolixè commemorant: & non intulisse,  
 verū necessariò defendisse bellum sociis illa-  
 tum, demonstrant. Ad Idus Iulias fuit alter *Conuen-*  
 Imperii conuentus Noribergæ. sic enim decre- *tus Nori-*  
 tum fuerat Spiræ, propter bellum Hungaricū. *bergæ.*  
 Proponit Ferdinandus, ac petit ne tēpore tam

necessario Principes & ordines imperii reipublicæ desint. Exitus comitii fuit ad vigesimum sextū Augusti diem. Pœna decernitur in eos, qui decreto comitii Spirensis non obtemperant: simul alia quædam gerendo bello necessaria statuuntur. Principes nulli aderant, præterquam Prussiæ magister Waltherus, Bambergensis, Eistetensis, & Tridentinus, Episcopi, tum Cæsaris vicarii.

*Card. Cō  
sacranus.*

Dictum est antea de Cardinali Contareno. Is legatione sua non bonam iniit gratiam apud Pontificē & collegiū: quasi nō satis acriter Lutheranis sese opposuisset, & quasi rēp. Romanā propè in discrimē adduxisset. Quum absentē plarique grauiter accusarent, ab vno Fregoso Cardinali fuit defensus. In Italiam reuersus, non multò pōst creatus est legatus Bononiæ: vbi demum hoc anno, sub exitum Augusti, mortuus est, non sine veneni suspicione, quum paulò antè Fregosus quoque mortem obiisset. Qui familiariter illum nouerunt, de iustificatione hominis rectè sensisse dicūt. fuit vir cum primis doctus: & extat eius de magistratibus atque republica Venetorū liber.

*Poietus  
Cancellarius.*

Hoc ipso mense Gallia Cancellarius Guilielmus Poietus, mandatu Regis, qui tum Parpinianum ibat, captus de nocte. dū cubaret, in carcerem ducitur. Tertium hoc erat fortunæ ludibrium in Galliis, paucos intra menses exhibitum. Quum enim summum dignitatis gradum obtinerent, Amiralius, Connestablius



nestablius, Cancellarius, mutuis inuidiæ con-  
 flagrarunt odiis. Siquidem Connestablius à re-  
 stitutionse Amiralii aula excesserat, & domi in-  
 glorius priuatam vitam actitabat. Ad hoc tem-  
 pus Otto Henricus Palatinus Euāgelii doctri-  
 nam amplectitur. Idem faciunt Hildeffemeses.  
 De Concilio Pontifex literas atque diploma  
 statim ad Cæsarē miserat in Hispaniam. Cæsar  
 ad ea vigesimaquinta die Augusti respondet.  
 Initiò laudat eius conatum atque studium er-  
 ga rempublicam: sed Galliæ regem sibi confer-  
 ri dolet. hunc enim esse prodigum filium. se ve-  
 rò, qui nunquam ab officio deflexerit, multo  
 arctius complectendum esse dicit. Si igitur af-  
 flictam rempublicam iuuare velit, debere ip-  
 sum ex officio se profiteri illius hostē, qui to-  
 tius perturbationis & calamitatis est auctor,  
 qui Turcam in rempublicam Christianam eli-  
 cit & inuitat, qui nihil intentatum relinquit,  
 ut ambitionem, & animum vindictę cupidissi-  
 mū exatiare possit. Quū enim ad ipsum orbis  
 Christiani præcipua cura pertineat, rē ipsam  
 profectò postulare, ne diutius illum ita tumul-  
 tuari permittat: sed inimicum ei sese declaret.

Otto Pa-  
 latinus.

### LIBER XV.

Quum iam vndique bellum ferueret, Pon-  
 tifex Augusti die vigesimosexto lega-  
 tos mittit, Cardinales pacificatores,  
 Michalem Visensem Lusitanum ad Cæsa-  
 P.

rem, Iacobum Sadoletum ad Gallia Regem, orans vt priuatas iniurias reipublicæ condonent, & ad pacis consilia sese referant. Legatos quoque Tridentum mittit ad synodum, Cardinales Parisium, Polum, Moronum. Hoc

*Bellum Pannonium.*

tempore exercitus imperii nulla re per Hungariam perfecta, quum Pestam oppidum frustra tentasset oppugnatione, domum redit: & è contagione multa hominum millia desiderata sunt. Hunc finem habuit bellum Pannoniū. Pontifex ad tria millia peditum auxilio miserat, Alexandro Vitellio ductore. Exarsit

*Bellum inter Anglos & Scotos.*

& hoc tēpore bellum inter Anglos atque Scotos, cuius hæc fuerat ante annū occasio, quòd Scotus, quum ad auunculum Angliæ Regem, transigendi de finibus causa, venturum se constituisset Eboracum, dehortante matre & multis ex nobilitate, non venit. Accidit autem vt Scoti sub initium Decembris hoc anno prælium aduersum facerent, eo in prælio capti fuerunt complures genere nobiles: ac sponte quidem, quòd ducem contemnerent, humili loco natum, & illum sibi præpositum esse grauitè molestèque ferrent. Eo facto vehementer indoluit Rex, domumque reuersus, paulo post mortem obiit. Fuit hoc pridie Iduum Decembris, quum ante diem octauum vxor ei filiam peperisset, Mariam: quæ res dolorem etiam auxit, quum hærede masculino careret. Nam anno superiori filiolos duos intra vigin-  
tiqua-



triquatuor horas diuersis locis amiserat. Vxo-  
rem autem habebat Mariam, Claudii Guisii  
principis è familia Lotharingica filiam. Labo-  
rantibus ad hunc modum Scotis, Galliaë Rex  
auxilio mittit pecuniam & tormenta. Mor-  
tuo Rege summa rei permiffa fuit Arraniaë  
Comiti Iacobo Hameltonio, qui Regis erat  
consobrinus magnus. Proximum ab eo locum  
tenebat Cardinalis Andreanus, Galliaë Regi  
deditiffimus. Diximus antea de Saxoniaë  
principe, Henrico, qui pro se filioque Mauri-  
cio foederi Protestantium nomen dederat.  
Ab eius verò morte sollicitatus Mauricius,  
non se teneri vinculo patris, nec ab illo potuiff  
se obligari, dicebat. Profligatus vt supra  
dictum est Henricus Brunsvicensis, accusat  
Saxonem, Lantgrauium atque socios ad Cam-  
eram : qui deinde citati tribunal illud at-  
que iudicium in omnibus planè causis men-  
se Decembri recusant, & missis eò legatis  
testificantur, non se quidem recusare legiti-  
mam aut ordinariam iurisdictionem, sed ip-  
sos repudiare iudices, qui sint diuersæ reli-  
gionis. In conuentu Ratisbonæ decretum erat,  
vt huius anni mense Ianuario Camera refor-  
maretur. Hoc protestates itaratum habebant,  
si modò suæ quoque religionis homines in  
eum confessum admitterentur.

Quum *Seditio R. & p. lla.*

Parpinianum Galliaë Rex obsideret, seditio

fuit nata Rupellæ, quod est in Xantonibus oppidum maritimum, celebre cum primis, & opportuno loco positum. Ab Anglis aliquando possessum fuit, sed ad Galliæ ditionem rediit, Carolo quinto Rege, qui patri Ioanni successerat. Causa motus fuit propter impositum ab Rege præsidium, ductore Iarnaco Amiralii cognato. Vicinis etiam in locis tumultuose res agebatur ob salinarum vectigal, Regis administris & quæstoribus, qui eò venerant, repulsis. Vbi primùm Rex accepit, nouum eò præsidium mittit equitum atque peditum. Iarnacus etiam tormenta illis omnia tollit & arma: & occupatis portis, excubias atque stationes ibi collocat. Vltima deinde Decembris die Rex eò venit: & postridie pro tribunali sedens, quum & oppidani & vicini, supplices adque pedes illius proiecti, misericordiam implorarent, culpam illis cõdonauit, postquam illos graui & affectuum plena oratione obiurgasset. Ianuarii die decimosextimo, Ferdinandus Rex cum duobus filiis Noribergã venit, comitiu causa. Post octauum deinde diẽ venit etiam eò Græuellanus ab Hispaniis, qui per Tridentum iter faciens cum episcopo Atrebatensi, filio, legatos Põtificios ad progressionem fuerat hortatus. Secundo Calendas Februarii rex Ferdinandus proponit, & quia superioribus aliquot comitiis decreta sint aduersus Turcam auxilia continua, monet ac petit vt in eam cogitationem

M. D.  
XLIII.

Comitia  
Noribergæ



nem omnes incumbant. nuntuari enim ab omnibus, illū hoc anno maximis viribus in Hungariam esse rediturum. Protestantes interea Ferdinandando regi Cæsarisque legatis libellum supplicem tradunt: quo rogabant ut iuxta veteres Imperii leges & Cæsaris declarationē, Camerae iudicium emendetur, & alii constituentur iudices. Sed tum Ferdinandus Rex & Cæsaris legati dicebāt, absque causæ cognitione nō posse remoueri Camerae iudices, & eius emendationem iam esse decretam: & Henrico Brunsvicensi, qui sit eiectus, repetenti sua, non posse ius denegari. Quum propter Cæsaris adventum ad multo grauius bellum restenderet inter ipsum atque Cliuensem, Principes Electores & alii ordines per legatos intercedunt, & vix demum inducias impetrāt à Granuellano: non quidem certas ac definitas, verum tales, ut esset in arbitrio Cæsaris, ubi primū Germaniam tetigisset, illas vel habere ratas, vel repudiare. atque interim oppidū Sittardum, quod est ad fines agri Iuliacensis, valde munitum, in potestate Cæsaris futurum erat, donec ille quid suæ esset mentis explicaret. Sed interea fuit commissum prælium ad id oppidum Martii die vigesimoquarto. Quumque superior in eo esset Cliuensis, partim ob hanc victoriam, partim impulsu Regis Galliarum pecuniā subministrantis, animum obfirmavit, repudiatis induciis, quum legati domum rediissent.

*Inducia est  
Cliuensis.*

Galliæ Rex aliquâto serius accepit literas Cæsaris ad Pontificem datas, de quibus libro superiori diximus, ideóque nunc tãdem scripto valde prolixo respondet. Paulò ante hoc tempus mortè obiit Guilielmus Bellaius Langæus, de quo non semel est facta mentio, summæ vir dignitatis atque virtutis, & præcipuè Gallicæ nobilitatis ornãmētum, ob insignem doctrinam, eloquētiam, vsum rerū, & singularem in omni functione dexteritatem: longè mirū dissimilis à plerisque Regū sectatoribus, qui suas modò facultates amplificare studēt. Ipse autē ingenio præditus heroico, solùm ed spectabat, vt solida virtute sibi verã gloriã cõpararet, & fidelè operam suo principi, vel cum rerum suarum dispendio, nauaret. Concionabatur his diebus Euangeliũ fati purè, Frãsciscus Lãdrus in æde sanctæ crueis Lutetiæ, neque missificabat, quòd vino abstineret, vel natura, vel instituto. Hũc diebus aliquot ante Pascha theologi in carcerè abducẽdũ curauerũt. Rex ea de re certior factus, hunc ad se euocat. Ille quũm ed venisset, perterrefactus quorundam vocibus, qui Regem vehementer exacerbatum dicerent, non præstitit eam constantiã, quam ab eo complures expectabãt. Quare Aprilis die vigesimonono cogitur ea quæ prius docuisset detestari sua voce. Eodẽ modo fuit actum paulo pòst, licet non ita solenniter, cum altero quodam populi doctore, Depensio.

Huius

• Langæus

Præf. Langæus  
drim.



Huius anni principio Bucerus ab Archiepiscopo Coloniensi vocatus, Bonnæ cœpit docere, quod est ad Rhenum circiter quinque supra Coloniâ milliariibus oppidum. Ad Idus deinde Martii cōuentus agit ordinum Episcopus, Bonnæ: & vt de pia reformatione deliberetur, petit. Quum autem clerus neminem ad hoc designaret, reliqui ordines ab Archiepiscopo contendunt, vt pro suo iudicio deligat homines ad eam rem idoneos. Bucero igitur munus hoc cōmittit, vt doctrinæ Christianæ capita conscribat: & quò rectius omnia fierent, Saxonix Principem Electorem orat, vt Philippū Melanchthonem adiungat. Cùm is venisset, & à Langrauiō Ioannes Pistorius, ac perfectum esset opus, Archiepiscopus illud primarii templi Coloniensis Ecclesiasticis mittit, qui sunt omnes illustribus nati familiis.

Deinde ad vigesimumsecundum Iunii diē alterum indici conuentum, vbi hi quos diximus Ecclesiastici, pertinaciter hoc vrgebāt, vt Bucerus & alii quidam nuper instituti populi doctores, loco submoueantur. Id non recusabat Archiepiscopus, si vel falsę doctrinę vel impurę vitę quispiam eos conuinceret. Quum igitur in eo res permaneret, illi librū aduersariū parāt, & Antididagma vocāt. In eius libri præfatione, post magnam vim conuiciorū in Lutheranos, claris verbis affirmant, sub imperio

Coloniensis  
reformatio.

*Gropperi  
inconstãtia*

Turcarum malle se viuere, quàm sub Magi-  
stratu, qui reformationem illam sequatur at-  
que defendat. Huius libri, vt aiunt, fuit archi-  
tectus Gropperus. Nam is, quum res in eum ef-  
set deducta casum, à Buceri amicitia se totum  
auerterat: & Principe relicto, cui omnem for-  
tunam debebat, in aduersariorum castra tran-  
sierat. Bucerum vehementer oppugnabant  
theologi Colonienses, & grauissimis acerbabãt  
cõuitiis. Ille verò disceptationẽ fieri petebat.  
Ad eius quoq; defensionem Melanchthõ tunc  
libellum emisit: & ad modestiam illos horta-  
tus atq; studium veritatis, quàm tetros defen-  
dant errores ostendit. Saxonix Dux Mau-  
ricius ad hoc tempus leges aliquot cõdit, pro  
conseruanda puritate Euangelii. Et quia iu-  
uentus est veluti seminarium tam Ecclesiæ  
quàm reipublicæ, tres literarum ludos insti-  
tuit, Misenæ, Merseburgi, Portæ: & in hunc  
vsum applicat eorum collegiorum prouen-  
tus, in quibus aliquando monachi vixerant,  
& id genus alii. Academiam Lipsensem auget  
& amplificat. Mendicationem prohibet: & vt  
subueniatur egenis familiis, pecuniã annuam  
certis locis designat. Adulteros gladio feriri  
iubet. Cæsar ex Hispaniis decedens, filium  
Philippum designat Regem, & in matrimo-  
nium ei dat Ioannis Lusitaniæ Regis filiã, Ma-  
riam. Hoc etiam anno Sigismundus Po-  
loniæ Regis Sigismundi filius, in matrimoniũ  
ducit

*Mauriciũ  
leges.*



Iucit Ferdinandi Romanorum Regis filiam,  
 Elisabetham. Henricus Brunsvicensis ad  
 Cæsarem in Italiam profectus, Cremonæ gra-  
 uiter accusabat Protestantes. Aduentan-  
 te iam ex Italia Cæsare cum copiis, Protestan-  
 tes Smalcaldiæ conueniunt, & de legatione ad  
 illum mittenda, de rebus ad agri Brunsvicen-  
 sis tutelam atq; fœdus pertinentibus, de Mau-  
 ricio Principe sollicitando, de Sueciæ Rege, de  
 Ottone Henrico, de Wolfgango Principe Bi-  
 pontino, de Monasteriensi Episcopo, qui qui-  
 dem omnes cupiebant in fœdus recipi, delibera-  
 rant. Paulo sub hoc tempus Cæsar & An-  
 gliæ Rex fœdus faciunt aduersus Galliæ Re-  
 gem, qui Scotis opem ferebat. Hanc verò so-  
 cietatem grauiter tulit Pontifex, ideòq; Gal-  
 licam amicitiam sibi ducebat esse necessariam.  
 Quum sub exitum Iulii, Spiram Cæsar venis-  
 set, Protestantes eò mittunt legatos, qui dice-  
 rent, siquidem sibi idoneè caueatur de pace, si  
 Cameræ iudicium emendetur, si contributio-  
 num tollatur iniquitas, non se defururos pu-  
 blicis necessitatibus. Quod ad Henricū Brun-  
 svicensem attinet, senatum sibi dari, causam-  
 que cognosci petunt, & illum, qui prior vim  
 fecisset, iure pulsum se demonstraturos aiunt.  
 Cæsar ad ea, non esse quod amplius requirant:  
 satis enim ipsis de pace cautum superioribus  
 decretis. Cameræ iudices indicta causa remo-  
 veri non posse. Iam Octobri mense futurū, vt

*Fœdus Cæ-  
 saris cum  
 Angliæ.*

de ipsis inquiratur: nec impune fore, si quid in eis culpæ residebit. Contributionum moderationem, nisi de cõmuni omnium ordinum voluntate ac cõsilio fieri nõ posse. Brunsvicensem, nisi restituatur, rationes initurum, quomodo sua recuperet. Nono die Augusti Cæsar Mogütia dat literas ad senatum Coloniensem contra Bucerum & alios Euãgelii cõcionatores. Calendi etiam Iunii Põtifex collegis primarii templi Coloniæ scribit, in hac animi sollicitudine & dolore, quem percipiat ex Archiepiscopi vesania, valde se recreari fortitudine illorum atque pietate. Quod enim & amplissima ciuitas & prouincia tota sit incolumis, post Deum immortalem ipsis acceptum esse ferendum. Itaque permagnas ipsis agere gratias, ob tam strenuè nauatam operam: cuiusque rei perpetuam apud se fore memoriã. Veruntamè opus esse constantia, vel eò maximè, ne si relanguescant, Archiepiscopus, quum fortè superior euadet, grauiter in ipsos vindicet. Sint ergo fortes in defensione nominis Diuini, & catholicæ religionis, & suæ ipsorum libertatis atque salutis, quam impius Hæresiarcha studeat euertere totam & labefactare. Paulò ante hoc tempus Galliæ Rex in Veromandos cum exercitu profectus, oppidulum Landresium Cæsari adimit, & opere præfidiõque munit. His ipsis quoque diebus Barbarossa Turcicus legatus, ductore Poli-

*Pontificis  
litere ad  
Colentens.*



no Gallo, magna cum classe Tollonum applicuit, quod est prouinciæ Galliæ oppidum atque portus, inter Massiliam atque Niceam. Eius de aduentu Rex ubi cognouit, Angianum Vendomensē cum copiis & trimibus illi mittit auxilio. Postea simul ambo Niceam versus contendunt, & quum oppidum atque portum Augusti mēsis die vigesimo cepissent, arcem obsident. Alter Turearum exercitus in Pannoniam irruit, Quinqueecclesiam oppidum & urbem arcemque Strigoniam capit, Albam autem regalem expugnat.

*Classis  
Turcica.*

Cæsar Moguntia Bonam venit secundo flumine. Docebat ibi tum Bucerus, ut antè diximus, & Gaspar Hedio quoque, Argentina nuber accersitus ab Archiepiscopo, vir & ingenii valde sedati, & ad docendum populum imprimis idoneus.

Erant uterque non in nullo discrimine, maximè præsentibus Hispanis. Cæsar etiam ut eos dimitteret ab Archiepiscopo per legatos contendit. Melanchthon iam antè discesserat. Illi etiam non multo post impetrata dimissione, & constitutis Ecclesiis atque Ministris, domum reuerterunt. Inde Duram Cæsar petit, & postridie quàm eo venisset, misso præcone deditionem sibi fieri postulat: nisi faciant, bellum denuntiat. Milites præsidarii contemptim respondent, neque sibi periculū

*Dura ex-  
pugnatio.*

esse dicunt ab illo, qui iam pridem sit factus esca piscium. Nam rumor increbuerat, Cæsarem, quum post cladem Argieranam ex Africa domum rediret, facto naufragio periisse. & hæc opinio sic infederat animis populi Cliuensis, vt etiam illis, qui se non vidisse modò Cæsarem, sed conuenisse quoque dicebant, vix crederent. Principi quoque fuit idem persuasum, fatali quadam credulitate. Huius autem figmenti auctores fuisse putantur Galli, ne Cliuenses remollescerent, ac Cæsaris potentiam veriti, paciscerentur. Eo dato responso, Cæsar Augusti die vigesimoquarto, prima luce tormentis oppidum oppugnat, postea militem immittit, Hispanos maximè, quorum erat ingens alacritas. Ii sæpe repulsi, quum plurimos è suis desiderassent, non prius conqueuerunt, quàm vi caperent. Oppidanorum ea fortuna fuit, quæ solet esse quum ferro via sit & aditus. Oppido direpto & incenso Cæsar progressus, Iuliacum, ac deinde Ruremūdā, oppidum Geldriæ munitum, deditione capit. Ruremunda Venlonum petit. Eò tandem ad ipsum in castra venit Dux Cliuensis, comitatus Henrico Brunsuicensi, & legatis Archiepiscopi Coloniensis Hermanni. Cùmque supplex deprecaretur, Brunsuicensis etiam & legati vehementer intercederent, Cæsar tandem confurgit, & Auraicæ Principi ac Granuelano dat negotium, vt leges illi præscibant,

inter

*Cliuensis  
Cæsari sup  
plex.*



inter quas adscriptum est, ne ab ecclesiæ catholicæ religione discedat: si quid mutauit, restituat.

Hoc tempore Britannia Rex Henricus, foedere nuper associatus Cæsari, copias aliquot militum transmittit in Belgium, qui Cæsarianis coniuncti Landresium obsident. Interea venit Metim initio mensis Octobris, missus Cæsaris, Carolus Bosetus iureconsultus, & communicato cum Senatu, cum monachis & Ecclesiasticis consilio, quum ex concionatoribus alterum ad se vocatum acriter obiurgasset, mandat, ut ante triduum excedat vrbe, neque sermonem deinceps cum vlllo ciue conferat, capitis denuntiata poena, si secus faciat. Post recitatur edictum Cæsaris, quo Senatui mandat, ne quid noui dogmatis admittant, & in fontes animaduertant. Itaque Senatus edicit ciuibus, ut antiquam religionem colant: ut qui se dederunt in tutelam ac fidem Protestantium, intra certum tempus ei renuntient. qui secus fecerint, iis & multam & exilium & alias penas constituit. Vigebant hoc anno se-

*Euang.  
Meti profis  
gatum.*

*Seditio in  
Scotia.*

ditiones atque turbæ per Scotiam, diuisis procerum animis. Nobiles enim illi, quos in Anglia captos fuisse diximus, liberaliter à Rege dimissi, rebus eius vehementer studebant. Cardinalis autem Scotus, qui magnos haberet in Gallia census annuos è sacerdotiis, & Regina Guisii filia, Regis Gallia partes tuebantur.

A morte Scotiæ Regis, Henricus octauus in hoc erat totus, vt Eduardo filio suo Reginula Scotiæ, nuper nata, desponderetur. In ea re bonam operam nobiles illi, quos diximus, ei nauauerunt: & quû Iacobo Hameltonio persuassissent, Cardinalem Andreanum capiunt, & Reginam in arce quadã obsident, & confectis literis matrimonium illud ratum habent. Cùm autem Galliæ Rex consilium hoc turbaret: nobilitas etiam Reginæ sortem indignè ferret, & Hameltonius in alteram partem transfret, discussus fuit à pactis. Itaq; bellû rursus inruduit inter ipsos & Anglos, vt infra dicitur. Bellû etiam erat Daniæ Regi cum Cæsarianis Belgis, propter Christiernum Regem captiuum. & ille quidem Protestâtes de auxiliis interpellabat: sed hi causam hanc ad fœdus nihil pertinere dicunt. nam cautum erat, si religionis nomine ei bellum fieret, vt tunc communibus auxiliis defenderetur. Cliuentis facta cum Cæsare pace, legatum mittit ad Galliæ Regem, eiusque fœderi renuntiat, & vxorem sibi mitti petit, pro cuius trãsitu, fidem publicam Cæsaris impetrasset. Rex legato respondet, quò minus sit ei & vxor tradita, & missus etiam exercitus, per se non sterisse: verùm ipsius factum esse culpa, qui auntiarit non patere viam per ea loca, quîq; sui generis & conditionis oblitus, in talem seruitutem sese coniecerit. Ad neptem quòd attinet, licere vt de parentum atque

Danius in  
Casaria  
1705.



que etiam illius voluntate cognoscat. se quidem nulla re amplius ipsi deuinctum esse.

Cæsar compositis rebus per Geldriam, Octobri mense Landresium venit ingenti cū exercitu. Venit etiam eò Galliæ Rex totis viribus: & omnino res ad prælium spectabat. sed quum annonam intulissent Galli, silentio notis illinc discedunt: nec deprehensum hoc ab hoste fuit, priusquam illuxisset. Tunc demum insecuti, postremum agmen morantur, & complures interficiunt. Landresii militabat Cæsari voluntariè Mauricius, qua quidem re magnam sibi beneuolentiam & aditum ad illius amicitiam comparauit.

Fuerat indictus à Cæsare conuentus Imperii ad vltimum Nouembris diem. Prostantes ergo Francofurti prius conueniunt, & de rebus abs se tractandis in comitio deliberant. & quum propter bellum Gallicum res extraheretur, Saxo & Lantgrauius datis ad Cæsarem literis, ad comitia se venturos dicunt: siquidem ipse veniat, & sibi sociisque publica fide caueat. Cæsar se venturum responderet, ac simul cautionis formulam mittit.

Initio deinde Ianuarii mensis è Belgio profectus, Spiram venit. Huius mensis vigesima quarta die fuit magna solis eclipsis interdiu, sic vt ab omnibus non sine admiratione cōspiceretur. Lunæ quoque hoc anno tres fuerunt eclipses plenæ. res nimirum prodigiosa, &

M. D.

XLIII.

Comitia

Spiræ.

Eclipses so-

lis &amp; lunæ

quam à Caroli magni tempore non accidisse  
Physici dicunt. Frequens admodum fuit hic  
Spiræ conuentus. nam & Ferdinandus Rex, &  
Electores omnes, quod rarè fieri solet, ade-  
rant, & plerique Principes omnes, & in his  
etiam Cliuentis. Adueniens Saxoni, obuiam  
profecti sunt Lantgravius, Archiepiscopus  
Colonienfis, Fridericus Palatinus, & Sciciliæ  
Prorex. Biduo post fit initiũ, & proponit Cæ-  
sar, petitque vt de perpetuis & continentibus  
in Turcam auxiliis deliberent: & dispiciant,  
qua potissimũ via tolli possit religionis dis-  
fidiũ. Galliæ Rex, qui facilè poterat scire Cæ-  
sarem de se grauem habiturum querimoniam  
ad Principes, legationẽ decernit amplissimã,  
Ioannem Bellaium Cardinalem, Franciscum  
Oliuerium Alenconiũ, Africanum Malleiũ,  
prætorem Diuionensem. Hi quum Ianuario  
mense venissent Nanceium, oppidum Lotha-  
ringiæ, cautionem Cæsaris expectant: quam  
per fœciale præmissum Rex postulabat. Sed  
is asperrimis verbis à Cæsare reiectus fuit, ac  
tota Germania iussus faceffere. Electores ac  
reliqui ordines omnes, monitu Cæsaris, Apri-  
lis die secundo dant literas ad Heluetios, qui-  
bus orabant, ne Galliæ Regi, qui propter im-  
pium fœdus cum Turca haberi debeat pro  
communi hoste, suos deinceps militare pa-  
riantur, & eos, qui iam profecti sint reuocent:  
& ita se gerant, vt publicam salutem ipsos  
noluif-



noluisse negligere, videri possit. Aprilis die quinta Saxo, Lâtgravius atque socii Brunsvicensis Henricū coram Cæsare, Ferdinando Rege, & totius Imperii cōfessu de scripto gravissimorum criminum accusant, & ordine commemorant etiam quid dāni dederit Brunsvico & Gossariæ civitati, sociis & cōfœderatis: quorum salutis defendendæ causa, coacti sint ipsi vim illam iniustam propulsare. Postea recitant quomodo annis nunc aliquot totus in hoc fuerit, vt bellum ipsis per occasionem inferret, idq; literarum testimoniis demōstrant, quas arce illius primaria capta repererāt. Post hæc impium esse, ac Pontificiam quoque religionem, cuius defensor videri velit, ab eo contemni & ludificari dicūt, ac testimonio cuiusdam puellæ luculentissimo docēt. Hanc enim quum deperiret, finxit mortuam: cuiusque exequias, pro veteri & inter Pontificios vsitata consuetudine, à sacrificiis curavit fieri: quum simulachrum pro ea ad sepulchrum efferi fecisset, & illius interim rectè valentis in quodam castro assidua frueretur consuetudine. Brunsvicensis accusationi Protestantium, cui ipse non adfuerat, ita volente Cæsare, Aprilis die vigesimatertia respondet, & vim magnam conuictiorum passim effundit: atque huius re-  
 criminationibus Protestantes iterum respondent. Postridie Paschæ, qui tum erat Aprilis dies decimusquartus, Cæsariani milites,

*Exequias  
 vivantis  
 puellæ.*

*Pugna ad  
 Cavignanum  
 numo.*

Alfonso Daualo ductore configunt in Pedemontio cum Gallis, ad Carignanum oppidum, & superantur, multis milibus desideratis. Gallorum dux erat Angianus Vendomensis: ea nuntiata clade, Cæsarem multi putabāt non recusaturum actionem pacis, verūm obfirmatè bellum parabat.

Aprilis die vigesima septima Sabaudię Dux Carolus Gallię Regem in senatu Principum, per legatos accusat, & præter superiorum annorum vim atque iniuriam, excitatum ab eo dicit Turcicum legatum Barbarossam, qui Gallorum copiis adiutus, Niceam oppidum suum deditioe ceperit, contraque fidem datam diripuerit, & plurimis in seruitutem abductis, incenderit. Petit igitur vt sibi vehementer afflicto subueniant: præsertim quum ad arcis obsidionem omnino redituri videantur hostes, & ipse sumptum tolerare nequeat, quum vix habeat quò se, filium atque familiam alat. Ad hoc tempus Angliæ Rex ingentem classem mittit in Scotiam. Hi secundam nacti tempestatem, quum appulissent Leatham, nobilem portum, pòst Edinburgum primariam urbem Scotiæ capiunt: & quum arx ibi defenderetur, neque capi posset, incendūt. Fuit hoc initio mensis Maii. Hoc in comitio Cæsar Wolfgangū Prussiæ magistrum ceremonia solenni, palàm inaugurabat, eique Prussiæ magistratus insignia conferebat: in  
que

*Anglica  
classe in  
Scotos.*



quo multis iam annis erat Albertus Brandeburgicus, Casimiri & Georgii frater, & uxore ducta sibi illum vsurpabat, còque nomine proscriptus fuit à Camera ante annum duodecimum. Poloniæ autem Rex Sigismundus, veluti beneficiarium suum atque clientem defendebat.

Legati Hungari quum superioris anni cladem recitassent, opem implorabant Imperii: iam enim ad extremum casum rem esse deductam. & si destituantur, facturos omnino se, quod rebus desperatis fieri soleat, & quod à nemine reprehendi possit: subituros esse quantumvis iniquas còditiones, & seruitutem ipsã potius, quàm vt reliquis otiosis & inspectãtibus in exitium voluntarium ruant. Saxonis <sup>Saxonis</sup> dux Ferdinandum pro Romanorum Rege no- <sup>pacta cum</sup> <sup>Cæsare</sup> <sup>Ferdin.</sup> lebat agnoscere. Hoc autem in conuentu Maio mense tráfacta res fuit, & obseruantia Saxo promisit. Cæsar inuicẽ pactionem dotalem Saxonis atque Cliuensis confirmat, quod antehac perpetuò recusauerat: & si Cliuensem mori contingat absq; liberis masculis, & ei Saxo sororius liberq; mares omnino succedãt, per mittit: ea tamen conditione, siquidẽ ante hũc casum de religione conuenerit. Arctioris etiã vinculi causa, Ferdinandus approbãte Cæsare, filiam suam Eleonoram, Saxonis filio nato maximo despondet, si conciliatio fiat religionis antequam illa sit matura viro

Posterius hoc valde fuit arcanum, & magno silentio tegebatur vtrinque: sic vt ne Langrauius quidem atque socii, quicquam de eo scirent. nam acta res fuit à paucis consiliariis: & Cæsar Granuellanum, Ferdinandus Hofmannum, Saxo Pontanum atque Burcartum adhibuit. Daniæ quoque Rex missis legatis omnino transiit cum Cæsare, quum ad illud vsque tempus per totam Hyemem copias militum aluisset in futurum euentum. A Galliæ regis amicitia videbatur discedere, propter societatis Turcicæ famam. nam hoc propè significabant legati, quum familiarius ad socios loquerentur. Nunc ad postulata Cæsaris atque Ferdinandi reuertendum. Diu multumque re deliberata, Iunii mensis die decimo finem habuit conuentus. Ordines Imperii pecuniam Cæsari decernunt semestrem aduersus Galliæ Regem, in equitum millia quatuor, peditum viginti quatuor. Eius vero pecuniæ partem aliquam Cæsar communicat Ferdinando fratri, quò loca finitima Turcis muniat. In futurum bellum Turcicum colligi placuit pecuniam viritim per Germaniam, pro cuiusque facultatibus atq; censu. Et quia

*Decretum  
omnium.* diffidium religionis in his bellicis occupationibus tractari non potuit, ad proximum conuentum, inque mensem Decembrem reiicitur. Interea Cæsar negotium se daturum ait viris bonis atque doctis, qui piam aliquam emen-



emendationis formulam conscribant . vt idem quoque Principes faciant hortatur , quò post in futuris comitiis facta collatione , de communi consensu statuatur aliquid , quod ad publicum orbis Cõcilium vsque feruetur , in Germania peragendum . Pacem interim colant omnes , neque turbę quicquam ob diuersam religionem excitetur : & Ecclesię cuiuscunque sint religionis , vtrobique facultates suas obtineant , ex iis que bonis decidatur Ecclesię ministris , scholis , & egestate pressis . Decretum hoc minimè laudabant Pontificii , totisque viribus impugnabant . Sed quum Coloniensis & Monasteriensis Episcopi starent à Protestãtibz , Cliuensis etiam & Badensis arbitrio Cæsaris omnia permitterent , qui viam hanc , veluti mediam & vtrisque tolerabilem , post multam disceptationem ostenderat : illi bona sui parte deminuti , non se quidem assentiri , sed neque Cæsari modum in eo præscribere , nec ipsius derogare potestati , sed tolerare velle dicunt . Palatinus Elector Fridericus & Brandeburgicus Elector intercesserant , vt ita decerneretur . De lite Brunsvicensi post varam & multam actionem ita demum placuit , vt Cæsari , tanquam summo magistratui permittatur omnis ager Brunsvicensis , donec vel amicè , vel iure ac legibus disceptata lis fuerit ac definita . prouincię verò administrationē Cæsar committat vel Palatino , vel

Pontificii  
deminuti.

Litis Breuo  
susc. defi-  
nitio.

Electori Brandenburgico. item, Mauricio vel  
 Cliuensi Principi, pœnam violatę pacis luâr,  
 qui non parebunt. Auxilia belli Gallici ciui-  
 tates inittid recusabant, propter mercaturam  
 & comœatum. sed quum Principes assensif-  
 sēt, & plena esset odii Galliar Regis causa, sub  
 scripserunt & ipse. Quum Lantgravius domũ  
 rediturus ad Cæsarem venisset salutandi cau-  
 sa, perbenignè fuit acceptus, & Cæsar quod mi-  
 nus iam ipsius vteretur opera contra Galliar  
 Regem consultò fieri dicebat, ne grauaret ip-  
 sũ odio: sed eo cõfecto bello, profecturum  
 se statim in Turcam, & ipsum velle sibi lega-  
 re, totũque administratoni bellicę præficere.  
 Quũmq; ille verecũdè se excusaret atq; demit-  
 teret, velut impar tãtę puincię: Cæsar, Tibi,  
 inquit, & aliis aliquãdo rectè belligeratus es,  
 nõ dubito quin & mihi bonã operã præstare  
 possis. atq; his verbis amicissimè dimittit. Il-  
 le spe bona plenus & hilaris, qui tam propitiũ  
 haberet Cæsarem, domum reuertit. Finito  
 conuentu Cæsar Spira proficiscitur Met-  
 tim. iam omnis illius exercitus ad Galliar fines  
 in Lotharingia cõuenerat: & sub finem Maii  
 Lucemburgũ vrbem deditiõne recuperat. Mi-  
 litabant Cæsari Saxoniar Dux Mauricius, Al-  
 bertus Brãdeburgicus, cũ singulis equitũ milli-  
 bus. itẽ, Guilielmus Furstẽbergius, peditũ præ-  
 fectus, et Sebastianus Schertelinus, Protestatiũ  
 reli-

*Cæsaris ir-  
 ruptio in  
 Galliam.*



religionis omnes. Cæsaris exercitus progressus, Linzum oppidum & arcem, tribus à Barra miliaribus capit. Inde Sanderisium petit, quod est Gallicæ ditionis oppidum. Tenebatur autem firmo præsidio militum, quibus præerat Landæus ille, qui Landresium à Cæsare & ab Anglis ante annum fortiter defenderat. Dum hæc ita geruntur, mortem obit Antonius Lotharingiæ Dux, non tam ætate grauis, quam solitudine confectus, ob vicinum & penè domesticum bellum. Ei succedit filius Frâcisus, qui Cæsaris è sorore neptè habebat in matrimonio. Ad hoc tempus Angliæ Rex ingenti cum exercitu traiecto mari, Caletum venit, post obsidet Monstrelum, illinc Boloniã profectus, oppidum maritimũ, obsidet: ac tormentis validè concussum, deditione tandem capit: quod nec ipsius parens, nec superioris ætatis Reges potuerant. Secundo mensæ obsidione Sanderisii, quum & Landæus in suo cubiculo icu cancelli bombardæ effraacti interiisset, & puluis tormentarius deesset, deditione capitur. Sed ea durante obsidione Renatus Auracæ Princeps, tormento percussus, altero post die, quum Guilielmi Nansouii filium, Patruelem suum fecisset hæredem, vitam finit, non sine mœrore Cæsaris. Capto Sanderisio, Cæsar Augusti die vigesimo quinto pergit, & Catalanno relicto, quod est oppidum Campaniæ, castra ponit ad Matronam: cuius ad flumi-

*Anglorum  
traiectio  
in Galliam.*

nis alteram ripam, excubabant aliquot equitum Gallorum cohortes. Gallia Rex, quod Heluetii nondum aduenerant, praelium declinabat, & Cæsar promotis castris Castroteram venit, Castrum Theodorici vulgò vocant: ad idem flumen, ab vrbe Lutetia non bidui via positum oppidum. Et quanquam erant in castris Cæsaris, legati Regis Gallia, de pace missi, Cæsar tamen progrediebatur nihilominus: & quum iam hucusque peruenisset, incredibilis fuit orta Lutetia trepidatio. Fugiebant omnes qui paulo lautiori essent fortuna, nec Regis edictis, fugam prohibentis, retineri poterant, & fæx modò hominum manebat. Itaque periculum erat, ne ab his ipsiis vrbs longè omnium maxima, & imprimis opulenta diriperetur. Vigesima quarta demum die Cæsar cum Gallia Rege pacem facit. Qua facta Cæsar è Suefsionibus domum redit, dimissis copiis. Accidit ea pacificatio plerisque omnibus præter opinionem Nam qui Cæsari familiares erant, certissimam sibi promiserant victoriam, priusquam in bellum iretur, & intra menses aliquot ipsorum ditionis Galliam futuram, aut Regem imperata facturum esse iactabant, cui potentissimi tres hostes imminerent, Cæsar, Imperium, Britannus.

## LIBER XVI.

*Obiurgatio Pontif. ad Cæs.*

**A**rdente bello Pontifex octauo Calendas Septembris dat literas ad Cæsarem, cuiusmodi



iusmodi decreta Spiræ fecerit, ad se relatum esse. Quid verò de illis sentiat, nō se posse pro suo munere & charitate in ipsum dissimulare: & vt ita faciat exemplo moueri sacerdotis Heli, quem Deus grauissimè mulctarit, ob nimiam erga filios indulgentiam. Ad eundè planè modum, quandoquidem ea decreta pertineant ad ipsius animæ periculum, & ad maximam ecclesię perturbationem, necessariò sibi ipsum esse commonefaciendum. Postea illum obiurgat, quòd cum hæreticis fœdus, etiam si ad tēpus, ineat: quòd de religione & statu ac reformatione ecclesię cognitionem suscipiat, quæ res ad solum Pontificem maximum & Christi vicarium propriè pertineat. Recenset misérias, calamitates & ærumnas tum Græcorum, tum eorum Imperatorum, qui Romanos Pontifices parum dignè tractarunt. Vt ad hunc modum scriberet, Galliæ Regis impulsu fiduciãque factum esse putatur. Nam is, vt est credibile, fœdus Anglicanum, odiosè admodum exagitabat, vt Pontificem acueret. Amicitiam enim illius vterque sollicitè per legatos atque literas ambire solent, belli præsertim tempore: & pro se quisque dant operam, vt sint ei quàm gratissimi. Cardinales aliquot hoc anno creauit Pontifex in Cæsaris, Ferdinãdi Gallięque Regis gratiam. Eodem quoque tempore Concilium, quod bellis antehac impeditum fuit, rursus denuntiat in Idus Martias anni sequentis: & quia pacati iam erāt Cæsar Galliæque Rex,

Indicli  
Concili.

*Li Colon  
nien. cum  
Archiepi-  
scopo.*

magnam præ se fert lætitiã: & diplomatis, quo Conciliũ restaurat, initiũ facit ab eo Scripturę loco, Lætare Ierusalé. De clero & academia Coloniensi suprà diximus, quomodo totis viribus Archiepiscopo, propter institutam reformationẽ restiterint. Quum autẽ ipse pergeret, illi missis iterum legatis atque literis, actionem superiorem repetunt, & duo se flagitasse pridem ab ipso dicũt: primum vt ab instituto desisteret, & Concilii decretũ expectaret: deinde vt novos cõcionatores abrogaret. ipsum verò progredi, neque suis precibus acquiescere: quod sanè toti prouinciæ futurum sit valde calamitosum. Itaque per omnia sacra rursus obsecrare, vt sui numeris fidesque memor, qua sit ecclesiæ Coloniens̃, Pontifici Romano Cæsarique deuinctus, cõcionatores illos remoueat, & rem omnem ad publicã vsque notionem differat. Nisi enim faciat, implorandum sibi esse Magistratum superiorem, & inuenienda remedia, quomodo & conscientiæ suæ consulant, & iram Dei procul auerant. Inuitos quidem eò descendere: sed tamẽ si pergat, omnino faciendum esse. Quum ne sic quidem aliquid efficerent, Octobris die nona conueniunt in æde primaria Colonia, & descripto recitant inter alia, quid ante vigesimũ tertium annum sit actũ Wormaciæ, quando Lutherus de cõsensu Principum omniũ dānatus fuit à Cæsare. Quo neglecto Archiepiscopum Hermannum iniuisse dicunt nouam rationẽ: &



euouasse Bucerum, hominē monasticæ profes-  
sionis desertorem, & bis incestis nuptiis pol-  
lutum, & doctrinæ sacramentariæ defensorē:  
esque munus ecclesiasticum demādasse, & no-  
uos instituisse passim populi doctores, homi-  
nes profligatos atque perditos: Quum autē sit  
lamentabilis prouinciæ status, & ad summam  
perturbationem omnia spectent, nec se ille fle-  
ſci patiatur: necessario sese confugere ad extre-  
mum remedium, prouocare ad Pontificē ma-  
ximū, & ad Cæsare, ecclesię Dei summū aduo-  
catū & protectorē, eorūque tutelæ se suaque  
omnia cōmittere. Præsidebat huic cœtui Geor-  
gius Brunswicensis, Henrici frater, eius colle-  
gii præpositus. Ea res cognita, Archiepiscopus  
edito scripto, nullam esse causam ait appella-  
tionis. nihil enim ab se factum esse præter of-  
ficium. Itaque se reicere appellationē: atque  
spem habere fore ut ab incepto desistant. Sin  
autem, progressurum se nihilominus in iis quę  
ad gloriam Dei, & ad ecclesiarum emendatio-  
nem pertineant. Alio deinde scripto crimina-  
tiones eorū refutat, neque cū Luthero, neque  
cū Bucero sibi quicquam esse negotii priuati:  
sed eorum doctrinā, quæ sacris literis consen-  
tat, habere se pro verē Apostolica, & planē  
digna quam omnes recipiāt. Damnatum qui-  
dem esse Lutherū ab ecclesia Romana, sed in-  
dicta causa violenter & tyrannicē. de edito  
Wormaciensi, quo Lutherum fuisse condem-

Decretum  
Wormac.  
in Lutho-  
rum.

natum dicant, nihil vnquam sibi fuisse comper-  
 tum, priusquam in vulgus exiisset, typis excu-  
 sum. Quòd ergo de consensu Principum esse  
 factum affirmant, ad se minimè pertinere, cui  
 nihil vnquam eius rei fuerit communicatum.  
 Decretum Augustanum de religione factum,  
 sibi nunquam placuisse. Quùmque nonnulli  
 Principes, multa Cæsari tum pollicerentur, &  
 pro religione Pontificia tuenda fortunas om-  
 nes deferrent, se mandasse suis consiliariis,  
 ne quid eiusmodi promitterent. imò vt claris  
 verbis contrà testificarentur. Illos autem non  
 hoc fecisse, quod habebant in mandatis, & re-  
 ticientiæ causam nonnullis esse notã, qui nunc  
 inter aduersarios primum locum obtineant.  
 quod cum ita sit, edicto illo minimè se obliga-  
 ri: atque vt deinceps aliquando fuerit, tamen  
 agnita veritate non amplius teneri. nullum e-  
 nim pactum aut iusiurandum, quo Dei viole-  
 tur honos, vim vllam habere. Se quidem in Bu-  
 cero nihil deprehendisse, quod sit alienum vel  
 indignum bono viro. Permagni etiam esse mo-  
 menti, quòd Ratisbonensi colloquio Cæsar  
 illum, vt hominem pium, doctum, & pacis a-  
 mantem adhibuit. Ad decimumoctauũ dein-  
 de Nouembris diem clerus Coloniensis reli-  
 quos ordines in vrbem euocat, & vt appella-  
 tioni subscribant, petit. idem etiam à reliquis  
 per totam prouinciam ecclesiis, & Episcopis,  
 & academiis aliquot, etiam externis conten-  
 dunt:



dunt:& è suis qui recusarent, loco submouët:  
 & Archiepiscopum ad Cæsarem atque Pontificem grauiiter accusant. A pacificatione *Legatio ad Angliam.*  
 Suesfionensi, Cæsar Atrebatensem Episcopum, Granuellani filium, Galliarum Rex Cardinalem Bellaium ad Angliarum Regem vnà mittunt, trāsactionis causa. Verùm id frustra fuit, Anglo recusante Bononiæ restitutionem.

Mense Septembri Tornacum euocatus *Petri vna in hispania*  
 fuerat Argentorato concionator quidam Galus, Petrus Brulius: qui cùm eò venisset, perhumane exceptus est ab iis, qui vocauerant. cœpit eos erudire priuatim. Sed re enuntiata, cœptum est inquiri de illo per totam urbem, occlusis portis. Cùm ergo præsens ei periculum immineret, nec occultari posset amplius, altera Nouembris die nocturno tempore per urbis mœnia fune demittitur ab amicis. Vbi terram tetigit, & humi confedit, quidam ex iis qui demiserant, procumbēs ex muro, salutem ei submissa voce precatur: & dū sic innititur, saxum quod fortè resoluta calce non bene cohærebat, impellit: impulsus illi aduoluitur, & sedenti crus perfringit. Itaque partim dolore casus, partim frigore afflictatus, miseriam & infortunium suum querulis vocibus & lamentando deplorat. Id exaudiunt vigiles, & suspicati quod erat, accurrūt, & comprehensum in carcerem condunt. Eius rei fama, quā in Germaniam venisset, Senatus Argentinenſis missis li

teris intercedit. post etiam legati Protestantium, qui tum erant Wormaciæ: sed id fuit aliquantò serius, & priusquam illi venissent, iam erat sublatus è medio, igni non magno exustus. Doctrinam suam constanter ad extremum vsque spiritum profitebatur: & discipulos, qui passim erant in cathenas coniecti, per literas consolatus è vinculis, ad constantiam hortabatur. In pacificatione Suesсионensi conuenit, vt veterem, sicut ipsi vocant, religionem Cæsar atq; Rex pro sua virili recuperarent: & Parisiënsium exemplo theologi Lo-uanienses dogmata conscribunt, quibus Lutherus per contraria themata respondet, & hæreticos atque sanguinarios appellat: qui quã impia doceãt, & ratione sua non possint atque Scriptura defendere, vim adhibeant, & igni grassentur ac ferro. Nam illi, sicut etiam Parisienses, nuda solùmmodo axiomata proponunt, & quid sequendum sit præscribunt: locum verò nullum è Scripturis adducunt, & magistratum ad animaduersionem inflammant. Erat tum Imperii conuētus Wormaciæ. Cæsar cum sæpe constituisset, impeditus articulari morbo, serius eò venit. Vicecimaquarta die Martii Ferdinandus Rex per absentiam Cæsaris proponit, Etsi Cæsar maximis rebus fuerit dissentus: non tamen neglexisse quod Spiræ decretum fuit, & viris aliquot bonis atque doctis negotium dedisse conscribendæ reformationis,

Lutherus  
in theolo-  
gos.

Comitia  
Wormaci-  
cæ.



tionis, quam etiam ab iis acceperit. Quum autem hæc ipsa causa valde sit grauis, multamque deliberationem requirat, & verò Concilium proximè sit inchoandum, & propter irruentem Turcam, non sit huius temporis hæc de reformatione deliberatio, videri Cæsari consultum, vt ea nunc omissa, qui sit Concilium futurum progressus expectetur. Ad ea Protestantes, & his adiuncti Colonienſis Archiepiſcopus & Palatinus Elector, dicunt opus eſſe primum, vt de religione tractetur. Quòd ſi breuitas temporis, aut imminens à Turca periculum non ferat, opus eſſe tamen, vt illud decreti caput, quod eſt de pace declaretur amplius. Religioni datam quidem eſſe pacem aduſque Concilium. ſe verò non agnoſcere Concilium hoc Tridentinum pro legitimo, quale ſit in Imperii comitiis promiſſum. Reliqui Principes ac ordines, & in his Moguntinus & Treuerenſis Archiepiſcopi, ſtatuunt religionis cauſam ad Cõcilium iam indictum referri. His de rebus per totum menſem Aprilem ad ſeptimum uſque diem Maii diſceptatum fuit. Tunc demum, quandoquidem Cæsariam erant in via, Ferdinandus ad illius aduentum ea differre iubet.

Galliæ Rex legatum eò miſit Grinianum, Prouinciæ Galliæ præfectum. Per huius abſentiam orta fuit iis locis ingens perſecutio in eos qui dicuntur Waldenſes, qui Merindoli

*Persecutio  
horrenda  
in Waldē  
ses Merin-  
dolanos.*

& Cabrieræ potissimum habitabant. Aliquot oppida & vici direpti & incēsi, vel solo æquati. Magnus vtriusque sexus hominum numerus, puerorum & infantium ferro flammâque absumptus: nec grauidarum quidem habitatio. Nam Minerius supremus Præses Aquensis, huius barbaræ immanitatis coryphæus, quadraginta circiter fœminas in horreum straminis & fœni plenum inclusit, post ignē subici iussit & incendi. Multæ minores puellæ sic constupratæ & inhumaniter tractatæ, vt nō multò post extinguerentur. Complures alii, qui per sylvas atque rupes oberrabant, intercepti, vel ad triremes mirtebantur, vel confodiebantur. Multi etiam inedia perierūt. Quidam ingressi cauernam, sub rupe latitabant, numero ad viginti quinque: sed proditi, fumo fuerunt omnes & igni enecati. Sic ad eò nullum sæuitiæ genus fuit prætermisum. Huius rei fama quum in Germaniam emanasset, plurimorum animos offendit. Et Heluetii quidem, qui nō sunt Pontificiæ religionis, intercedebant ad Regem, vt in eos qui profugissent, vteretur misericordia. Rex autem & iustas esse causas egr ita fecerit: & quid suis in finibus agat, aut quomodo in fontes animaduertat, non magis oportere illos sollicitos esse de eo dicit, quàm sit ipse de illorum negotiis. Wormaciam deinde Cæsar venit Maii die decimo sexto. postridie Cardinalis Farnesius, qui excitandi belli



belli causa in Lutheranos certò venisse putabatur. Cæsar facta pace cum Galliæ Rege, sollicitabat etiam reliquos dynastas, vt Concilium indictum adiuuarent: & per hanc occasionem missus ab eo legatus ad Poloniæ Regem, demonstrat labore Cæsaris & industria Tridenti iam indictum esse Concilium. Ita-  
*Cæs. ad Polonum legatio.*  
 que rogare suos vt eò mittat legatos, qui & sua præsentia solennem illam actionem concederent: & quæ fient ibi de rebus sacris decreta, cõfirmet. Quia verò Cæsar existimet Protestantes, qui semper fuerunt contumaces, nec ab Augustana confessione discessuros, nec publicis etiam decretis obtemperaruros esse, rem ipsam postulare, vt Reges & Principes interueniant: & in illos, nisi pareant, tãquam in reipublicæ & sacrorum omnium perturbatores vindicent. Polonus ad ea, omnia se facturum quęcunque & reipublicæ & ecclesiæ tranquillitati conducent: neque, si sit opus, in summo periculo defuturum esse Cæsari, amico & affini. Per scriptum id temporis Roma fuit, *Apparatus belli in Protest.*  
 Pontificem, etsi Cõcilium indixerat, suosque iam Tridentum miserat legatos, adeò tamen belli fuisse Lutherani cupidum, vt auxilia promitteret, peditum millia duodecim, equites quingentos. Clàm etiam ab eo fuisse conductos centuriones atque duces. Quum autem ei renuntiatum esset, non ita multum idonei superesse temporis ad rem gerendã, & aliam expe-

ctandam occasionem, continuò Ducibus illud communicasse, & anni futuri spem fecisse.

*Monachus  
canit classi  
cum.*

Altera post Pentecosten die, monachus quidam Frãcischanus, Italus, concionem habet ad Cæsarem, Ferdinandum Regem, Cardinalem Farnesium, Episcopum Augustanum, Granuellanũ, & sermone digressus ad Lutheranos, quum atrociter multa in eos dixisset, Tempus est, inquit, potentissime Cæsar, vt tandem officium tuum facias: nimis hercle diu cessatum est. iam pridem oportuit rem esse confectam. Te Deus constituit Ecclesiã defensorẽ. Quapropter exere vires tuas, & pestiferum illud genus hominum tollas è medio. Nefas enim est eos intueri solem, qui sic omnia polluant & cõfundunt. Quot autem hominum millia de salute perpetua periclitari quotidie putas per istorum vesaniam, quos omnes Deus à te resciet, nisi remedium adhibeas? Neque verò dicas te facturum. iam enim, iã, inquam, fieri debet, nec interponi moram vllam oportet. Eo classico fertur offensus fuisse Granuellanus, vel quòd ita simularet, vel quòd Protestantibus hoc esse videret cautionis loco. Non multis ab ea concione diebus, Farnesius de nocte clanculum discedit: & Romam magna celeritate reuolat. His ferè diebus prodiit Lutheri liber, populari lingua scriptus, cui titulus est, Aduersus pontificatum Romanũ à satana constitutum. Extant sanè in illius libris passim vãticia multa de rebus grauissimis, quorũ non-

*Luth. liber  
in Pontif.*



nulla iam comprobauit euentus, reliqua sunt  
 adhuc in manu Dei posita. Cæsar interea per  
 Granuellanum pèrque Nauium de Concilio,  
 deque Turcarum bello agit cum Protestantibus,  
 qui sibi de pace caueri petebant, sic vt ne  
 decreto Cõciliũ tolleretur. Respondebãt Cæsarẽ  
 ipsos eximere non posse Cõciliũ decretis,  
 cuius auctoritati subiecti sint omnes. Protestãtes  
 contrã, quibus de causis illud pro legitimo  
 non habeant, docent. Grinianus Regis Gal-  
 liã legatus per interpretem orationẽ habuit,  
 qua Protestantes hortabatur ad recipiendum  
 Concilium. Sic enim conuenerat, debere illos  
 ad Concilium inuitare, quod Cæsar & Rex ap-  
 probassent. hoc enim ad terrorem Protestan-  
 tibus inferendum pertinere putabatur. Ad  
 hoc tempus moritur Lotharingiã Dux Frãci-  
 scus, relicto filiolo Carolo, duorum annorum  
 puero. Ex Hispaniis autem lætus fuit allatus  
 nuntius, de Carolo nepote nato Cæsari ex fi-  
 lio Philippo. Quũ in bellum Turcicum nihil à  
 Protestantibus contribui Cæsar videret, nisi  
 de Concilio & Camera impetrarent, legatum  
 mittit ad Turcã de induciis. Hoc durãte cõuẽ-  
 tu Senatus Metẽsis inquirat in eos q̄ pro cõsue-  
 tudine Põtificiorũ, nup ad Pascha nõ percepit  
 sēt Cœnã Domini. deprehẽsos iubet vrbe ex-  
 cedere. Diximus quomodo clerus & academia  
 Coloniẽsis ad Cæsarẽ ac Põtificẽ puocãrit, vt  
 hac ratione conatus Archiepiscopi retardarẽt.

*Carolus  
 Cæsaris ne  
 pos.*

Quum autem ille pergeret, neque ministros ecclesiæ remoueret, Cæsarē rursus implorant, graui de ipso habita querimonia. Sub finem igitur Iunii, diuulgatis Wormaciæ literis, in patrocinium suū eos Cæsar recipit: & proscriptionis denuntiata pœna, mandat ne quis omnium illos vel in religione sua, vel in possessione bonorum, & vectigalibus, & iure impediat. Alteris deinde literis Archiepiscopi citat, vt intra trigessimū diem ad se veniat, aut procuratorem mittat: & accusationibus respōdeat. interim verò iubet, ne quid moueat: & si quid innouatum sit, pristino loco restituat. Iulii deinde die vicesima octaua Paulus tertius illum eodem modo citat, vt intra sexagesimum diem Romæ sibi præsidē sit. Citat etiam Henricum Stolbergum, primarii templi Coloniēsis decanum, eiusque collegas quinque, omnes illustri genere natos. Hi enim & Archiepiscopū amabant, neque reliquorum actionem probabant. Erat omnino Pontifex ab aliquot annis malè in Archiepiscopum animatus. Cæsar Augusti die quarto finē actioni facit Wormaciæ: & comitium in mensem Ianuariū anni sequentis prorogat, & Ratisbonam Principes omnes venire iubet. & vt aliquando concilietur dissidium, aliud doctorum hominum colloquium, & vtrinque quaternos instituit collocutores, & binos auditores. Camerae reformationem in proximum cōuentum reiiicit.

Huius

Coloniēsis  
citatus à  
Cæs.

lib. 2. P. 115.



Huius decreti caput illud, quod est de colloquio doctorum, Pontificii recusant: nec in eo Cæsari volunt assentiri. cætera non impugnant. Hoc in conuentu definita fuit res Brunsvicensis, & ager omnis Cæsari permissus: qui confestim Henrico mandat, vt legibus rem agat, & ab armis abstineat. Ille verò minimè assentitur: *Brunsvic. cõtumacia* de eoque protestatur. Et quũ Cæsar ei denuo grauisissimis verbis ac præscriptionis denũtiata pœna mandaret vti pareret: non modò nõ obtemperat, verumetiam acerbè rescribit, eiusque consiliarios, Granuellanũ imprimis atque Nauium, odiosè criminatur. nec eo contētus, occultè cœpit cogere manus, vt amissa recuperaret. Wormacia Cæsar secundo flumine Rhe no Coloniam venit: inde domum redit.

Coloniensis Episcopus, quia citatus erat, vt vbicunque Cæsar esset, eò veniret aut mitteret: etsi pro veteri Germaniæ consuetudine & Electorum priuilegio, non tenebatur præsto esse Cæsari extra fines Imperii, tamen procuratorem eò misit, qui se defenderet. *Bellũ Gal. cũ Anglo.* Ardebat tunc bellum Galliæ Regis cum Anglo, & gerebatur res tam mari quàm terra: & arcem Galliæ Rex in litore maris prope Bononiã nuper amissam ædificabat, vt commeatu illos intercluderet. Dolebat autem Protestantibus hos Reges ad eum modum inter se cõflictari, qui tot annis pacem coluissent. Itaque cùm id vtrique non ingrátũ fore cognosceret, legatos

*Ducis Aureliani mors.*

de pace mittūt. Qui quum Ambianum venissent, de morte Ducis Aureliani cognoscunt. Is erat Cæsari futurus aut gener, aut affinis, & perpetuæ amicitiae veluti firmissimū quoddam vinculum. Sed ecce quo ferè tempore nuptiæ erant peragenda, paucorum dierum morbo perit, circiter vigintitrium annorum iuuenis. In hoc ipso tempore Henricus Brunsvicensis instructus auro Gallico, militum manus conscribit quàm potest occultissimè, factoque itinere per agrum Lunebergensem, non sine maleficio suam in prouiciam ingreditur, & primariam suæ ditionis arcem Wolfbutelum obsidet, ac passim in suam fidem populum iureiurando adigit. Interim Lantgravius mandatu sociorum collectis copiis, procedit illi obuiam. Ea re cognita Brunsvicensis progressus, castra facit ad milliare vnum à castris Lantgrauii. In hoc rerum statu Ericus Brunsvicensis, eiusque mater vidua, Ioannes Brandeburgicus Henrici gener, & alii quidam intercedunt de pace. Lantgravius autem atque Saxones, nihil in eo sibi licere dicunt, nisi de sociorum voluntate. Mauriciū igitur illi submitunt, & orant vt Lantgrauio socero persuadeat. Sed quum Henricus propositas condiciones repudiaret, Mauricius quoque ei bellum denuntiat: quod facturum se, nisi de pace conueniret, ei prædixerat.

*Bellum Protest. in Brunsvic.*

Interea Lantgravius propius ad hostem accedit, & emissis tormentis, circiter quingentos



passus ab eo consistit. Henricus miserat præconem, deinde duos internuntios ad Mauricium, cui Lantgravius responderat nullam esse aliam pacis conditionem, quam ut Henricus, eiusque natu maximus filius, suæ se potestati dedat. Quare expectandum dicebat Mauricius, donec cum illo esset locutus, et rogabat ut tantisper abstineret. Paulo post redit, & Henricum magna vi lachrymarum profusa, miseriam suam deplorare, & velle sese dedere cum filio, renuntiat. Vbi iam Henricus venit cum filio Carolo Victore, Lantgravius, Quod si, tuæ, inquit, potestatis essem factus, non diu mihi lucis vsuram concederes. Ego verò tecum agam liberalius, quam pro tuo merito. Ad hunc modum locutus, custodias utriusque ponit. Henrici copiam cogitabant uno agmine discedere, sed quia periculum erat ne rursus per occasionem aliquid mouerent, Lantgravius eos consequitur, & in planitie quadam deprehensos, cogit ut direptis signis fidem darent, intra sextum mensem non se militaturos in ipsum atque socios. Machinas deinde bellicas omnes ad octodecim cum omni instrumento ipsis adimit. Henrico Brunsvicensi filioque capto, statim Cæsari rem omnem perscribit Saxo atque Lantgravius, & ut tam ipse quam socii propter violatam pacem publicam proscribantur, petunt. Cæsar respondet Lantgrauio, cum in eum statum res deuenierit, existimare se, non esse opus, ut illi violatæ pacis publicæ

pœna iam irrogetur. Confidere etiam ipsum ita moderatè vsurum esse hac victoria, vt nemini sit ab eo vis vlla metuenda. Monere autem vt pro veteri Principum consuetudine, captiuos liberaliter ac honestè tractet, nec ad vllam iniquam aut ipsis indignam conditionē adigat, sed amicæ vel legitimæ disceptationi rem permittat. Cùm essent in Anglia Protestantium legati, quos dixi, Rex per occasionem colloquii dicebat, imminere ipsis grauissimum bellum: id sibi certò constare. monebat etiam vt ad suos perscriberent. Ex ipsius autè consiliariis, quidam præcipuæ tunc auctoritatis, alteri legato idem post idem explicabat, nominatis aliquot excursoribus & emissariis, quorum id opera potissimum fieret.

Quòd etiam cum Galliæ Rege pacem anno superiori Cæsar fecisset, molestè Rex ferre videbatur quòd illius impulsu, bellum se fecisse Galliæ diceret, propter societatem Turcicam.

Angliæ  
Rex Protest.  
test. monet.

M. D.  
XLVI.

Ianuario mense conuentus erat Protestantium Francofurti. Deliberatum ibi fuit de Concilio Tridentino, de prorogando fœdere, de sumptibus belli Brunluicentis. Hoc in conuentu Archiepiscopi Coloniensis legati queruntur de iniuriis cleri, deque mandatis & citationibus tum Cæsaris tum Pontificis.

Interea Palatinus Elector instituit passim  
Ec-



Ecclesiæ ministros & Euangelii doctores, *Palat. Ele*  
 integram quoque Cœnam Domini, & con- *clor. refor.*  
 iugium sacerdotum permittit: & decimo die *Euâgelicæ*  
 Ianuarii loco Missæ Pontificiæ, peractum  
 fuit in primario templo Hedelbergæ sacrum,  
 lingua populari. Protestantes igitur Missa  
 legatione gratulantur ei: & gratias agunt,  
 quod Coloniensis Archiepiscopi legatis li-  
 beraliter respõderit: hortantur etiam vt per-  
 gat. Ad hæc ille, de Coloniensi dolere sibi  
 plurimum, quod ad hunc modum exagiteretur,  
 in hac præsertim ætate. Quum igitur ipsi mit-  
 tent ad Cæsarem, & ad clerum & senatum Co-  
 loniensem, deprecandi causa, se quoque suos  
 vnâ missurum. In religione se multis annis  
 conciliationem aliquam sperasse: quia verò  
 differri periculose rem videat, neque spes ma-  
 gna subsit, non se potuisse populi sui votum  
 & expectationem remorari diutius. Itaque do-  
 ctrinæ & rituum instituisse emendationem,  
 quam & vrgere deinceps cogitet, & profiteri  
 palâm. Ad decimumseptimum Ianuarii  
 diem Vesaliæ conueniebant Electorum lega-  
 ti, eorum qui Rhenani dicuntur. Hi sunt Mo-  
 guntinus, Coloniensis, Treuerensis, Pala-  
 tinus. Nam eorum ditiones ad Rhenum  
 pertingunt. Palatinus vrgerat hîc Mogun-  
 tinum & Treuirenses, vt vnâ secum &  
 cum Brandenburgico missis legatis intercede-  
 rent pro Coloniensi. Sed illi, quod offen-

*Rumor belli in Prot.* sionem metuerent, recusabant. Hoc tempore cœpit spargi rumor, Cæsarem occultè moliri bellū. Lantgravius igitur datis ad Granuellanum literis, non ex Germania tantum, sed ex Italia quoque nuntiari dicit, alisque locis, Cæsarem atque Pontificem parare bellum in Lutheranos, & velle tueri Concilium: & primo vere facturos initium, & fore vt in Coloniensem Archiepiscopum ex inferiori Germania, in Saxoniam autem ex Bohemia, & in superiorem Germaniam ab Italia fiat impetus. Granuellanus ad hæc Februarii die septimo rescribit, Cæsarem neque pactum vllum habere cum Pontifice, neque militem conscribere. Se verò mirari tam impudentes homines reperiri, qui hæc de Cæsare spargant. Sub exitum Ianuarii mensis Francofurti conueniunt Lantgravius & Palatinus Elector Fridericus. Augustani multis ex locis de Cæsaris & Pontificis apparatu bellico certiores facti, Sebastianum Schertelinum, hominem militem, & ipsis addictum, miserant ad Palatinum atque Lantgravium, qui de his rebus ipsos arcanè doceret. Is igitur quum vtrunque separatim conuenisset, effecit vt deliberandi causa huc venirent ambo. Non multò post dimittitur Francofurti conuentus. Saxonix Dux Mauricius, & si non erat eius foederis, legatum habebat Francofurti, qui dimisso conuentu statim ad Cæsarem



farem proficiscitur. Erat tum in Geldria Cæsar, ad eumque delatum antea fuerat, quasi Smalcaldici aduersus ipsum Francofurti coniuressent. neque deerant, qui, sicut dici solet, oleum adderent camino, & hos ordinum Principumque conuentus, ad ipsius contemptum pertinere dicerent.

Antea diximus quo modo Cæsar colloquium doctorum instituerit Ratisbonæ, & sub initium Decembris omnes adesse iusserit. A Cæsare & à Protestantibus venerunt theologi. Vigesimo septimo demum Ianuarii die fit initium: & præsides Mauricius Episcopus Eistetensis, & Fridericus Comes Furstembergicus nonnulla præfati de suis personis, de onere sibi imposito, theologos hortantur, vt in re tam graui tamque sancta, nihil affectibus tribuant, sed agant syncerè, Deumque vereantur, & concordiam spectent. Postea recitant Cæsaris esse mandatum, vt Protestantium Augustæ quondam exhibita confessio tractetur hoc in colloquio, tribus primis omissis dogmatis, de Trinitate, de Verbi incarnatione, de peccato originis. A multa disceptatione conuenit, vt vtrinque bini sermonem omnem scripto mandent, vt acta reponantur in cistam, nec ulli communicetur, nisi reliquis præsentibus, & silentio tegantur. Eo cõstituto Petrus Maluenda, doctor Parisiensis, doctrinæ caput de iustificatione impugnat: cui respondet Bucerus, & gratis hominem per Christum iustificari

Colloquium  
Ratisbonense.

probat. Ecce autem decimoquinto Februarii die Cæsaris adferuntur literæ, quibus mādabat vt inter Præsides reciperetur Iulius Pflugius, episcopus Numbergicus, vt ne collocutorum & auditorum numerus augeatur extraordinariis, vt non alij, quàm quos Præsides delegissent tabelliones acta, describant, vt omnes iureiurando silentium promittant, nec vlli mortalium a liquid enuntient de rebus colloquii, priusquàm ad Cæsarem & ordines Imperii relatum sit. Hisce de rebus diu multumque disceptatum fuit, quum & Cæsaris mandata sibi sequenda Præsides, & à suorum Principum iussis non se posse discedere Protestantes dicerent. Interim Saxonix dux, qui cōditiones colloquii non probaret, postquam de illis accepit, reuocat suos, vt rem omnem cognoscat. Illis ergo discedentibus, Bucerus etiam vt acta Lantgrauio referret, die vigesimo Martii mensis abit. Tulerunt hoc impatienter admodum Præsides, & quum antea præsentes monuissent vti manerent, iam nonnullis profectis reliquos per epistolam, vt Cæsaris rescriptum expectent, grauissimis verbis hortantur. Protestantibus deprecandi causa pro Archiepiscopo Coloniensi missis ad Cæsare, adiunxerant se Palatini Principis & Brandenburgensis Electoris legati. Petitionis hæc erat summa, vt ad cæteras religionis causas, hanc etiam Cæsar referat: & institutam à clero a-

tionem

*Collocutores diffiunt.*

*Legatio pro Coloniensi Archiepisc.*



tionem rescindat. etenim si qua vis ei fiat, non se posse illum deserere significabant. Caesar eis Traiecti responderet per Nauium, omnē beneuolentiam ad hoc vsque tempus illi declarasse, & coram, deinde per legatos etiā admonuisse: sed illum, etsi spem magnā faceret, & liberaliter promitteret, ita rem gessisse uolenter, ut totius ruendæ prouincię causa, necessariò sibi fuerit adhibendum remedium. Veruntamen boni sese cōsulere legationē hanc, quòd ad pacem & conciliationem religionis eam pertinere putet. Itaque si desistat Archiepiscopus, & iuis pareat mandatis, non esse quod in se quisquam requirat: & proximis comitiis vsurum in eo se Principum & ordinum consilio. Petere autem ut Principes eò ueniāt, omni remota excusatione. se quoque iam ad iter esse paratum. Concilium ad Idus Martias anni superioris fuerat indictum Tridenti. Legatos eò Pontifex misit Ioannem Mariam Montanum, Marcellum Ceruinum, Riginaldum Polū Britannum, Cardinales. Sed quum serius plerisque uenirent, nihil eo fuit actum anno, nisi quòd mense Decembri, monachi quidam orationes habebant ad patres. Septima deinde Ianuarii die huius anni, quum auctior esset Episcoporum numerus, fit initium Concilii: & legati Cardinales, quos diximus, orationem habent ad patres, & tribus de causis agi Concilium dicunt, ut hæreses extirpen-

*Præsides  
Trident.  
Concilio.*

tur, vt Ecclesiæ disciplina restituatur, vt pax recuperetur. Præsentis autem calamitatis culpam in ordinem ecclesiasticum debere transferri dicunt. neminem enim esse, qui suum officium faciat. ac licet nullam ipsi hæresim excitarint, tamen quòd non excoluerint agrum, quòd non semina iecerint, quòd enascentem zizaniam non euulserint, in eadem esse culpa. Post hanc orationem recitatur decretum per Ioannem Fossicam, Episcopum Castrimarium, Hispanum. eo monentur omnes Christiani nominis, vt vitam emendēt, Deum metuant, sæpe confiteantur delicta, frequenter adeant templa diuorum. Dum hæc Tridenti geruntur, Lutherus ad comites Māsfeldios proficiscitur, vocatus ab iis, componendi causa dissidii, quod inter ipsos erat de finibus & hereditate. Non solebat ille quidem huiusmodi negotia tractare: & per omnem vitam suis tantum studiis vacauerat. Sed quia natus erat Islebii, quod est Mansfeldiorum ditionis oppidum, non potuit hunc laborem & operam illis atque patriæ non præstare. Priusquam Islebiũ perueniret, quod erat sub exitũ Ianuarii, valetudine utebatur tenuiori: sed tamen & causam agebat propter quam erat vocatus, & aliquoties in templo docebat, percepta quoque Cœna Domini. Decimosextimo verò Februarii die cœpit ægrotare grauius ex pectore. Erant cum eo filii tres, Ioannes,

Mar-

*Lutheri  
placida.  
mers.*



Martinus, Paulus, & alii quidam familiares. Quum circa mediam noctem quereretur de pectoris angustia, & præsentiret iam instare vitæ finem, his omnino verbis Deum implorabat, Pater mi cælestis, Deus, & pater domini nostri Iesu Christi, Deus omnis consolationis, ago tibi gratias quòd filium tuum Iesum Christum mihi reuelasti, cui credidi, quem sum professus, quem amavi, quem celebraui, quem Pontifex Romanus & reliqua impiorum turba persequitur, & afficit contumelia. Rogo te mi Domine Iesu Christe, suscipe animulam meam. Mi Pater cælestis, etiam si deuellor ex hac vita, licet corpus hoc mihi sit iam deponendum: certò tamen scio, me tecum esse mansurum in sempiternum, neque posse me tuis ex manibus à quoquam auelli. Non multo post eam precationem, ubi spiritum suum in manibus Dei semel & iterum commendasset, tanquam dormiturus, paulatim è vita decedit, nullo cum corporis, qui quidem animaduerti potuit, cruciatu. Sic ergo mortuus est in patria sua, quam à multis annis non viderat, Februarii die decimo octauo, maximo cum gemitu plurimorum. Mansfeldii quidem cupiebant illum suis in finibus, quòd illinc originem haberet, sepeliri: sed iussu Principis Electoris Wittembergam honorificè delatus, quinto post die reconditur. Erat annorum circiter sexagintatrium. Paulò antequàm animam

*Precasto  
Lutheri  
in morte.*

agerat, dixerat amicis, Orate Deum vt Euan-  
 geli doctrinam nobis conferuet: Pontifex e-  
 nim & Cócillum Tridentinum dira moliun-  
 tur. Quanta fuerit in eo vis & cōpia dicendi,  
 testantur librorum monumenta. Germanicam  
*Lutheri*  
*eloquētia.* certè linguam & exornauit plurimùm, & locu  
 pletauit, & primam in ea laudem obtinet: &  
 ea vertit è Latino sermone, quæ verti non pos-  
 se putabantur, & significantissimis vtitur ver-  
 bis maximèque propriis, & vnica voce rē non-  
 nunquã ob oculos ponit. Animo fuit prorsus  
*Constantia.* inuictò. quo primùm tēpore cœpit docere de  
 indulgentiis, ignorabat quòd res ea pertineret,  
 vt ipsemet fatetur, & hoc vnū agebat: ideòque  
 demissè admodum tum ad Pótificem aliòsque  
 scribebat. Quum autè in Scripturæ cognitio-  
 ne magis in dies magisque proficeret, suãm-  
 que doctrinam cum verbo Dei congruere iu-  
 dicaret, omnem aduersariorum impetum &  
 totius orbis odium fortissimo pectore susti-  
 nuit, & tanquam murus aheneus constitit im-  
 motus, omni contempto periculo.

## LIBER XVII.

**D**E colloquio Ratisbonēsi paulo suprà di-  
 ctum est. Profectus eò fuit cū Bucero per-  
 missu senatus Argentinenfis Ioannes Diazius  
 Hispanus. Is multis annis Lutetiæ Parisiorum  
 dederat operam literis & theologiæ Sorboni-



ca, Quum autem Lutheri libros & aliorum legisset, & indefesso studio sacram Scripturam euolueret, cepit ei doctrina illa sordere magis atque magis: & relicta Lutetia venit Argentinam. & quia magnam in eo doctrinam ac studium indefatigatum Bucerus animaduertit, aliquot post mensibus colloquii causa Ratisbonam iturus, auctor fuit senatui, ut eum sibi comitem daret sociumque laboris. Vbi Ratisbonam ergo mense Decembri venit, Petrum Malendam, de quo diximus, quem Lutetiam nouerat, adit. Is velut obstupefactus, deplorat & queritur, quod iis locis ipsum videret, & quidem in comitatu Protestantium. Erat Romae Diazii frater, Alphonsus iureconsultus, qui eo de fratre accepto nuntio venit in Germaniam: & cum Neoburgi fratrem amantissimè conuenisset, tandem id egit ut per prodicionem eum interficeret, opera cuiusdam sicarii, quem Roma secum adduxerat. Is securim in partem capitis illius dexteram impexit, dum literas legeret Diazii, quas perfidus frater abiens veluti ex itinere ad eum dederat. Quo tempore caedes facta fuit, Cæsar Spiram venit, Ratisbonam iturus. Lantgravius erat monitus per Nauium, ut in via cum Cæsare Ratisbonam cuncte congrederetur. Idem ei Græuellanus nuntiauerat. acceptis ergo fidei publicæ à Cæsare literis, Lantgravius ad Cæsarem venit Spiram, & Cæsarem adit, ac priuatim cum eo per suum cancellarium locutus, ubi sui

*Diazii  
opera fratris  
trucidatus.*

*Lantgravius ad  
Cæsarem.*

aduentus causam & occasionem exposuit, dicit non ex vno loco, nec è Germania tantum, sed ab exteris etiam nuntiari, impulsu Pontificis eum male animatum esse in socios Augustanæ confessionis: rumorem etiam spargi, quasi Galliæ Regi persuaserit in actione pacis, vt in iis mulctandis opem illi ferat. Adhæc Turcam ab eo sollicitari de induciis, vt eò commodius quod propositum habet perficiat. Ideoque Concilium indictum & inchoatum à Pontifice dicunt, vt factis ilico decretis, executioni res mandetur. Cæsar ad ea per Nauium, varios quidem ad se rumores allatos de ipsis, quasi molirentur aliquid, sed non habuisset fidem, præsertim cum ipsis ad Nauium literas audisset recitari. Multo minus nunc etiam illud credere, quòd de Galliæ Rege dixerit, eius nullum adferri posse documentum. Pacem sibi cum illo intercedere tantum, nec aliud quicquam. Esse morè illius gentis, vt temerè multa iactent. De induciis Turcam ab se interpellatum, Germaniæ causa potissimum. Quum enim in plerisque comitiis de sumptus magnitudine quærantur, & populi tenuitate, viam hanc sibi visam esse cum primis idoneam, vt per tempus induciarum de belli ratione in illum suscipiendi, deque religionis compositione tractari possit. Cæterum nullas ab se cogi manus. Post multa vltro citroque commutata verba, Lantgravius peramicè dimissus à Cæsare.



Cæsare, discedit, Hedelbergam profectus, inde domum. Cæsar autem rectà contendit Ratisbonam: & illi sipsis ferè diebus, nimirum ad Calendas Aprileis legati Protestantium Wormaciæ conueniunt, de summa rei consulturi. Quia verò benignè Cæsar Lantgrauium ab se dimiserat, illi acceptis à Lâtgrauio literis, qui rem actam interea cum Saxone communicauerat, Aprilis die vicesimotertio discedunt, vt Ratisbonæ, quò proficiscendum erat alioquin ad comitia, de his sipsis rebus deliberent. Hoc in conuentu Rauesburgenses in Protestantium fœdus venerunt. Aprilis diè octa-  
*Conciliij 3. sessio.*

uo tertius fit Tridenti consensus patrum. Ibi veteris & noui Testamenti libri recitantur, & sacrosancti esse iubentur. Vetus autem & illa vulgata Bibliorum versio, sola iubetur in templis & scholis obtinere locum. statuitur etiam ne quis ad suum captum atque sensum interpretetur sacram Scripturam, sed vt Ecclesiæ consensum atque Patrum in eo sequantur omnes. adhæc librariis, ne quid excudant aut distrahant, nisi de consensu Præsulis ordinarii, mandatur.

Clerus & academia Coloniensis, litem suam aduersus Archiepiscopū magno studio *Fulmen Pontif. in Coloniens. sem.* Romæ exercebant. Itaque Pontifex Aprilis diè decimosexto lata sententia, illū quòd suæ salutis immemor, contra regulas & doctrinam

ecclesiasticam, & Apostolorum traditiones, cōtra Christianæ religionis cōsuetos in ecclesiasticis atque ceremonias, contra Leonis decimi censuram, aduersus Lutherum atque socios editam, non vno modo peccarit, ab ecclesiæ communionē submouet, & Archiepiscopatu, ceterisque sacerdotiis omnibus & privilegiis & facultatibus priuat: & ipsius ditioris populo mandat, in vniuersum ne deinceps ei pareant: iurandum etiam, quo sint ei deiuncti, remittit, ei que silentium imponit: & vt sumptum litis aduersæ parti restituat, edicit. Erant adiuncti Colonienſibus, Leodinus & Vtricenſis Episcopus, & academia Louaniensis. Ea sententia Romæ post excusa fuit typis, Augusto mense. Cæsar vbi Ratisbonam venit, & Præsidentem colloquii sermone cognouit de re tota, molestissimè tulit theologorum abitionem: & dimissis in Germaniam literis, admodum de eo queritur: & Principes vt ipsi veniant, grauissimis verbis hortatur. A protestantibus legati solum venerunt, & his aderant Palatini, Colonienſes, Monasterienſes, Noribergici, Ratisbonenſes ac Norlingenſes legati. Altera die Iunii Protestantes aduēt Cæsare, queruntur de cede Diazii, & de parricida supplicium sumi postulant. Cæsar cum fratre deliberaturum sese. Ferdināus etiam interpellatus, eodem modo respondet. Cæsar paulo post conuocat omnes ordines,

*Comitia  
Ratisbonæ*

&



& indicti causam conuentus exponit: & quum vehementer cupiat pacare Germaniam, diffidio sublato religionis, petit vt quid amplius in eo faciendum esse putent, sibi communicent, vt pro suo munere officioque, statuere demum vtiliter aliquid possit. Adhæc quoniam Imperii summa necessitas postulet, vt Cameræ iudicium restituatur, & verò quemadmodum id fieri debeat, legibus iam antea cautum sit: postulat vt qui eius rei ius habeant, exhibeant ac representent assessores, & impensam omnem faciant. Solent Electores communicare consilia, sed hoc tempore Moguntini & Treuirenses legati secessionem faciunt à Coloniensibus, Palatinis, Saxonis, Brandenburgicis, & ad Pontificios trãseunt: & re deliberata Concilium Tridentinum approbant, & Cæsarem, vt illud tueatur & Protestantibus persuadeat, hortantur, quò nimirum & eò veniant, & synodi decretis atque cognitioni se submittant. Protestantes verò Cæsarem orant, vt firmam pacem & æquabile ius constituat, vt religionem legitimo Germaniæ Concilio, vel Imperii conuentui, vel colloquio doctorum, certis legibus instituédo, permittat. Dum his de rebus deliberatur, ecce fama spargitur, à Cæsare & Ferdinando & Pontifice maximos fieri belli apparatus. Nam quia pacem Galliæ Rex cum Cæsare colebat, & inducias in hunc annum Turca largitus erat, i-

Fama belli  
in Protest.

doneum hoc videbatur esse rei gerendæ tempus. Episcopi quidem & sacrificus Cæsaris magnum inter alios huc attulisse momentum dicuntur, à Pontifice nimirum subornati. Quum ergo belligerari Cæsar omnino decreuisset, nona die Iunii Tridentinum Cardinalé celerissimo cursu cum mandatis Romam mittit ad Pontificem, auxilia promissa conquirendi causa. Biduo post centuriones omnes, tribunos atque duces cum pecunia dimittit, ut euestigò delectus habeant. Burenfi Comiti Maximiliano iam antè mandauerat, ut quantas omnino posset equitum peditumque copias per inferiorem Germaniam conduceret. Albertum etiam & Ioannem Brandenburgicum & ordinis Germanici magistrum Wolfgangum iubet conscribere equitatum. Nam duo illi, quanquam erant religionis, & Ioannes quidem etiam fœderis Protestantium, tamen quòd Cæsar non propter religionè, sed quorundam rebellionis vlciscendæ causa, bellum suscipi diceret, suam illi operam addixerat: & erat Ioannes Henrici Brunsvicensis captiui gener. His rebus commoti, deque communi Germaniæ periculo solliciti Potestatiu legati, reliquos Imperii ordines, ut Cæsarem unam secum adesset, belli deprecandi causa, rogant: verum id frustra fuit. imprimis autem Moguntini recusabant & Treuirenses. Lantgravius, qui diligentissimè peruestigaret omnia, subinde missis Ratisbo-

Lantgravius  
sagacitas.

nana



nam literis, quid comperisset, & quid diuersis  
 ex locis ad se delatum esset, nuntiabat: & vt e-  
 quitum cohortes aliquot, iam antè propter bel-  
 li suspicionem conductæ, retinerentur ampli-  
 us, & nouæ conseriberentur, monebat. Illi  
 verò, quòd Cæsaris postulata nihil hostile: sed  
 summam lenitatem studiùmque pacis præ se  
 ferrent, nullum eo quidem anno bellum esse  
 futurum putabāt. cum autem ipsa res declara-  
 ret non esse vanum rumorem, quū iam non in  
 Germania tantum, sed per Italiam quoque  
 manus cogerentur: Hispanorum etiam aduent-  
 tarent copix, Iunii sextodecimo die adeunt  
 Cæsarem: & quia plena sunt omnia motibus  
 bellicis, num ipsius hæc fiant imperio sciscitan-  
 tur. Ad ea respondet Cæsar, non aliud se ha-  
 bere propositum, quàm vt concilientur ordi-  
 nes: & pax atque ius per Imperium valeant. in  
 eo qui sibi paruerint, eos omnem abs se bene-  
 uolentiam expectare iubet: qui secus facient,  
 in hos pro iure & auctoritate sua sibi agendum  
 esse dicit. Paulo post Granuellanus & Na-  
 uuius ad se vocant quarundam fœderis Prote-  
 stantium ciuitatum legatos, Argentinæ ma-  
 ximè, Noribergæ, Augustæ & Vlmæ: & ad  
 singulos separatim locuti, bellum hoc non  
 aduersum ciuitates, verum in quosdam pa-  
 rari dicunt rebelles, qui læsæ maiestatis cri-  
 men admiserint, qui Cæsaris auctoritatem  
 violauerint, qui Principum aliquot atque

*Cæsaris re-  
 sponsum  
 ambiguit.*

Decretum  
Concilii  
Tridentini

Episcoporum facultates occuparint, qui per occasionem ne ciuitatibus quidem sint paritari. Fidem igitur & officium Cæsari præstent, nec aduersariis opem ferant, vt ne Cæsar causam habeat offensionis in ipsos. Scripserat Cæsar in eandem sententiam ad ciuitates, & ad Wirtembergicum quoque Principem. Hoc tempore Tridenti statuitur, vt in eorum, qui vulgò Canonici dicuntur, & monachorum collegiis, theologica lectio cuiuspiam demandetur, ad eamque rem sacerdotium aliquot loco stipendii designetur. ad legendi verò munus nemo recipiatur, nisi de cuius eruditione, moribus atque vita compertum habeat Abbas aut Episcopus. Et quoniam Euangelii prædicatio non minus necessaria sit, quàm ipsa lectio, iubentur Episcopi & quicumque alii proceres ecclesiarum, docere populum: aut si legitime impediuntur, substituere qui faciant. Archipresbiteris etiam atque populi pastoribus mandatur, vt saltem septimo quoque die, qui Domino sacratu est, denuntiēt hominibus quæ necessaria sunt ad salutem: hortentur eos ad virtutem, & à vitiis deterreant. negligentibus constituitur pœna: simul admonentur Episcopi, diligenter cognoscant quid quisque doceat: & si forte disseminentur hæreses ac opiniones absurdæ, remedium legibus præscriptum adhibeant. Pòst fiunt decreta de peccato, quod vocant originis: & culpam eius omnem tolli dicunt

Peccatum  
originis.



cunt per Baptismum. manere quidem in baptizatis fomitem peccati seu concupiscentiam: & licet hanc Paulus aliquando peccatum vocet, hoc tantum fieri, non quod reuera sit & proprie peccatum, sed quod ad peccatum inclinēt. hoc autem decreto non comprehendit virginem Mariam.

Mauricius, qui vigesimo quinto die Maii Ratisbonam venerat, Iunii die vigesimo discedit, vbi Cæsar priuatim cum eo diu multumque fermocinatus fuit. Eius verò quæ fuerit summa colloquii, res ipsa post declarabit. Protestantium legati, quum ad vim & arma spectarent omnia, neque sine periculo de rebus necessariis vel deliberare possent, vel ad suos etiam perscribere, discedunt alii post alios, domumque redeunt.

Ad Idus Iunii Cæsar legatum mittit ad Heluctios, & initio præfatus de sua in ipsos benevolentia, de charitate erga rempublicam, maximè verò Germaniam, studioque pacis, Germaniæ quosdam ait esse Principes, qui sub Euangelii prætextu multa seditiosè faciant, leges omnes euertant, vt sublatis iudiciis nihil sit amplius quod metuant. Eorum audaciã eò nunc progressam, vt contra suum honorem & magistratum nitantur, & vim atque bella minentur, nec obscure præ se ferant, quasi per suam absentiam inuadere cogitēt & opprimere cõmunem patriam. His ergo rebus coactum arma sumere, vt pro sui muneris atque loci di-

*Colloquii  
Mauricii  
cũ Cæsare.*

*Protest. co  
pie.*

gnitate, periculum à republica depellat, & illos coherceat. Superioris Germaniæ ciuitates, & Dux Wirtembergicus, audito Cæsaris responso, quod per Nauium dedit, continuò datis literis ad Saxonem & Lantgrauium foederis duces, quid agatur ostendunt, & omnē fidem opemque polliciti, quantas omnino possunt, peditū copias cōscribunt: & omnino primi fuerunt in armis. Exercitus autē erat bipartitus. vnū agmē erat Vlrichi Principis, ad vngtiquatuor signa peditum: & in his ex nobilitate complures: alterum erat à ciuitatibus conductum. Duces primū ciuitatum copias, certis conditionibus per iurandum, vti fieri solet, astringunt: & vt Schertelino pareant, ac dicto sint audientes, mandant, donec Principes ipsi, foederis duces, venerint. Pōst ad Wirtembergicos digressi, quū idem egissent, Hedecum illis eadem ratione ducem constituunt. De Smalcaldicorum legatis antea dictum est, quemadmodum Ratisbona discesserint. conductis autem copiis Vlmæ congregantur, vt in commune consulant. Itaque Iunii die vigesimoprimo Duci ac Senatui Veneto scribunt, & de Pontificis iniuria questi, rogant ne illius copiis dent iter per fines suos: & si Pontificis vires augeantur, quid ipsis & aliis per Italiam populis expectandum sit, superioris ætatis exemplis demonstrant. Deinde quia Rhætos atque Tirolenses acceperāt multū

*Protest. ad  
Venetos.*

angi



angi propter externi militis aduentum, vltima die Iunii per literas hortantur, vt transitu illos prohibeant: ad eamque rem auxilia pollicentur. A Noribergicis quoque petunt opem. sed illi non se posse dicunt, quòd ad suorum finium defensionem, vix ipsi satis habeant. adhuc Scher telino mandât, vt hostes qui prope radices Alpium, delectus habendi causa confluebant, inuadat: simul ad Heluetios legationem decernunt.

De Cardinali Tridentino diximus *Factus Cesaris eius Pontifex.* antè, qui Romam celeriter transcurrit missus Cesaris. Illo igitur sollicitante, quod iam antea conceptum erat & informatum, Iunii die vigesimosexto decernitur his pactis. Quoniã per multos nunc annos in magnis perseuerauit erroribus Germania, sic vt ingens ex eo sit metuendum periculum: cuius quidem auerlendi causa sit indictum Tridenti Concilium, & mense Decembri anni superioris inchoatum: & verò Smalcaldici repudient illud, nec ad se pertinere dicant. ideo Pontificem atque Cesarem pro gloria Dei, & pro reipublica, maximè verò Germaniæ, salute, certis legibus inter se transegisse. Ad hoc ferè tempus *Rex Galliæ cum Angiæ* pacem Galliæ Rex facit cù Anglo, & Bononiã ei permittit, donec pecuniam debitam persoluat: & quum his ipsis diebus Galliæ Regis filio Henrico nata esset filia Isabela, Rex Angliæ, cõfirmadæ amicitia causa, rogatur, vt in sacro Baptismate p̄ illa fideiubeat. Tũc etiã Scotiæ

Cardinalis Andræanus, in sua quadam arce, sub prandii tempus confoditur à nobili quodam, cuius ille fratrem ob Lutheranismum durius tractauerat. Facta cæde percussor in Angliam profugit. Iulii die tertia Põtifex dat literas ad Heluetios, quibus eos hortabatur, vt in tam pia aduersus hæreticos causa auxilia subministrarent. Protestantium superioris Germaniæ legati, quinta die Iulii Badenam Vlma veniunt ad cõuentus Heluetiorum, & expositis mandatis, in mensem Augustum reiiciuntur. Postulata erant ne militi externo dent iter per suos fines, & vt suos ipsis militare permittât, si res ita postulet. His etiã diebus Brunsvicenses, Goslarienses, Hildesheimii, Hãnobrii, mandatu Saxonis atque Lantgrauii demoliuntur Henrici Brunsvicësis primariam arcem Wolffebutelum. Palatinus Elector in his motibus interpellat Cæsarem Ratisbonæ per legatum, & que sit belli causa, in quem fiat belli apparatus scire cupit: deprecatur etiam, & vt sibi liceat intercedere, obsecrat. Cæsar respondet, non illi esse difficile vtrunque scire, & que sit causa, & qui petantur bello, pòst eadem ferè quæ suprã, criminatur. Cæsaris responsum Palatinus Iulii die decimo, quum pridie esset allatum, Saxoni, Lantgrauio & Wirtembergico mittit, & explicato communi periculo, quod incumbat Germaniæ, præsertim ab externo milite, si bellum in-

crude-

*Palat. ad  
Cæsarem.*



crudescat, obtestatur, ut quantum omnino possint, largiantur atque concedant. Saxo interim atque Lantgravius, quibus omnino praeter expectationem hic tam repentinus motus accidit, praesertim quod amicissimum Caesarem nuper discesserat, certiores facti de re tota, magno studio copias & ipsi conducunt, & ad socios datis literis, ut idem faciant, ne ve callidis quorundam consiliis diuelli sese patiatur, monent. Et quum deliberandi causa conuenissent, Iulii die quarto datis ad Caesarem literis, queruntur quod Romani Antichristi ac impii Concilii Tridentini impulsu bellum in eos suscipiat, ut & Euangelii doctrinam, & Germaniae libertatem opprimat. Eodem ferè tempore Protestantes ad Galliae & Angliae Reges, nuper reconciliatos mittunt legatos, qui de auxilio utrunque sollicitent. Quum Saxo & Lantgravius ad Caesarem priuatim scripsissent, uti diximus, publicum etiam scriptum edunt Idibus Iulii, quo demonstrant religionis causa bellum hoc suscipi, & hoc esse consilium Caesaris, ut obducta quadam specie rebellionis, & tanquam in paucos aliquot vindicare velit, socios foederis diuellat alios ab illis, & tanto facilius paulatim post omnes evertat. Eius rei probationes multas adducunt, et quid Ferdinandus Rex, quid Grauellanus, quid Nauus, & alii quidam Ratisbonae priuatim dixerint, referunt: nimirum Concilium contemp- tum, hu-

*Saxoni &  
Lant. ad  
Ces. literæ*

*Brandebur* ius causam esse belli. Eodem die scribunt  
*grii persi-* ad Ioannem Marchionem Brandenburgicum :  
*ta.* & quia sit fœderis Protestantium , vt quidem  
 ipsius literis doceri possit, deinde quia priua-  
 tum sit iam olim ipsorum confœderatus, mo-  
 nent ne ferat arma contra se: nam alioqui fore  
 vt rem omnem euulgent , & quàm non suam  
 faciat officium publicè demonstrent. Ad hæc  
 ille, se militare Cæsari, neque negare, quan-  
 doquidem sibi cauerit non peti religionem, se  
 quidem esse fœderis Smalcaldici: verùm Au-  
 gustanæ tantùm confessionis ratione. quod ad  
 priuatum fœdus attinet, in eo Cæsarem excipi  
 claris verbis. id quum ita sit, non esse cur  
 hanc suã militiam ægrè ferant, aut aliquid ab  
 se contra fidem datam factum esse dicant. Illi  
 euulgato scripto, quod dixerat de Augustana  
 confessione, refutant, & ipsius literis docent,  
 eum sibi sociisque teneri opem ferre, si res in  
 eum casum deueniat, & si quis aliam contra se  
 belli causam obducatur atque simulet, vti nunc  
 Cæsar facit. Itaque diligenter monet omnes,  
 præsertim tribunos, centuriones atque mili-  
 tes, ne suam operam illi, qui fidem violarit, ad-  
 dicant. Porro quanquam Cæsaris hoc erat  
*Protest. se* eõsiliu, vt conductis vndique copiis, quàm  
*diuibus.* posset occultissimè Smalcaldicos adoriretur,  
 priusquam essent instructi: tanta tamen erat  
 illorum diligentia, tantus hominum ardor &  
 ad defendendum hoc bellum alacritas, vt ad  
 decimam



decimā sextam Iulii diem Lātgravius suas copias educeret in hostem: tametsi per inferiorē Germaniā Burenſis Maximilianus exercitum iam propè totum haberet instructū, nec in quē primum facturus esset impetū constaret. Filium natu maximū Guilielmum, ad sexdecim annorum adolescentem, Lantgravius antequā è suis finib⁹ exiret, Argentoratū misit, urbem præ cæteris valde munitam. Primus impetus à superioribus Germanis, qui iam erant expediti, factus est in hostem ex Vindelicis. Quum enim crebris nuntiis afferretur, Pontificis copias iam superatis ferè Alpibus imminere Germaniæ, præuertendum illis esse iudicabant. sic autem res habet. Ex Italia venientibus per Tridentum est iter OEnipontem, Ferdinandi ditionis oppidum. Inde duabus omnino viis in Bauariam itur, vbi tum Cæsar erat, vel secundo flumine OEno per Copstenum, vel ad læuam per medias Alpes. Propè ad exitum Alpium habet arcem Erebergum, editissimo loco positam, Rex Ferdinandus: & ea est natura loci, propter angustias & crepidines viarum & præcipitè despectum, vt qui hunc aditum teneat, quantumuis magnas copias aditu prohibere possit. cōtēdit igitur eò cū mediocri manu Iulio mēse Sebastian⁹ Schertelinus, mandatu legatorū, qui Vlmæ conuenerant: & ex itinere capta Fießla, oppido Episcopi Augustani ad Læchum flumen, aditum etiam

Arx Erebergum.

illum & arcē decima die Iulii, deditioe facta per milites præfidiarios, occupat. Erat eius consilii, cōtinuato itinere per Alpes, O Enipontem etiam capere, & firmo præsidio munit. sic enim vtranque tenuisset viam, qua venitur in Germaniam ex Italia: & milite Cæsare atque comœatu, iis quidem locis intercludisset. Sed in hoc tumultu, quum iussu Ferdinandi repente ad arma vocati essent omnes per agrum Tirolensem: magnæ manus conveniunt O Enipontem, ductore Francisco Castellato, Tridenti præfecto, & ad oppidi defensionem relicto præsidio, vias & aditus occupant. Itaque Schertelinus, imposito in arcem Erebergum præsidio, & oppidum Fieffam milite, retrocedit, & cum suis deinde copiis, ad eum exercitū, qui per superiorem Germaniam collectus, ad Danubium erat, proficiscitur. Sub idem tempus Eistetenfis Episcopus Mauricius legatos mittit ad belli duces, & vt sibi suffraganeis que parcant, orat: iter etiam per suos fines & comœatum, pacto pollicetur. Interim Saxo & Lantgravius cum suis copiis procedunt, & per Franconiam profecti, quum Wirceburgensis Episcopus, ipsis idoneè de nõ impediendo comœatu cauisset, ad socios contendunt. Erant tum in ipsorum castris, Electoris Brandeburgensis & Mauricii ducis legati, de permittenda intercessione missi: quum autem illi rem ad socios reuicerent, nihil actum fuit.

Qui



Qui commorantur Augustæ, prædiuites quidam, collectis rebus, vrbe iam pridem excesserant. Et quia rumor erat, eos mutuo dare pecuniam Cæsari, hi qui tum erant Ulmæ legati, datis ad senatum Augustanum literis, & missis internuntiis, quàm hoc sit indignum, demonstrant, grauitérque monent, dent operam, ne quid in posterum tale fiat. Senatus, illos iam antè, suo more, pecuniam fortè mutuo dedisse respondet, ne esset otiosa, quòd belli consilia nescirent: nunc autem existimare, neminem esse qui id faciat: nec enim impunè cuiquam futurum, si resciscant. Erat id temporis Ratisbonæ Cæsar, & præter Hispanos ad millia tria, peditum Germanorum millia circiter quinque, & ad septingètos equites, nullæ adhuc ad ipsum copiæ tunc conuenerant. Facta nuper pace inter Galliæ regem & Anglum, opportunè Protestantibus accidit, quòd milites Germani, quorum opera Galliæ rex vsus fuerat, dimissi, transierunt ad ipsos. Saxonem at-

*Saxo &  
Lantgrau.  
proscripti.*

que Lantgrauium Cæsar vicesima die Iulii, publicis literis proscibit vti perfidos, rebelles, seditiosos, læsæ maiestatis reos, & communis otii perturbatores, mandans ne quis opem illis ferat quocunque modo, neque se causæ illorù adiungat. Qui secus fecerint, & fortunarum & vitæ discrimen adibunt, quique profecti sunt vt illis militent, redeant quamprimum: ipsi verò omnes subministrent auxilia, neque fœ-

T.

dere vel pactionibus priuatis impediri se patiantur, quòd rescindat hæc omnia. Deinde nobilitati & populo ditionis ipsorum, fidem atque iusiurandum, quo sunt eis deuincti, remittit, & publica fide cauet, si morem gerant: qui recusant, eodem modo quo illi plectentur. Inter hæc Hieronymus Franchus, Legatus Pontificius Luceriæ agens, sollicitabat Heluetios, vt fœderi, quod nuper ad exitum Iunii Pontifex atque Cæsar inierant, ascriberentur: quandoquidem locus sit relictus aliis, qui velint in eam societatem venire. Quòd fœderis causam Pontifex enuntiarit, callidè factum esse nonnulli putant, vt hac ratione Cæsarem summis difficultatibus obiiceret. Molestè quidem ipsum tulisse, quòd Cæsar aliam belli causam, quàm religionis præ se ferret, certum est.

*Nuptiæ in  
ter arma.*

In hoc tempore Bauariæ ducis filius Albertus, Ferdinãdi regis filiam Annam, alteram verò Mariam, Gulielmus dux Cliuensis, in matrimonium ducit. Quum enim Nauarricam Cliuensis frustra speraret è Galliis, indultu Pontificis, vt aliam duceret permissum ei fuit. Peractæ sunt vtriúsq; nuptiæ Ratisbonæ, mediis in turbis atque motibus bellorum.

*Patrum  
Tridentinorum  
catalogus.*

Confessui patrum Tridenti dictus fuerat dies ad exitum Iulii: sed dilata res fuit in anni sequentis initium. Erant autem Tridenti præter Cardinales Pontificis legatos, & Tridentinum atque Pachecum Hispanum,



nū, Archiepiscopi quatuor, Episcopi triginta tres, & in iis duo Galli, quinque Hispani, Illyricus vnus, reliqui omnes Itali, Theologi doctores monachi triginta quinque, ex aliis verò non monasticæ profefsionis duodecim, plærique omnes Hispani. Cæterùm in quatuor illis Archiepiscopis erant duo veluti personati, Olaus Magnus Vpsalensis, Robertus Venantius Scotus. Id autem sic accidit, Cùm Sueciæ rex Gustanus, Daniæ finitimus, religionem mutaret, quod fuit anno circiter M. D. XXXVII, Ioannes Magnus, Archiepiscopus Vpsalensis, qui mutationem illam improbare, relicta patria Romam confugit, eoque venit mediocri cum comitatu. Venetias profectus deinde, factus est eius ciuitatis Patriarchæ vicarius, & vt vulgò dicunt, suffraganeus. Eam verò conditionem postea pertæsus Romam reuertit, & in angustias redactus, quum diuenditis equis, familiam ferè totam dimisisset, à Paulo pontifice collocatur in hospitali domo, quam vocant sancti Spiritus, in eaque tenuis & pauper vitam finiit. Erat cum eo frater Olaus. huic Pontifex Archiepiscopatum illum Gothicum, licet extra commercium ecclesiæ Romanæ positum, confert, & concilio interesse iubet, & ad victum quotidianum dat aureos menstruos quindecim. Alter ille Scotus, quum Archiepiscopatum Armacanensem esse in Hibernia Pontifici de-

*Rex Sue-  
ciæ Euan-  
gelium re-  
cipit.*

monstrasset, titulum fuit ab illo consecutus. erat autem cæcus, & tamen non solùm misificabat, verumetiam per celeres equos currebat. Hos ergo duos Pontifex in cœtu patrum esse voluit, ostentationis causa tantùm, quasi duo isti populi tam longinqui, Gothi & Hiberni, potestatem ipsius agnoscerēt: quum illi re vera, præter umbram & nudum titulum nihil haberent. De Mauricio supra diximus, quem admodum post priuatum cum Cæsare colloquium, Ratisbona discesserit. Vbi domum reuertit, subsequente paulò post Ferdinando rege, Pragam ad illum proficiscitur. Augusti deinde mensis die primo Cæsar, proscriptionis, quam supra diximus exemplum, Mauricio Ratisbonæ mittit, & datis ad ipsum & populū communibus literis, eadem ferè, quæ proscriptionis tabula continebantur, commemorat: & quia proscriptis agnatione sit & necessitudine coniunctus, ita quidem vt in illorum possessiones atque bona ius aliquod sibi fortè vendicare possit, grauissimis verbis mandat, vt sibi in occupandis illorum prouinciis adsit totis viribus: imò vt ipse quàmprimum occupet omnia, & sui iuris tuendi causa detineat. nam alioqui fore vt occupantis omnia fiant. Quas Mauricio scripsit, Augusto etiam fratri communes erant literæ. Smalcaldicorum exercitus iam omnis ad Danubium peruenerat. Ibi Saxo, Lantgrauius atque belli duces dant literas

Mauricius



literas ad Gulielmum Bauariæ ducem. Ad <sup>Mechliniæ</sup> septimum Augusti diem, Mechliniæ, quod <sup>clades.</sup> est Cæsaris ditionis oppidum Brabantia pulcherrimum, pulvis tormentarius in turri quadam in mœnibus dispositus, à fulmine correptus & incensus, ipsam turrim primùm à fundamentis euertit, proxima deinde ædificia, intra & extra urbem, ad quingentos in circumitu passus inuasit, ex iis plæraque incendit, plurima euertit, diruit, ac disiecit, nonnulla concussit ac dirupit, atque ex iis lapides ingentes correptos, pleròque ad sexcentos passus longè abiecit: atque ita corruptis tectis ac denudatis, totam propemodum urbem deformauit, arbores radicitus euertit & ambussit. Perierunt in ea calamitate homines plus minus ducenti, partim incèdio absumpti, partim ruinis ædificiorum ac lapidibus & tegulis obruti, præter eos, qui grauiter vulnerati mortem effugerant, quorum ingens erat numerus. Ex his complures biduo ac triduo, nonnulli quatruido pòst, è cellis subterraneis, in quas confugerant, plærìque mortui, qui vel fame vel spiritu præcluso extincti erant, pars uiui, qui penu ibi condito inuento, vitam ibi tolerauerant, reperti atque extracti sunt. Præterea ingens numerus iumentorum atque pecorum cum stabulis deflagrauit. Murus autem, qua parte turris steterat, ad ducentos amplius passus drutus ac solo fuit æquatus.

*Protest.  
Cæsari  
bellum in  
dicunt.*

Quia Protestantes iam cum omnibus copiis erant ad Danubium, sicut diximus, Cæsar qui nondum esset instructus, Augusti mensis initio relicta Ratisbona cum præsidio, Landishutum petit, Bauariæ ducis oppidum ad Isaram flumen, & pro mœnibus castra ponit. Donauerda Saxo, Lantgravius atque focii, missis literis Augusti die vndecima, quo sint in ipsum animo, iuxta belli morem atque legem denuntiant, & amplioris cautionis loco eam qua deuincti fuerant fidem & officium renuntiant, profitentes palàm & more solenni, se animo paratos vt ipsius ac eius sociorum bellum à se depellere cogitent, ac necessario, defensionem suscipiant, quam & Diuinum & naturæ quoque ius concedit. Hanc epistolam per adolescentem quendam nobilem & tubicinem, vti fieri solet, ad Cæsarem mittunt in castra prope Landishutum: ille autem non modò non accipit: verum etiam iubet, capitis denuntiata pœna, vt eam suis referant. hoc insuper addit, si quis in posterum ab illis ad se veniat, fore vt loco muneris ac torquis aurei laqueum abs se ferat. Deinde proscriptionis tabulam illis tradit, & grauissimis verbis mandat, vt suis eam reddant. Postea Protestantes quò sit eundè deliberât. Erant qui Ladishutù dicerent, vbi Cæsar erat. quum autem periti regionis docerent interesse paludes, ita quidem vt angustis admodum viis, per vnum & alte-



alterum subinde milliare singulis eundum esset equitibus, mutato cōsilio Ratisbonam ire statuunt, vbi Cæsar & præsidium reliquisset & tormenta: & si Cæsar obsessis opem ferat, de summa rei posse cum eo dimicari. Promotis ergo castris pergunt, sed lentè admodum. & sub illud ferè tempus, quod fuit ad Idus Augusti, Landishutum veniunt Itali seu Pontificii milites, maxima cum Cæsaris expectatione, qui de Smalcaldicorum progressu certior factus, dimissis nuntiis illos vt accelerarent, hortatus fuerat. Peditum erant millia decem, equites leuis armaturæ quingenti. His omnibus copiis nepotem suum ex filio, Octavium Farnesium Pontifex præfecerat. Huic adiunxerat Alexandrum Cardinalè, qui ex Italia discedens, dixisse fertur, se tantam datum esse stragem per Germaniam, vt in Lutheranorù cruore vel natate possit ipsius equus. Non multò post aduenerunt etiam Hispani, quos ab Insubria & Neapoli Cæsar euocauerat, circiter millia sex, veterani omnes. Quum igitur omnes iam conuenissent copiar, præterquã quas ab inferiori Germania Burèsi duce bar: Cæsar illinc profectus Ratisbonã petit. Eo cognito statim oborta fuit suspicio nõnullis, quasi in Misniã atque Saxoniam cogitaret. Confectis ergo potibus, in alteram Danubii ripam Smalcaldicorù transportatur exercitus. Progressus aliquantulù versus Norgouiam, nuntius

*Copia Pontificis.*

adfertur, Ratisbona Cæsarem contédere Ingolstadium. ibi cõuerfa ratione per loca salebrofa & aspera Danubium repetunt, ne Nuburgum, quod est suprà Ingolstadium tribus milliaribus, & Donauerdam Cæsar occuparet, inque Wirtembergicum agrum iter haberet expeditum. Vbi Nassfelsum venissent, Lantgravius postridie non magno cum comitatu progreditur, vt Ingolstadium contemplaretur, ignarus ibi Cæsaris esse copias: nam de paucis tantùm Hispanis ibi præfidiariis acceperat, cõsque volebat ad pugnam prolectare. Sed dum pergit, Sulmonensis principis equites aliquot prodeunt: impetu facto desiderati sunt vtrínque nonnulli, vulnerati verò plures. E captiuis cognitum est, eo die Cæsarem castra facturum esse ad Ingolstadium. Lantgrauii factum hoc elector Saxonix molestè grauiterque tulit: & si quid eiusmodi post hac ipso faciat inconsulto, discessurum se profiteatur. Copiis deinde productis omnibus in acie & instructis, quasi prælio dimicandum esset, in castra militem reducunt. Lantgravius paulò pòst, paucis comitat<sup>9</sup>, ex omni numero delectis vt aliquid certi cognosceret, exit, & vado reperto, quod nullum esse dixerant ante ipsum emissi speculatores equites, redit ad Saxonem, & equitatum traduci posse renuntiat. Pridie Calendarum igitur Septembris, prima luce pergendum, & occupandum locum editio-

*Saxo Lantgrauio succenset.*



editiorem, vbi specula fuit Ingolstadiorum aliquando, & tormentis agendum esse placuit, si fortè Cæsar ad prælium elici posset. Multa iam nocte, per interuallum, bis Lantgrauio Saxo nuntiat abiisse Cæsarem, & fumare castra: sed ille quum fidem ei rumori non haberet, quinque cohortes equitum suorum emittit, qui vadum occupent, & traducendis tormentis atque peditatu pontes efficiant. Aliquantò post ipse cum reliquis copiis omnibus atque tormentis, magna celeritate sequitur. Vbi ventum est ad flumen, nuntiatur ei Cæsarem non se commouisse loco. Cùm id ad Saxonem deferri curasset, progressus, collem illum, de quo dictum est, occupat, & tormentorum ibi partem collocat: copias etiam ad læuam atque dextram distribuit. idem deinde Saxo facit, vbi cum suis eò venisset.

## LIBER XVIII.

**D**E Maximiliano Burensi dictum est antea. Is omni confecto exercitu, qui erant equitum ad quatuor, peditum ad decem milia, & in his aliquot Hispanorum atque Itolorum cohortes, qui Britaniæ regi contra Gallum militauerant, Augusto mense progressus è Belgio, supra & infra Moguntiam, & vbi-  
cunq̃ nauium esset facultas, Rhenum transmittit, licet ad alteram ripam essent à Smalcaldicis copiæ dispositæ, vt transitu illos prohiberent. Archiepiscopus Moguntinus non mini-

*Lantgrauii audax  
animus.*

*Occasio à  
Protest.  
pretermis-  
sa*

mum huc attulisse momentum putatur. Vbi iam Smalcaldicorum exercitus omnis conuenisset eo, quem diximus, loco, cœptum est omnibus tormentis in castra Cæsaris fulminari, & vehementissimè quidem. Ibi tum Lantgravius, conuocatis ad Saxonem belli cōfiliariis atque ducibus, Quòd si penes me solum, inquit, esset administratio, sicut tunc erat, quando Wirtembergicum restitui, duabus equidem cum legionibus hostem adoriri primò velim, & fossoribus adductis, munitiones illorum disturbarem, & summis deinde copiis impressionem facerem. Variantibus ibi sententiis, quum alii dissuaderent, vt rem summi discriminis, alii non improbarent quidem, modò vt ab Ingolstadiis, qui tormentis abundabant, nihil periculi sit metuendum, & equitatus etiã adhibeatur statim initio pugnae: nihil actum fuit. Quod quidem ita reprehenditur à multis, vt hic error & ipsorum calamitatis, & victoriæ Cæsaris initium atque causa fuisse putetur. Nam & equitatu longè superabant, & humilitantum fossa Cæsaris tum erant munita castra. Cùm autem eius dici fulmen & impetum Cæsar sustinisset, nocte sequenti castra sic communiuit, vt maiore deinde fiducia rem ageret, ac tempestatem omnem multò commodius ferret. Incredibilem verò Cæsaris aiunt fuisse fortitudinem, in hoc tanto discrimine: cùm non modò timoris nullam daret signifi-

ca-



cationem, sed suis etiam animū adderet, eandem subire paratus, quam illi, fortunam. Sicut Heluetios, ita quoque Bohemos Lantgrauis atque Saxo sollicitabant. Hi verò sic respondebant, vt faciliè appareret, ipsorum animos esse iam criminatione Ferdinandi regis præoccupatos. Id quum ex eorum literis illi cognouissent, sub exitum Augusti rescribunt, & religionem hoc bello peti demonstrant. Sub idem etiam tempus edunt scriptum, & à fide dignis ad se deferri dicunt, Pontificè Antichristum Romanum, organum satanæ, huius auctorem belli, qui superioribus aliquot annis per incendiarios conductos, igni Saxoniam grauiter afflixerit, nunc emisisse veneficos, qui puteos & aquas stagnantes corrumpant, vt quod ferro supererit & armis, hoc isti veneno perdât. Itaque monēt in vniuersū omnes, præsertim suæ ditionis homines, dent operam, vt emissarii illi cōprehendātur, & subiecti tormentis, cū de scelere constabit, poenā luant. Aliquot deinde post diebus, Electoris filius Ioannes Gulielmus, euulgatis literis monet suos, vt sibi diligēter caueant. nuper enim non procul à Vinaria oppido Turingiæ, Italum quendam ex suspicionē comprehensum esse, qui sibi & nonnullis aliis Romæ datam esse pecuniā fateatur nomine Pontificis, vt incendiis atque veneno, quantum omnino possent, per Germaniam damni darent.

Pontifex  
incendiar-  
ius.

De proſcriptione, & quomodo Cæſar eius formulam ſiue tabulas ad Saxonem ſiue Lantgrauium miſerit, ſuprà diximus. Hanc igitur vt acceperunt, è caſtris ad Ingolſtadiũ, altera die Septembris honoris & exiſtimationis tuendæ cauſa reſpondent, edito ſcripto valde prolixo, quo & ſuam innocentiam tuentur, & Cæſarem iam à multis annis totum in hoc fuiſſe probant, vt fraudulentis conſiliis & diſſimulationibus cùm Germaniæ libertatem, tum Euangelii doctrinam fundiſe uerteret. Dimiſſa pugnandi occaſione ad Ingolſtadium, ſicut dixi, per triduum adhuc ibi commorati Smalcaldici, quum Cæſar interea ſeſe diligenter vallis atque foſſis muniſſet, quarto Septembris die diſcedunt, vt Burenſem tranſitu prohibeant, licet hoc aliqui diſſuaderent, neque longius quærendum eſſe hoſtem dicerēt, qui ſub ipſorum oculis verſaretur. Secundis caſtris Nuburgum, quod iam antè præſidio firmauerant, biduo poſt Donaerdam veniunt. Decima Septembris die prope Vendingam caſtra ponunt, emiſſis exploratoribus, qui de Burenſi cognoſcant. Id Cæſarem non latuit, & ab illo certior factus Burenſis, ab itinere deſſectit, & Noriberga Ratiſbonam profeſtus, ad Ingolſtadium Cæſari ſe ſe coniungit incolumis. Hac igitur expectatione illi deiecti, Donaerdam tertio poſt die redeunt. Interea Cæſar promotis caſtris Nuburgum

*Smalcaldici caſtra mouent.*



burgum petit: & quum nulla venirent auxilia, <sup>Nuburgi</sup> præliarii deditionem faciunt. <sup>captum.</sup> Iis omnibus Cæsar ignouit, accepta fide ne posthac in ipsum arma ferrent. Fama deinde fuit Cæsarem cogitare Augustam. Itaque Smalcaldici Danubium transmittunt, vt eius iter impedirent. Quum autem disposito Nuburgi præsidio, Marxamum peteret, illi priora in castra reuertuntur. In Galliam atque Britanniam legatos ab illis fuisse missos de auxiliis antea diximus. verum id frustra fuit. Et Galliarum quidem Rex, eo quod pace cum Cæsare facta, non sibi licere diceret, excusabat. Veruntamen quod augeri illius potentiam nollet, Petrum Strozam Florentinum, hominem militem atque prædiuitem hortatus fuit, vt illis ad trecenta aureorum millia mutuo daret: & quod commodius id fieret, magnam pecuniam summam, quam ei debebat, persoluit. Non recusat ille, quoniam Argentineses, Augustani & Vlmeneses fidem interponebant: & ad Principes in castra, quæ tunc erant Donauerdæ proficiscitur cum Ioanne Sturmio, qui missus in Galliam fuerat. Quum eò venit magnifice fuit exceptus, & sic discedit, quasi dependens pecuniam. Vbi verò tempus venit, quo id fieri oporteret, nusquam in Gallis comparet. Id autem astu Cardinalis Tornonii factum fuisse multi putant. nam is odio religionis aduersa quæque Smalcaldicis optabat, & erat

*Imponitur  
Protestan.*

*Heluetii  
solicitatur  
à Proteſt.*

præcipuæ apud Regem authoritatis. Sub  
finem Septembris denuo Smalcaldici scri-  
bunt ad Tigurinos, Bernates, Baſilienſes, Scha-  
fuſianos, & quid in animo Cæſar habeat, &  
quid ipsis ab eo ſit periculi, ſi rerum potiatur,  
oſtendunt: & conſiderare iubent ſit ne conſul-  
tum rebus ipſorum, vt Cæſari atque Ponti-  
fici ſeſe profiteantur hoſtes, ac deinde Cæſa-  
rem in finitimis locis adorianur. Ad hæc illi  
reſpondent, non ſibi tantum, ſed & reliquis  
Heluetiis hæreditarium eſſe fœdus cum Au-  
ſtriaca ſimul & Burgundica domo: quæ qui-  
dem regiones ipsis omnibus & vinum & fru-  
menta ſubminiſtrent. Itaque ſi temerè fœdus  
illud ipſi reſcindant, fore vt ſocii Heluetii,  
qui ſunt diuerſæ religionis, & commeatum ſi-  
bi nolunt intercludi, cauſam habeant, cur Cæ-  
ſari atque Ferdinando ferât opem, & in Alpi-  
bus clauſtra viarum, magno ſuo labore con-  
cluſa pateſciant, & in illorum ſocietatem ven-  
niant. Cæſar Marxæmo Donauerdam con-  
tendit: ſed quum caſtris idoneum locum non  
reperiret, deſſectit ad dextrâ, & Octobris die  
tertia Monhæmum petit. Erat tum fortè ne-  
bula, & Smalcaldicis emiſſi ſpeculatores, qui  
de illius itinere cognoſcerent, non idem re-  
nuntiabant. Vbi tandem comes O Etingenſis  
Ludouicus, illum magna cum exercitus parte  
iam tranſiſſe Wernizam flumen adferret, con-  
tinuò ſequitur, duabus circiter horis poſt me-  
ridiem



ridiem: & sub noctem à Cæsare supra dimidiū  
 milliare castra ponūt. Postridie rursus est ob-  
 orta nebula. Primam aciem Saxo, mediam  
 Lantgravius, postremam Georgius Malspur-  
 gus & Rifebergus ducebant. Saxo progressus  
 cum quinque legionibus & multis equitum  
 turmis, ad hostem propius accedit, & excu-  
 sionibus utrinq̄ue factis, res agitur. Dis-  
 sipata nebula Cæsar quum primum agmen  
 via Norlingica procedere videret, postre-  
 mum vero nondum appareret, omnem e-  
 ducit exercitum, quasi collaturum signa.  
 Lantgravius ergo qui medius erat, quum ad ip-  
 sum acies hostilis obuenteretur, consilium ex-  
 quirir. Erant qui Saxonem insequendum esse  
 dicerent, quia verò postremum agmen longius  
 adhuc aberat, quod suo discessu præsentem vide-  
 bat expositum iri periculo, non sibi disceden-  
 dum esse putabat: verum dimissis nuntiis, qui  
 & illos properare iuberēt, & Saxonem reuoca-  
 rent, constitit immotus, in iis quos occupaue-  
 rat collibus. Erat medius inter utrūque exer-  
 citum Egra fluuius, tenuis quidem, sed diffi-  
 cili transitu, Cæsari præsertim, si prælio decer-  
 tare vellet. Hoc ad flumen vsque Buren-  
 sis cum suis copiis peruenerat: & cum ad præ-  
 lium res omnino spectare videretur, Cæsar il-  
 lū reuocat, & grauitè, ne longius progrediatur,  
 edicit. Sic utrinq̄; reditū est in castra, & Smal-  
 caldici quidē prope Norlingam. Altera luce

*Velitatio-  
nes.*

*Albertus  
Brunsvi.  
vulnera-  
tur.*

*Donauer-  
de deditio.*

*Albanus  
Lantgrauio  
insultat.*

*Rerum per  
Saxoniam  
mutatio.*

Cæsaris aliquot cohortes propius ad hostem  
adequitât, & manus acerrimè conferunt. Hoc  
in conflictu per aduersum os vulneratur Al-  
bertus Brunsvicensis, Philippi filius, quum à  
computatione tumultuariè prodiisset. Nor-  
lingam relatus, non multo pòst interiit. Cæsar  
ibi per dies aliquot commoratus, Octauium  
Farnesium interea mittit, adiuncto peditatu  
Germano cum tormentis, vt Donauerdam oc-  
cupet: Probauit hominis consilium fortuna.  
Quumque de nocte profectus, eò prima luce  
venisset, ad motis scalis, oppidani sese dedunt:  
præsidarii fuga sibi salutem quærunt. Eo fa-  
cto, Cæsar Donauerdam petit. Smalcaldico-  
rum fuerat consilium, illius adoriri castra, ve-  
rùm discessu mutata res fuit, & per indicium  
illud Cæsar accepisse putatur. His ipsis die-  
bus, Lantgrauio nuntiabat dux Albanus, quid  
ita montes atque colles insideat? cur non in  
planiciem descendat & prelio contendat? Lãt  
gravius inuicem, se sociosque fuisse per dies  
quinque mediis in campis ante Ingolstadium,  
& expetiuisse prælium: cur non conflixerit?  
Cur idem iam ad Norlingam non fecerit, vbi  
totum ipse diem substiterit? Dum hæc in Sue-  
uia geruntur, magna fit rerum per Saxoniam  
immutatio. Quemadmodum Cæsar, cum  
Mauricio duce, Ratisbonæ, Ferdinandus au-  
tem Pragæ consilia tractarint, quomodo dein-  
de Cæsar ei mandarit, vt Ioannis Friderici  
atque



atque Lantgrauii prouincias occuparet, supra diximus. Porro Mauricius principio belli Ratisbona domum reuersus, suę ditionis ordines omnes conuocat, & Chemnici, quid factu sit opus, consultat. Illi suadent, vt è Cæsare planè cognoscat, an religionem velit esse saluam, deinde, vt ipse & Brandenburgicus Elector intercedant: quod si religioni caueatur, & intercessio locum non habeat, hortantur, quandoquidem extra causam religionis teneatur in omnibus parère Cæsari, vt quiescat, & ad prouincię defensionem copias conducat: ad eam rem auxilia promittūt, si simul ex omni numero sex illi attribuunt, quorum vtatur in rebus omnibus consilio. Cùm autem ea quę diximus ad ipsum essent allata Cæsaris mandata, Ferdinandus etiam ex Vngaria militem euocaret, & in Bohemia manus cogeret: Fribergum rursus conuocat ordines, Octobris die octauo. Repetit actionem superiorem, deque ipsorū consilio se vnà cum Brandenburgico sollicitasse dicit Saxonem atque Lantgrauium, vt intercessionem sibi permittant, grauius etiam illos, & quanti sit res periculi, secum expendant, commonuisse: verùm adhuc nullum esse datum ab iis responsum idoneum, & editis libellis ad arma rem deuenisse, & leuioribus aliquot præliis iam esse dimicatū. Et quanquam illi non semel ab se flagitarint opem, tamen quia Cæsar de religione sibi rectè cauerit, idèd

*Mauricii  
consilia in  
Protest.*

se, quemadmodum ipsi suaserint, nihil mouisse, verum ad suæ regionis tutelam, in hoc vltique tempus aluisse militem, & cum delectis cõmunicasse consilia. Re consultata, Saxoni & Lantgrauio nuntiandum esse placuit cõtinuò, de Cæsaris mandatis, atque Ferdinandi regis apparatu: & vtrunque rogandum, vt cladis vitandæ causa, suas prouincias à Mauricio patiantur occupari. Octobris igitur die vndecimo scribunt ad vtrunque separatim, post multam cogitationem, nullam apparere sibi viam expeditiorẽ, quàm si Mauricio suas possessiones permittant. Mauricius vnà quoque scribit ad focerum Lantgrauium, in eandem propè sententiam: & quia miles externus iam instet, necessariò sibi prouidendum esse dicit, ne Saxonia deuaestetur. De Cæsaris profectioe, Donauerdam euntis, vt dictum est antè, serò tandem acceperunt Smalcaldici. Postridie Lauringam, quod est oppidum supra Donauerdam tribus milliaribus ad Danubium, ire constituunt, & de nocte quidem. Cùm autem incertum esset, num sit progressus Cæsar, & si Lauringam ipsi petant, ac Cæsar interim sit à tergo, periculú esse nonnulli dicerent, ne Norlingam occupet, ac deinde per vallem Remsiã in agrum Wirtembergicum inuadat, mutato consilio, diem vnum ibi subsistunt. Octobris die XIII. Smalcaldici promotis demum castris, quum allatum esset, Cæsarem tenere iter

Vlmens-



Vlmenſe, Giengam poſtridiſ veniunt, quod eſt ad idem flumen oppidum, non longè ſupra Sonthæmum, ſic vt inter vtrunque exercitum medius laberetur amnis. Quum ibi cõſiſterët, *Cæſaris ca- piendi oc- caſio elapſa Proteſt.* nondum tentis tabernaculis, equites aliquot in monte vicino conſpiciunt. In his erat Cæſar ipſe, qui cum Albano proceſſerat ſpeculandi cauſa. Ducebat eo Die primum agmen Saxo, ce- leritèrque contendit ad hoſtem, & Lantgrauio, vt conſeſtim ſequatur, nuntiat: cum verò pe- dem referrent hoſtes, cunctâter agit, & in mô- te Lantgrauium operitur. Amiſſa tunc fuiſſe putatur pulcherrima rei bene gerendæ occa- ſio. Nam neque vado tranſiri flumen poterat, & vnus modò pons erat iis locis. Et vt fortè per eum Cæſar euaiſſet, præcipui tamen duces in magnis erant anguſtiis futuri, quod ipſimet poſtea feruntur non diſſimulaſſe. Propter pa- buli autem & com meatuſ inopiam, & anni *Peſtis in caſtris Cæ- ſaris.* tempus, & aſiduos imbres, contagio & lues in- uaiſit caſtra Cæſaris, & ad hoc ferè tempus do- mum ex caſtris proficiſcitur cardinalis Farne- ſius, & Italorum aliquot cum eo cohortes. Cæ- ſar etiam eadem de cauſa mutare locum, & in vetera prope Laugingã caſtra reuerti coactus eſt, pride calendarum Nouembris. Bohemi militabant quidem Ferdinando regi, ſed ad- modum inuiti, propter antiquum fœdus, quo domui Saxonicae coniuncti ſunt. Deinde

quòd non necessarium bellum esse dicerent, & quòd Electori plarique putarent iniuriam fieri: Ferdinandus autem peruicit, & ex Pannonis atque Silesia militem euocauit, vt illos vel nolentes cogeret. Equites Pannonii vulgò dicuntur *Hussari*, genus hominum valde rapax & immite. Conductis ergo copiis, quum iam finibus egrederentur, Sebastianus Weitemullus, ductor exercitus, ad XX. Octobris diem, missis literis bellum Saxonie ducis populo denuntiat. Eo, quem diximus, Octobris die XXVII. Mauricius Dresda dat literas ad Electorem, quid Cæsar sibi mandarit, & quanto sit res in discrimine, nuper ipsum è suæ ditionis ordinum literis accepisse. Iam verò, quum sibi suoque populo Cæsar de religione cauerit, ideò se, de consilio suorum, constituisse, quò videlicet Cæsari satisfiat, & suum quoque ius integrum sibi permaneat, inire rationem, ne ipsius ager atque prouincia in alienas manus deueniat: atque istud quidè ita se, tum suo tum fratris Augusti nomine, ipsi denuntiare. Quòd si tempus olim erit, quo Cæsari ac regi Ferdinãdo recõciliabitur, non se recusare, si quidem illi patiantur, quò minus suæ ditionis ordines, inter vtrunq; de summa rei tractent. In eadem planè verba scribit Electoris filio Ioanni Gulielmo, & vt literas ad parentem scriptas curet perferri, monet. Bohemi interea & *Hussari*, in finitimũ Electoris agrum,

*Hussari.*

*Mauricii  
ad Electo  
re litera.*

*Irruptio  
in Electo  
ris Saxo  
nis prouin  
cias.*

Vct-



Vetlandiam irruunt: cædibus, direptionibus, incendiis atque libidinibus grassantur. Sed non diu cōmorati Bohemi, quoniã inuiti, sicut diximus, militabāt, ad XI. Nouemb. diem discedunt à signis, & dilapsi domū recurrunt. Hisce ferè diebus Cæsar iterū castra mutat, eadem de causa, qua prius: & locum magis commodum atque siccum deligit, vt militem vehementer afflictu reficeret, & cōmeatus difficultatem subleuaret. Plærique omnes in hyberna ducendum esse militem suaserāt: sed vnus ipse qui loca prius explorauerat, continendum esse statuit exercitum, & alendū bellū. Mauricii factum plærique omnes admodum reprehēdebant, quòd illi, quē loco parentis colere debebat, qui fortunarum ipsius omnium propè solus author erat, tam indignam referret gratiã: & prodibant in illius inuidiam atque vituperiū libelli, & carmina multū amarulēta, quæ & violatæ fidei, & proditæ religionis, & summae ingratitude ipsū insimulabant, eoque magis, quòd nec vxoris neque soceri precibus quicquam in eo tribuisset. Ea re cognita, scriptum edit purgandi sui causa. Per hoc tēpus recruduerunt in Galliis persecutiones. Et iis locis Meldæ, decem à Parisiorum Lutetia miliaribus. Eius oppidi quatuordecim alligati singulis palis, eodem tempore viui cremantur, reliquis circiter quinquaginta partim virgis & fustuario, partim exilio fuerūt multati. Pont-

*Bohemorū  
discessus.*

*Maur. ma  
le audit ab  
omnibus.*

*Meldensīs  
persecutio.*

*Coloniar-  
chiepisco-  
pi ad Con-  
cilium pro-  
uocatio.*

fex lata sententia, mensis Aprilis die XVI. Co-  
loniosem Archiepiscopū proscripserat. Cū  
hoc ille quarta die Nouembris primū certō  
accepisset, vt ipse commemorat, aliquot post  
diebus edito scripto, & causis explicatis, quā-  
obrem pro iudice Pontificem non agnoscat,  
qui sit iam pridem & hæresis accusatus & ido-  
latriæ, prouocat ab ea sententia ad legitimū  
Germaniæ conciliū: & vbi primū id inchoa-  
tū fuerit, prosecuturū se litem contra Ponti-  
ficem, affirmat. Smalcaldicorū legati, quos sub  
exitum Octobris Vlmæ conuenisse diximus,  
cū sententiis non conuenirent, mense Nouē-  
bri Giengā ad castra profecti fuerūt, vt facilior  
esset deliberatio. Ibi proponitur, quia socii  
religionis nulla dent auxilia, & ex confœdera-  
tis Luneburgenses & Pomerani & alii quidā  
nihil omnino, reliqui verō per Saxoniam ordi-  
nes atque ciuitates non ita multū conferant,  
& ex Gallis nihil adferatur, & dilabente quo-  
tidie milite propter anni tempus & alia incom-  
moda, diminuatur exercitus: ē tribus vnum ef-  
se deligendū, vt aut prælio contendant, aut dis-  
cedant, præsiidiis in hyberna dispositis: aut pa-  
cem induciāsque faciant. Re deliberata, pacis  
mentionem posse fieri placuit, & adhibetur A-  
damus Trotus, qui per causam electoris Brā-  
deburgensis, aditum habebat ad eius fratrem  
Ioannem Marchionem. Cū autē Cæsar, qui  
rationes illorū omneis & incōmoda per indi-  
cium ex propinquo cognouit, & nuper ē Saxo-



nia lætū acceperat nuntiū, duras admodū conditiones proponeret, decernitur vt reliquis omnibus abductis copiis in Saxoniam, equites mille & ad octo millia peditū relinquātur in hybernis, ad eāmq; rem sumptū faciant dux Wirtembergicus, & Germaniæ superioris ciuitates. Ad XXIII. deinde Nouemb. diē discedūt, facto prius decreto, vt in Galliam & Angliā altera legatio mittatur, & ad duodecimū Ianuarii diem Francofurti denuō conueniatur. Sic ergo parūm fœliciter fuit administratū bellū. Cuius quidē mali præcipua fuisse causa putatur, quòd non ex vnus arbitrio res ageretur. Cū enim æquali essent potestate præditi Saxo & Lantgrauius, nō semel accidit, vt in disceptādo peropportuna dilaberentur occasiones. Saxonix verò dux, & si neruo belli destitutus erat, tamē ingressus iter cum copiis, Gemundā, oppidū Sueuiæ, tormentis oppugnat, deditioe capit: à Senatu deinde pecuniam exigit, quæ viritim collecta fuit. Pòst duodecimo decembris die Frācofurtū venit, ab isq; nouē aureorū millia consequitur. Moguntino autē, ad quadraginta millia imperat. Progressus deinde, Fuldensē abbatē prædiuitē & alios quosdā pontificiæ religionis, eodē modo tractat. Rotēburgi Cæsar cū esset, Burense ab se dimittit, & vt rationē ineat occupādi Frācofurti, mādāt. Postea sub Idus Decem. dat illinc literas ad Wirtēbergicū principē Vlrichū. Earū literarū exēplū ad eius

*Infelix  
exitus bel  
li protest.*

*Cæsaris  
literæ ad  
Wirtemb.*

ditionis populū vnā mittit, & ne deinceps ei pa-  
 reant, edicit: sed misis ad se legatis audiāt, qd  
 imperet. Fidem etiā & iusiurandū, quo sint ei  
 deuincti, remittit. Cū hęc Cæsar scriberet,  
 iam ipsius copiæ, Albano duce, erant ad fines  
 agri Wirtembergēsis. Vlrichus verò princeps,  
 in arcem Tuelam, extra regionem, altissimo &  
 prærupto monte positam, sese recipit, & ex iti-  
 nere, cū Cæsar ei redditæ essent literæ, vi-  
 gesimo die Decembris illi suppliciter & demis-  
 sè admodum scribit. Per hosce dies venerunt  
 ad Cæsarē equites cataphracti Neapolitani cir-  
 citer quingenti, Ioanne Baptista Spinelo du-  
 ctore. Pòst hęc Cæsar Halam oppidum Sue-  
 uiæ, nuper ei reconciliatum, proficiscitur. Eò  
 venit ad ipsum elector Palatinus Fridericus.  
 Is quadringentos equites auxilio miserat Smal-  
 caldicis, quum essent ad Ingolstadium. Itaque  
 Cæsarem adit, & non ipsius oppugnādi causa,  
 verū, quòd ex fœdere priuato teneretur  
 Wirtembergico duci, factum hoc esse demon-  
 strat. Cæsar eum acribus verbis excipit, & enu-  
 meratis quæ contulisset in ipsum beneficiis,  
 grauitè incusat: veruntamen ignoscit, & vt er-  
 rorē hunc atque culpā in posterū accuratiore  
 fide cōpenset, hortatur. Sub initiū belli, Palati-  
 nus, quum de constituendis ecclesiis cogitaret,  
 Paulum Fagium, hominem facundum atque  
 doctū, Argentorato vocauerat Hedelbergam,  
 vt Euangelii doctrina cæteris præiret, ac viam  
 com-



commonstraret. In hac autem Cæsaris fortuna quod inchoatum ibi fuit, totum intercidit. Aliquot post diebus, veniunt ad Cæsarem legati Ulmenfes, & quum supplices facti culpam agnoscerēt ac deprecarentur, reconciliati fuerunt. Cæsar eos mulctat centum millibus aureorum, tormentis XII. & decem signa pedum illis imponit. Burenfis interea Lantgrauii ditionem, quæ supra Francofurtum est, ingressus, oppidum Darmstatum, partim vi, partim deditione capit. Defendebant enim illud ciues tantum & ex agris collecta turba. Post præter Francofurtum tendit: & quum eius per vim capiundi, præsertim malè affecto milite, & eo anni tempore spem nullam haberet, copiarum partem Rhenum transmittit, & ad Moguntiam se iubet expectare. Quumque nihil minus ipse cogitaret, & domum iam esset rediturus, ecce Francofurtenses missis legatis ditionem faciunt, & imperata se facturos demonstrant. Saxonix dux, ubi iam ad suos fines cum exercitu peruenit, Decembris die vigesimo secundo mittit literas ad ordines Mauricianos. Daniæ rex, etsi confederatus erat, tamen nullam opem Smalcaldicis tulit. Cæsar Hala profectus, Hailbrunum & oppidanis in gratiam receptis, Albanum immittit in agrum Wirtembergicum, vt supra diximus. Is ditione captis aliquot locis, multum damni da-

*Ul. Cæsari  
reconciliati.*

*Darm. ex  
pugnatur.*

*Francofurtenses sese  
dedunt Burgenfi.  
Electoris  
Saxonis li-  
tere ad or-  
dines Mauri-  
ciani.  
Daniæ rex  
nulla ope  
Protestan-  
subleuatur.*

M. D.  
XLVII.  
*Ciuitatū  
Protestan.  
legatio.*

*Seditio  
Genue in  
familiam  
Auriensem.*

bat. Solicitante verò Palatino principe, Wirtembergicus Ianuarii die tertio reconciliatur. Postea veniunt Memingi, Bibraci, Rauesburgii, Campodunenses, Isnenses legati, supplicésque facti pœnam deprecantur: & quòd in ipsum deliquerint, partim errore suo, partim aliorum culpa factum esse dicunt. Se verò con fugere nunc ad ipsum, velut ad fontem misericordiæ, & oblectare vt ignoscat, & pristino loco restituat, neque de suis priuilegiis & immunitatibus quicquam diminuât. Per hocce dies Genuæ fuit nata seditio, in familiam Auriensem, cuius tum erat princeps Andreas, rei naualis peritia longè omnium clarissimus, eiusque Reipublicæ facilè primus beneficio Cæsaris. Huius verò turbæ dux erat & signifer Comes Fliscanus, in eaque fuit trucidatus inter alios Andree gentilis atque propinquus Ioanninus Auria, vir magnæ virtutis. Quòd nisi Fliscanus fortè dilapsus in mare periisset, in maximo discrimine res futura fuisset creditur. Sed illo sublato, focii facinoris diffugiunt, eamque tempestatem ilico secuta fuit magna tranquillitas. Authores huius consilii Cæsar fuisse dicit. Farnesios, imprimis Petrum Aloisium, Placentiæ ducem. Qui sub exitum Iulii, superioris anni, futurus erat Tridenti patrum confessus, in hoc vsque tempus fuit porogatus, & Ianuarii die XIII. statuitur de iustificatione hominis. Aduentante cum  
exer



exercitu Saxonæ duce, Mauricius Lipsiam præsidio munit, & suburbia incendit. Eodem tempore veniunt illuc equites Pannonii supra mille. Ianuarii die XIII. fit oppugnationis initium, sed oppidanis fortissimè sese defendentibus, infecta re disceditur sub eius mēsis exitū. Crebris autem tormentorum ictibus ac veluti grandine quadam, oppidum vehementer dilaceratum fuit, & planè deformatum. Illinc Saxo profectus, non solùm amissa deinde recuperat per Turingiam & Misniā, sed Mauriciū quoque suis oppidis exiit, in-

*Mauricius suis oppidis exiit.*

columni tantum Lipsia & Dresda. Magdeburgicum etiam & Halberstatensem Episcopatū ad se traducit, facta cum Episcopo Ioanne Alberto transactione. Pridie quàm Lipsiam oppugnaret, Ferdinandus rex Bohemis mandat, vt sumptis armis auxilio proficiscantur Mauricio. Parebant quidem illi: sed iniussi postea domum redierunt. Itaque Ferdinandus ad finem Ianuarii rursus idem mandat. Ibi populus Pragensis, cuius est iis locis autoritas præcipua, senatum rogat, dent operā, vt Rex mandatum aboleat, quod cum ipsorum libertate pugnet, & cui non possint honestè parere: nullam enim subesse causam, cur in Saxonem Electorem arma ferant, & multis in rebus eandem ipsorum esse religionem, quæ sit illius. De Pontifice dictum est antea, quemadmodum lata sententia Coloniensem archiepiscopatu priuarit & omni functione. Quum

*Adolphus  
in Hermã  
ni locum  
suffectus.*

*Herman-  
nus cedit  
Archiepif-  
copatu  
Colon.*

*Gropperus  
indutus  
Friderici  
spoliis.*

*Henrici  
Angliæ  
regis obi-  
tus.*

id faceret, omne ius & authoritatem fi-  
mul attribuit Adolfo Schauenburgo Comi-  
ti, quem superioribus aliquot annis Archie-  
piscopus inter omnes vnum sibi delegerat co-  
adiutorem. Cùm fidem igitur & iusiurandum  
remisisset omnibus: ille, quem diximus, coad-  
iutor, quem fratris loco semper dilexerat, suc-  
cedit. fuit hoc Ianuarii die XXV. Erat Ar-  
chiepiscopi frater Fridericus, quem Episco-  
pum fuisse Monasteriensem libro decimo di-  
ximus, Ecclesiæ Bonnensis præpositus, vt vo-  
cant. Priuatus autem ea præfectura fuit, eiús-  
que tulit exuias Gropperus. idem accidit  
Stolbergio Comiti, Coloniensis Ecclesiæ de-  
cano, qui constanter Archiepiscopum defen-  
derat. Mox per totam regionem, Archiepis-  
copi noui mandatu, religionis facta fuit im-  
mutatio, & quicquid Bucerus instituisset, a-  
boletur. Smalcaldicorum legati, quum Galliæ  
regem adiissent, Britanniam petunt, vt idem  
apud vtrunque perficerent. Sed iam tum gra-  
uiter rex Henricus ægrotabat, & inualescente  
morbo, sui regni anno XXXVIII. sub fi-  
nem Ianuarii decedit è vita, quum testamen-  
to filium Eduardum, nouem annorum ado-  
lescentem, fecisset hæredem, eiúque filiam Ma-  
riam ex prima, & Isabelam ex altera coniuge  
substituisset. Verùm antequam mortem obi-  
ret, Thomam ducem Norfolcium, cuius ma-  
gna semper fuerat authoritas, perpetuis vin-  
culis



culis addicit: eius verò filium, Comitem Sur-  
riæ, capite plectit, ob emissas aliquot voces  
nimium suspectas ægotanti. Eius interitum  
secuta fuit deinde religionis immutatio, sicut  
infra dicemus. Nam & si Pontificis autori-  
tatem omnem suis è finibus eiecerat: licet es-  
set capitale, si quis illum vt præcipuum Ec-  
clesiæ caput agnosceret, quanquam in publi-  
cis Ecclesiæ precibus, illum vti pestem & An-  
tichristum auersabatur, tamen doctrinam re-  
tinebat pontificiam, vt suprâ demonstratum  
est. Filium ab ineunte etate rectè curauerat e-  
rudiri, & moriturus ei constituit tutores, ad  
XVI. & in his Eduardum Comitem Herfor-  
densem, adolescentis auunculum.

Lipsiæ durante obsidione, Brandenburgi-  
cus Elector intercedit, & misit ad vtrunque  
legatis, actionem sibi permitti flagitat. Elector  
quidem non abnuat. Mauricius autem graui-  
ter incusans illum, quòd tam acerbum bel-  
lum gereret, sexto demum die, paulò respon-  
det alienius, quum frustra videret oppidum  
oppugnari. Cæsar, paulò antè quàm Smalcal-  
dici mense Nouembri discederent, negotium  
dedit quibusdam, vt ilico nouis conscriptis  
copiis, bellum in finitimis Saxonix locis face-  
rent, ne qui sunt iis locis ordines atque ciuita-  
tes, Lantgrauio vel Saxoni possent opem vllã  
ferre. Postea quàm in Saxoniam Albertus  
Marchio peruenit, Mauricius oppidum Ro-

chlicia illi attribuit. Cuius vsum fructum habebat Lantgrauii soror vidua, Georgii Saxoniae ducis nurus. Eo cognito, Ioannes Fridericus Elector, qui tum Aldeburgi erat, tribus ab illo milliaribus, calendis Martiis Ernestum Luneburgicum, Volratum Mäsfeldium cum aliquot equitum turmis, ac deinde Recrodum cum sua legione peditum de nocte praemittit: ipse cum reliquis copiis subsequitur. Postridie, antè quàm luceret, pauci quidam equites praemisii, excubitores inuadunt. Ex iis nonnulli capti fuerunt, reliqui fuga petunt oppidum. Erant in suburbio signa peditum quatuor. His comitati aliquot equites Albertini, & prima luce egressi, manus conferunt. Repulsi in suburbium sese referunt. Cùm autem Elector, qui secundam aciem ducebat, venisset, & ex monte vicino tormentis in oppidum fulminaret, pedites etiam impetu facto suburbium incenderent. illa, quæ diximus, peditum signa quatuor, per pontem, equites verò per Muldam flumen, in fugam abeunt. Pedites ergo, qui iam suburbium tenebant, magnis animis progressi, oppidum inuadunt, diripiunt & hosti tormenta tollunt. Dum hæc ita geruntur, Albertus fugam circumspicit & flumen petit, sed ab Ernesto Luneburgico interceptus, ad Electorem deducitur. In oppido praesidio erant peditum signa sex. Hi sese consociant cùm reliquis equitibus, & defensionem parant, sed  
victi



victi multitudine deditonem faciunt omnes, & armis exuti, non se militaturos in Saxonem atque socios intra sextum mensem pollicentur: atque ita dimituntur.

## LIBER XIX.

**M**artii die tertio Tridenti fit septimus patrum confessus. in eo damnatur, qui vel pauciora quàm septem Ecclesiæ sacramenta, *Decretum Concilii de Sacramentis.* vel non omnia dicunt à Christo esse instituta. Ferdinandus rex, vbi Dresdam peruenit ad Mauricium, octauo die Martii scribit Bohemis, Ioannem Fridericum constituisse ipsos inuadere. Prouideant ergò suis rebus, & Sebastiano Weittemullo, quem sibi per absentiam suam legauerit, obtemperent. Brandenburgicus Elector sollicitè quidem agebat pro Lantgrauio, & ad Ferdinandum quoque rem detulit: sed durissimæ ferebantur conditiones.

Sub hoc tēpus rex Ferdināus & Mauricius & Augustus frater cum suis copiis Priciam veniunt. Tulerunt id grauiter Bohemi, quòd in suos fines illi iam essent ingressi. Per literas itaque Ferdinandum orant, ne patiatur exteras nationes introduci: nam & noui & periculosi rem esse exēpli. Sed & ipsi Mauricio & Augusto fratri scribūt, vt è suis finibus quàm primū excedāt absque maleficio: nā alioqui se cōsiliū esse capturos ex tēpore. Ferdināus ad ea rescribit vigesimo sexto Martii die, nō esse quod vereātur. Galliæ rex Frāncisc<sup>o</sup>, quū regnas

set annis XXXII. Rāboleti, quod abest Lute-  
tia iter diei, vitā finit vltima die Martii. Succes-  
sorē habuit. Henricū filium, circiter XXVIII.  
annorum iuuenem. Is è vestigio Connesta-  
blium Annam Mommoranciū, qui iam totos  
ferè sex annos priuatus viuebat, vt suprā do-  
cuimus, reuocat, & loco pristino restituit, &  
in summo honore habet. Deinde qui præci-  
puo loço fuerant antè, partim vilescunt, par-  
tim submouentur, & in vincula coniiciuntur.  
Francisci regis interitus valde incommodè  
accidit viris literatis atque studiosis. Nam ar-  
tes omnes liberales nemo vehementius ama-  
uit, aut liberalius est profecutus. Multa iam  
consuetudine variam sibi cognitionem com-  
parauerat. Paulò antè quàm è vita decederet,  
Saxoni atque Lantgrauio miserat in subsi-  
dium belli, singulis aureorum millia centena:  
& tunc cùm obiret mortem, vix dum erat ea  
perlata pecunia. Sub idem quoque tempus è  
Britannia redeunt in Galliam legati Prote-  
stantium, vt reliqua conficerent: & sicut ibi  
regem Henricum, postea quàm eò venissent,  
ita nunc Franciscum, simulac eò reuerterant,  
extremè ægotantem offendunt. Itaque hoc  
etiam ad reliquam Cæsaris fortunam acces-  
sit, quòd Reges duo potentissimi, quibus nec  
opportunitas, nec vt plerique tum putabant,  
voluntàs etiam deerat illius & impediendi &  
retardandi consilia, mortui sunt eodem pro-  
pè

*Franciscus  
literarum  
patronus  
& docto-  
rum Mæ-  
cenas.*



pè tempore. Cæsaris illæ copiar, quas nobilibus aliquot oppressis, & capta Minda, Bremam iuisse diximus, ad exitum huius mensis mediocrem cladem acceperunt, amisso belli duce præcipuo, Selandiæ præfecto, Groningo. Cæsar Norlingua profectus Noribergam, inde petit Egram proximè ad Bohemorum fines oppidum, ditionis Ferdinandicæ. Mandauerat rex Pragensibus aliquoties, vt discederent ab armis. Per eos reliqui ordines facti certiores, quarta die Aprilis illi rescribunt: quòd arma sumpserint & cum copiis progressi sint, eò fieri, vt ab se suisque finibus vim iniustam depellant, præsertim per ipsius absentiam. Rogare autem, vt ad Cæsarem intercedat, ne Saxoni bellum faciat, sed amicæ disceptationi rem permittat. Eodem tempore, delecti, qui Pragæ erant, rursus dimissis literis in omnes partes, monent ordines grauissimis verbis, vt arreptis armis quamprimùm accelerent, patriæ tuendæ causa. Nam ad extremum discrimen rem esse deductam. Sub hoc tempus, qui Tridenti erant patres, Bononiam eunt: neque post illum confessum, in quo de Sacramentis egerunt, sicut antè diximus, vlla fecerunt decreta. Discedendi causa ferebatur, quòd aer huius loci minus esset salubris, ita dictante Hieronymo Fracastorio Veronensi, qui patrum concilii medicus erat, & à Pontifice menstruos habebat aureos ad sexaginta.

*Tridentinis  
Patres  
Bononiam  
migrant.*

ta. tulit hoc indignissimè Cæsar, & suæ ditionis Episcopis atque Theologis mandabat, ne pedem illinc mouerent. itaque concilii pars Tridenti, pars altera Bononiæ fuit. Aprilis die decimo tertio, delecti Pragenfes denuò scribunt ad ordines regni, grauitèrque monèt, vt fœderi, quod sit ipsis cum domo Saxonica, satisfaciant. Queruntur etiam à nonnullis iam illud esse violatum. Itaque mandant, ne quis deinceps in illud committat: eodémque die dant literas ad Ferdinandum, & ne militiam hanc suam ægrè ferant vel ipse vel Cæsar: ad hæc, ne Saxonem electorem oppugnet, orant: primùm, propter fœdus, deinde, quòd ille de causa cognosci cupiat. Cæsar eodem die discedit Egra cum omni exercitu, comitatus Ferdinando fratre, qui grauis armaturæ equites habebat DC, Hussaros autem ad mille, & peditem signa decem. Aderant quoque Mauricius & Augustus frater cum totidem copiis. Decimo tandem die, quum continenter iuisset, prope Misenum, vbi Saxo tum erat, Aprilis die XXII. peruenit. Eo cognito, Ioannes Fridericus, oppido relicto, quum pontem publicium incendiisset, prope Mulbergum ad Al bim, castra ponit. Cæsar autem veritus, ne Wittembergam se reciperet, opere præsidioque munitum, & primarium eius ditionis oppidum, accelerandum sibi videbat. Iussis ergo



*Cæsaris in  
Saxonem  
expeditio.*

ergo progredi copiis, quum diem vnum quic-  
uissent, Aprilis die XXIII. mane venit ad  
Albim. Erant ad alteram ripam dispositæ sta-  
tiones à Saxone cum tormentis, vt Cæsarem  
impedirent, quò minus aut effecto ponte, vel  
vado reperto flumen transmitteret, tum etiã,  
vt eum pontem, quem è scaphis atque lintri-  
bus ipsi confectum habebant, defenderent.  
Quum autem adesse Cæsarem omni cum ex-  
ercitu viderent, & Hispanorum agmen vnum,  
circiter mille, magno impetu proruerent in  
flumen, sic vt brachiis tantum extarent, & con-  
fertim eiacularentur, illi flammam in scaphas  
coniciunt, quæ partim exustæ fuerunt, & à ri-  
pis paulatim discedunt. In hoc rerum statu, Sa-  
xo, qui tunc sacram concionem audiebat, præ-  
missis impedimentis, ipse postea subsequitur,  
& Wittembergam iter habet. Cæsar autem,  
qui in celeritate momentum omne positum  
esse videret, vado reperto, primùm Hussaros  
& leuiorem omnem equitatum transire flu-  
men iubet. Pòst ipse quoque cum grauiori ar-  
matura transit incolumis, neque cunctandum  
ratus, donec impedimenta simul & peditatus  
adesse, progreditur, & tribus trans Albim  
milliaribus, ad syluam Lochanam Saxonem  
offendit. Ibi suos ad virtutem cohortatus, ini-  
tium prælii facit. Poterat Saxo vim tantam  
sustinere, & fortè profligare etiam, si qui-  
dem exercitum omnem habuisset coniu-

*Prælium  
Cæsaris  
cum Saxo  
ne.*

ctum. Nam & Wittembergæ & passim erant in præsidio relictæ magnæ manus, & Gulielmus Thumsernus cum suis copiis aberat, nec in tanta celeritate Cæsaris conduci potuerunt omnes. Itaque numero victus & multitudine, cùm ad noctem vsque pugnatum esset: ipse per sinistram maxillam accepto vulnere aduerso, quum fortiter sese defenderet, capitur, & ad Albanum abductus, Cæsari deinde sistitur. In cuius aspectum ubi venit, Equidem me tibi captiuum, inquit, statuo, clemētissime Cæsar, & vt custodiam mihi ponas Principe dignam oro. Tum ille, Nunc ergo sum tibi Cæsar, ait: accipiam te pro merito. Ferdinandus paulò acrius illum adortus est verbis, & quòd ipsum atque liberos omnibus fortunis euertere tentasset, inculsat. Quo tempore Cæsar prope Misenum accessit, quod fuit Aprilis die vigesimo secundo, deinde postridie, & eo die, quo flumine transmissio pugnauit, & aliquot post diebus, solis aspectus valde fuit tristis, obscurus, pallidus, & veluti caligine quadam circumdatus, ita quidem, vt plerique longissimè à Saxonia remoti, & ignari quid ageretur, iudicarent magni aliquid portendi. Nec enim in Germania solum, sed per Galliam etiam & Britanniam id fuit obseruatum, & ita rem habere multa hominum millia testificari possunt.

*Prodigium  
in sole.*

Capto Saxone Cæsar Wittembergam petit,



eoque cum exercitu Maii die quarta perue-  
 nit, & triduo post Ioannem Fridericum ob  
 rebellionem, vt ait, capitis damnat. Ille verò  
 quum audisset, animi consternati significatio-  
 nem nullam dedit, sed existimare se respòdit,  
 Cæsarem non ita secum esse acturum. Verun-  
 tamen si fixum hoc ei sit atque decretum, pe-  
 tere vt certò sibi renuntietur, quò de rebus ad  
 uxorem atque liberos pertinentibus consti-  
 tuat. Brandenburgicus autem elector, vbi de fa-  
 cto prælio cognouit, statim iter arripit, & ad  
 Maii diem sextum in castra venit, & Cæsaris  
 animum mitigat, vt Saxone conseruato sen-  
 tentiam mutaret. Conditions ergo Cæsar  
 proponit, quas vbi Saxo ratas habuit Maii die  
 decimo octauo, vitam redemit. Inter alias  
 hæc etiam præscripta fuerat, vt quicquid Cõ-  
 cilium aut Cæsar de religione decernerent, ap-  
 probaret. Quum autem ille minimè assentire-  
 tur, in eoque permaneret, nec illius periculi ra-  
 tionem in eo haberet: Cæsar eam particulam  
 induci iussit & obliterari. Antequam hæc cõ-  
 stituerentur, Cæsar è castris ante Wittember-  
 gam sexta die Maii conscribit ordines Impe-  
 rii, vt sub idus Iunii Vlmæ conueniant fœde-  
 ris ineundi causa. Et si cum Saxone Cæsar  
 transegerat, vti diximus, tamen qui Wit-  
 tembergum defendebant milites præfidiarii,  
 ad tria circiter millia, & ciues etiam recusa-  
 bant facere deditionem, nisi Princeps ipse

*Electoꝝ  
 Saxonie  
 capitis dæ  
 natuꝝ à  
 Cæsare.*

mandaret. Oppidanos enim terrebat impi-  
mis licētia militaris, quum ex ipsis propè mœ-  
nibus atque vallis conspicerent, quantum dam-  
ni darent per agros Hispani præsertim & Vn-  
gari. Saxo igitur Maii die vigesimo primo,  
quum frater & filius & consiliarii quidam pro-  
dissent ex oppido, militiæ sacramentum eis  
remitit, & vt ante diem tertium illinc disce-  
dant, iubet. Facta deditioe, Saxonis vxor Si-  
billa Cliuensis, egressa cum filio & fratre ma-  
riti venit in castra, & supplex facta, Cæsarem  
multis cum lachrymis deprecatur pro coniu-  
ge. Cæsar eam perhumaniter accipit & confir-  
mat, deinde Saxoni permittit, vt oppidum  
ingressus per dies octo cum vxore & liberis cō-  
moretur. De Erico Brunsvicensi diximus  
antea. Is, vt agrum suum ab iniuria defende-  
ret, Maii die XXII. discedit ab obsidione Bre-  
mæ: idē facit Vrisbergerus, qui alteram exer-  
citus partem ducebat, & inter eos de loco con-  
uenit, vbi suas copias iterum coniūgerent. Eri-  
cus autem incidit in hostem. Hi erant Ham-  
burgenses, qui Bremensibus auxilio venerant. Pu-  
gnatum est acriter in ipsam vsque noctem, &  
Ericus tandem profligatus, ac in Visurgim flu-  
men compulsus cum equitatu, multos è suis  
desiderauit. Ipse tamen tormentis omni-  
bus amissis euasit incolumis, & pōst ad Cæ-  
sarem profectus, culpam omnem in Vrisberge-  
rum contuli, qui sibi non tulisset opem.  
Dum



Dum hæc geruntur, Mauricius & Brandeburgicus pro Lantgrauio diligenter intercedunt: & quò commodius res ageretur, Lipsiam illum euocant: sed quum Cæsar omnino uellet ut absque conditione sese dederet, arces etiam omneis atque tormenta traderet, infecta re domū redit, eoque die Weisfelsum vsque proficiscitur, quatuor à Lipsia milliaribus. Sexta die Iunii Cæsar iam moturus castra, milites præfidiarios Wittemberga rursus euocat: confestim Mauricius suos immittit, & quum eodem die consules atque senatum vocasset in arcem, de priuilegiis ipsorum atque liberate nihil se uelle diminuere dicit, ac simul in suam fidem illos per iusiurandum adigit. Est enim Wittemberga septemuiralis ditionis oppidum primarium, quæ Cæsar Mauriciū nuper donauerat, publicatis Ioannis Friderici bonis, uti diximus. Oppidani post & nobilitas orant Mauriciū, uti scholam in hoc tumultu bellico dilapsam restauret. Cæsar deinde rebus ad Wittembergam constitutis, Halam Saxonix proficiscitur, quod est ad Salam flumen oppidū, inde petiturus Hefsiam, nisi Lantgrauius transigeret. Quum autē in his esset angustiis Lantgrauius, nec aliter posset, Mauricii fidē atque Brandenburgici secutus, iter ingreditur, & decimo octauo die Iunii Halam venit sub uesperum, medius inter Mauriciū & Brandeburgicū, qui obuiam ei Numburgū vsque processerūt.

Postero die mane, Christophorus Carlebi-  
 cius ad Lantgrauium veniens, pacis formulam  
 exhibet, vti subscribat. In ea fuit additū, Cæ-  
 sari esse interpretari singula eius capita. Lant-  
 grauius ergo, quoniam id in illa, quam Brande-  
 burgicus & Mauricius antè miserāt, perscriptū  
 non erat, Episcopo Atrebatensi renuntiat,  
 non sibi esse integrum subscribere. Is per scri-  
 bam esse neglectum ait, & rursus idem vrget.  
 Sic ille morem gerit. Amplius deinde petit A-  
 trebatensis, quia de religione sibi velit caueri,  
 sicut Mauricio cautum sit atque Brandeburgi-  
 co, vt ipse vicissim caueat, & Cæsari promittat  
 velle parere concilii Tridentini decretis. Tan-  
 dem in hæc verba subscribit Lantgrauius, Libe-  
 ri, pii & generalis concilii decretis: quo quidē  
 in cōcilio non minus reformetur caput quàm  
 reliqua membra, velle se parere, sicut Mauri-  
 cius & Brandeburgicus facerent. Hi enim ab  
 Augustana confessione non se discessuros, ei  
 promiserant. Eo facto, sub horam quintam  
 post meridiem, vbi Cæsar in solio domi suæ  
 cōsedit, Electores duo, quos dixi, Lantgrauiu  
 adducunt, qui quum ad Cæsarem propius ve-  
 nisset, in genua subsedit, & proximè illū Can-  
 cellarius Guntherodus, qui de scripto recitās,  
 veniam illius nomine petebat à Cæsare. Cæ-  
 sar ad ea, per Georgium Seldum, vbi delibe-  
 rasset: & si grauiissimam pœnam sit meritis, vt  
 & publicè constet, & ipse fateatur, se tamen ait  
 &

Lantgra-  
 uius Cæsa-  
 ri sit sup-  
 plex.



& pro sua liberalitate, & quoniam Principes aliquot intercesserint, non recusare quin & à proscriptione liberetur, & neque supplicio, quod sit commertus, neque carcere perpetuo, neque bonis etiam mulctetur amplius quàm sit in formula pacis definitum: ipsis etiam nobilitati atque populo sese ignoscere, modò pacta seruent, & suum hoc tantum beneficium deinceps agnoscant. Huius actionis erant spectatores. Lantgravius, qui salua putaret omnia, Cæsari gratias agit, & cùm diutius eum Cæsar indere genibus pateretur, iniussus cõsurgit. Pòst aliquanto Brandenburgicus accedit, & ipsum atque Mauricium vna secum apud Albanū duces esse cœnatuos dicit. Ille ne tum quidem aliquid odorari potuit. Quum ad Albanū venissent, cœnatur: à cœna Mauricius & Brandenburgicus cum Albano & Atrebatēsi colloquuntur: interim fallendi temporis causa Lantgravius ludit alea. Multa iam nocte Mauricius & Brandenburgicus illum ad se vocant, & per Eustachium Schlebium ostēdunt se per omnem vitam, vt viros Principes deceat, egisse fideliter, & si quid essent pollitici, seruasse diligenter: eandem fidem ab aliis etiam expectasse: nunc verò ducem Albanum & Atrebatensem dicere, ipsi pernoctandum ibi esse, custodibus admotis. Ea re nihil vnquam sibi grauius accidisse nec acerbius: velle autem cum ipso Cæsare colloqui, & sperare non detētum iri. Tum

*Lantgrauius  
quasi fera  
in scius  
in casses cõ  
pellitur.*

*Lantgrauius  
captiuitas.*

illi, se quiduis potius expectasse, quàm vt id fieret: ipsorum fidē secutū eò venisse. Scire ipsos, quomodo sibi liberūque deuincti sunt. Satisfaciat igitur ei promisso & obligationi. Cùm verò manendum esset, Mauricius & ex Brandenburgici consiliariis nonnulli cum eo per noctē illam cōmorantur. Postridie Cæsarem adeunt, & grauem habent querimoniam: & quanti ex estimationis ipsorum interfit, demonstrant. Cæsar, cauisse quidem illi dicit, non quòd omnino non esset detinendus, sed quòd non perpetuò, nec aliud suæ fuisse voluntatis, ostendit. Lantgrauius quòd libertatem quamprimum recuperaret, pecuniam non multò pòst omnem dependit, arces demolitur, & machinas tradit. Porrò tormentorum, quę partim ab illo, partim à Saxone & Wirtembergico & à ciuitatibus est consecutus Cæsar, ingens erat numerus, & vt aiunt, ad quingenta. Quorum deinde nonnulla Mediolanū, alia Neapolim, alia in Hispaniā misit, reliqua per Belgium distribuit, tanquā victorię trophæa & monumēta. Cæsar constituerat bellum facere Magdeburgicis, qui sunt infra Wittembergam, Ad Albim iter bidui. Nam hi propè soli minus ei satisfaciebant: sed in hoc ipso tempore Gallię rex Henricus militem in Germania conducit per Sebastianum Vogelsbergium, ad signa decem. Id erat Cæsari suspectum. Ita-  
que



que tum propter hanc causam, vti creditur, tum quòd illos alia via posse coerceri putaret, Hala profectus, iter suum in Germaniam superiorem conuertit, & Iunii die vigesimo septimo Marchionem Marignanum Ferdinando fratri mittit auxilio cum signis octo peditum Germanorum. Erat tum Ferdinandus Letmericæ: occasionem expectans rei gerendæ. Quumque de successu Cæsaris audisset, & capto Lantgrauio, calendis Iulii missis literis ad Pragenses, mandat, vt ad sextum Iulii diem sibi præsto sint in arce Pragensi, seseque cognitioni fiant. Posteaquam eò venit cum copiis, in publico cõfessu rem omnem antea factam, & quomodis in ipsum deliquissent, exponit, & læsæ maiestatis crimen admisisse dicit, & vt ad singula respondeant, iubet. Ibi tum illi facti supplices, ipsius voluntati sese permittunt, & ne iure secum experiatur, flagitant. Itaque Rex, quum & Ferdinandus filius & Augustus Mauricii frater & alii quidam proceres intercederent, quas voluit eis condiciones decima die Iulii proposuit. Ad populum re delata, quum ex captiuis ad quinquaginta dimisisset, transactum est. Dum in Germania Cæsar triumphat, grauis orta fuit Neapoli seditio: cuius hæc erat causa, quòd prorex Petrus Toletanus, pro more Hispaniæ vellet de cuiusque fide & religione inquirere. Tulerunt hoc impatienter ciues, alioquin etiam pertæsi Hispanorum imperium, & post multas vtrinque laue nas in vrbe,

*Ferdinandus cum copiis Pragã venit.*

*Bohemi à Ferdinando domiti.*

*Seditio Neapoli ob inquisitionem Hispanicam.*

Hispani superiores extiterunt, vt qui propugnacula teneant & arces. Itaque multatatis aliquot, reliqui iubentur exulare. Cæterum inquisitio Hispanica, quæ tam est hodie celebris, instituta fuit olim in locis à Ferdinando & Elisabetha Regibus in Iudæos, qui post Baptismum suos ritus atque leges retinerent. Nunc autem, quando Lutheri nomen est inuulgatum, in omnes promiscuè, qui vel minimum suspecti sunt, exercetur, & asperè quidè atque subitò. Cæsar Hala digressus Bambergam venit, vt in ea propinquitate magis terret Bohemos, & fratri tanquam neruos adderet. Hic quum esset, tertia Iulii die conuētum denuntiat Imperii, & vt ad calendas Septēbris Augustæ conueniant omnes. Hoc ipso tempore Mauricius Melächthonem, Pomeranum, Crucigerum, theologos Wittēbergicos, per humaniter accipit Lipsiæ, quò illos euocauerat, & de sua in religionem voluntate multa locutus, Ecclesiæ simul & scholæ ministerium illis commēdat: & vt pro sua consuetudine pergant, hortatur, & stipendia constituit, & vt ipsimet scribunt, donis ornatos dimittit. Nam edito post libello, Pomeranus hanc illius humanitatem & munificentiam prædicat. Galliæ Rex, qui calendis Aprilis parenti successerat, Iulii die XXV. post meridiè, ad urbem Rhemorum venit, inaugurationis causa. Interea Cæsar reliquos Imperii ordines pecuniam poscit,

Mauricius  
theolog.  
Wittēb.  
liberaliter  
excipit.



scit ob sumptus belli, quòd ipsorum causa potissimum, & pro salute Germaniæ susceptum esse dicebat. Nobilitas etiam omnis, & ii qui Smalcaldicis militauerant, tota passim Germania mulctantur. Eius verò pecuniæ, quam à Principibus atque ciuitatibus tum pontificiis tum Lutheranis consecutus est Cæsar, summa censetur supra decies sexies centena aureorū millia, vt quidem ex rationibus editis apparet. Magdeburgicos etiam Cæsar euulgatis litteris proferibit. Sed & Ferdinandus rex, propter suis finibus illatum bellum, à Smalcaldicis, præsertim à ciuitatibus, pecuniam exigit, & ab Augustanis quidem ac Ulmensibus ingentem summam consequitur: deinde Ulricho Wirtembergico, quasi fidem & superiorum annorum pacta violasset, litem de tota prouincia facit. Heluetios quoque Cæsar de nouo foedere sollicitat. Basileam tamen & Tigurum & Schafusium & quosdam alios eximit, quòd ad Imperium eos pertinere diceret. Illi de communi consilio respondēt, cum Austria cūque Burgundica domo, sibi foedus esse, cui firmiter insistant: nec esse quòd aliam societatem ineant. Idem se vicissim ab ipso etiam expectare. Sub finem Iulii mensis, Augustam Cæsar venit cum Saxone captiuo. Lantgrauium verò Donauerdæ reliquit, custodibus Hispanis, qui multa quotidie in eius contemptum atque ludibrium faciebant. Armata

*Magdebur  
gici profcri  
pti.*

*Heluetios  
de foedere  
Cæsar so  
licitat:*

fuerunt hæc comitia. Gerardus Veltuichus, qui ad Turcam ierat, Augusti mensis die XII. redit ad Cæsarem, pactis induciis in annos quinque. Augustam Cæsar ubi venit, primum templum & alia quædam sibi sumit: reliqua Senatui permittit atque populo. Sacrifici verò priusquam aliud in suis templis agerent, adhibitis ceremoniis, illa, tanquam Lutheranismum polluta, repurgant & expiant. Cùm autem in ipsorum templis magna esset ciuium solitudo, Põtificij passim oblata pecunia, teniores, vt interesse vellent, sollicitasse dicuntur. Huius mensis die decimo, Petrus Aloisius Pauli tertij filius, Placentiæ domi suæ conditur, & paulò post Ferdinãdus Gonzaga, Cæsaris per Insubriam præfectus, urbem occupat. Impium & sceleratum imprimis hominem fuisse Petrum Aloisium, fatentur omnes: & extat Italorum libelli, qui nefarias illius libidines enumerat, in quibus hoc est omnium imprimis memorabile, quod Cosmum Cheriũ, Episcopum Fanesem, per vim stuprasset dicitur, vsus opera suorum, qui illum distinerent. Quod quidem facinus misero illi sic doluisse ferunt, vt præmœore & indignitate rei postea sit extinctus. Quomodo concilij patres Trideto relicto Bononiã migrarint, supra diximus: illud verò Cæsaris grauiusimè tulit, & iã cùm Augustam venisset, author Senatui Principum fuit, vt de eo Pontificem interpellarent. His etiã diebus Angli ma

ximo

*Petrus Aloisius Pauli filius Placentiæ trucidatus*

*Anglorum in Scotos victoria.*



ximo prælio Scotos deuincūt, ductore Somer-  
seto Regis auūculo. Belli causa fuit eadē, quæ  
prius Henrico rege, nēpe q̄ Scoti pactā Eduar-  
do regi sponsam non darent. Post eā victoriā  
Angli progressi multa per Scotiam occupant,  
& suos fines longinquē proferunt. In Augu-  
stano conuentu non idem sentiebant omnes.  
Nam è septemuiris, qui sunt Ecclesiastici con-  
ciliū Tridentinū vrgebāt sine omni conditio-  
ne. Palatinus autem & Mauricius & Brande-  
burgenses legati non illud recusabant, modò  
liberū esset atque pium, in quo Pontifex mini-  
mè præsideat, & Episcopis remittat iusiuran-  
dum, & ipsorū quoque theologi decidendi fa-  
cultatē habeant, & decreta iā facta retractētur.  
Cæteri verò Principes ac ordines instabant, vt  
cōciliū cōtinuetur, vt Protestātes accepta fide  
publica audiātur, & decretis parere cogantur.  
Eorū omniū sententiis cognitis, Cæsar Octo-  
bris die decimo octauo respōdet, & vt omnes  
cōcilio se submittant petit, & cū Palatino atq;  
Mauricio priuatim agit, vt assētiātur. Et Pala-  
tinus quidē territatus fuit etiā, nisi morē ge-  
reret, ob recentem anni superioris offensionē,  
vti dixim⁹, cūm vix ea cicatrix coaluisset. Mau-  
ricius qui & focerum Lantgrauium cuperet  
liberari, & nuper admodum esset auctus à  
Cæsare, faciendū aliquid sibi videbat. Cæsar  
ergo mox Cardinalē Tridentinū, initio No-  
uembri Romam celeriter mittit, vt Pōtificē  
de synodo reuocāda Tridentū interpellaret.

*Protestā.  
ille est aut  
terris.*

*Licera pro  
Lantg. in  
Cæsarem.*

Nouembri mense, vxor Lantgrauii Christi-  
na, & filii, & delecti quidam consiliarii, mis-  
litteris ad omnes Principes ac ordines Impe-  
rii, qua ratione sit ille captus, quum fide publi-  
ca venisset Halam, exponunt: & quia condi-  
tiones omnes à Cæsare præscriptæ, quæ qui-  
dem præstari iam possint atque debeant,  
sint impletæ, magno se cum animi dolore &  
cruciatu hanc illius tam indignam sortem  
& captiuitatem aspiceret. Quapropter ora-  
re vehementer, intercedant apud Cæsarem,  
& omne studium eò conuertant, vt quam-  
primum libertati restitutus, domum redeat. Nam  
si diutius detineatur, futurum id ipsius maxi-  
mo cum valetudinis detrimento. Rei verò con-  
ficiendæ causa Lantgrauii coniunx venit Au-  
gustam, & ipsa tum per Mauricium & Bran-  
deburgicum sollicitat Principes, vt interue-  
niant. Sub exitum Nouëbris, Petrus Martyr  
Florentinus, Argentorato, vbi iam per annos  
quinque magna cum laude docuerat, permit-  
tente Senatu, proficiscitur in Angliam, voca-  
tus ab Archiepiscopo Cantuariensi, de volun-  
tate Regis, & sacris litteris interpretandis  
Oxonix præficitur. Erat ei socius itineris Ber-  
nardinus Ochinus Senensis: qui cum summæ  
fuisset apud Italos authoritatis ob eloquen-  
tiam & opinionem virtutis, relicto vitæ gene-  
re monastico, ad puriorem doctrinam sese cõ-  
uerterat. Cardinalis Tridentinus nona die

*Pet. Mar-  
tyr in An-  
glia nauig-  
at.*

*Bernardus  
Ochinus.*

De



Decembris, in frequentissimo Senatu cardinalium præsente Pontifice rem proponit, vt erat iustus. Quinto post die, quàm Tridentinus orasset, Iacobus Mendoza Cæsaris mādātū eodem in auditorio loquitur in eandem sententiam: & si vel dilationem vel excusationem aliquam Pontifex interponeret, in mandatis habere se dicit, vt cæterorum Regum atque Principum legis adhibitis, palām de vitio synodi profiteatur. Hoc ipso die, qui Decembris erat dies decimusquartus, Rhemorū archiepiscopus, quem ætate superiori Cardinalem esse creatum diximus, Galliæ regis nomine Romam profectus, ad Pontificem atque Cardinales orationem habet. Galliæ rex, quod interfecto Petro Aloisio Pontificis animū esse vehementer exulceratum sciret, & propter translātum Tridento concilium, offensionem augeri videret, tempus hoc idoneū esse iudicabat, quo suū ad vsum atque compendium istud traduceret. Pontifex vbi postulata Tridentini & Médozæ cognouit, velle se dicit cum patribus qui Bononiæ sint deliberare, & ad cæteros etiam orbis Christiani principes rem deferre. Montanus legatus re in consilium adducta Pontifici rescribit, Patres ergo non videre, quomodo salua dignitate & existimatione synodi de reditu deliberari possit: nisi qui sunt Tridenti Bononiam prius accedant, & sese reliquis coniungant, & concilii

*Rhemorum archiepiscopi ad Pontificē oratio.*

*Cautiones  
quibus pa-  
tres pacifi-  
volunt.*

potestatem agnoscant. Deinde opus esse, vt pa-  
tribus antè caueatur, fore videlicet, vt conci-  
lio sese Germania submittat, eiusque decreta  
comprobet, quæ vel iam facta sunt, vel in po-  
sterum fient, sic vt à nullo retractentur. Ad  
hæc quia rumor increbuit, populare futurum  
esse concilium, cupere sibi patres hoc etiam  
nomine prius cauere. Quum ergo Ponti-  
fex & Bononiæ congregata synodus in senten-  
tia peristerent: Cæsaris legati Bononiam ea  
de causa missi, Franciscus Vargas & Marti-  
nus Velasceus, Ianuarii decimo die sexto, cum  
Senatum sibi dari postulassent, veniunt in  
confessum. Aderat Cardinalis Montanus  
& circiter quadragintaquatuor, tam Episco-  
pi. quàm eius ordinis alii proceres. Ibi Vargas  
diploma, quo potestatem ei Cæsar agendi fa-  
ciebat & collega, quum nuper illud exhibuis-  
set repetit, & verba facturus interpellatur à  
præsede concilii cardinali Montano. Iis in li-  
teris atque diplomate Cæsar non concilium,  
sed conuentum Bononiensem vocat. Quum  
deinde Vargas mandati literas palàm recitaf-  
set, ipsius collega protestationis formulam le-  
git, & in acta referri petit. Ibi cardinalis Mon-  
tanus de voluntate patrum grauitè locutus,  
iniuriam sibi fieri demonstrat, & Deum testi-  
ficatur, seque paratos esse dicit mortem oppe-  
tere potius, quàm pati tale exemplum in Ec-  
clesiam introduci, vt videlicet Magistratus ci-  
uilis pro suo arbitratu concilium cogat. Cæ-



sarem esse quidem Ecclesie filium, sed non Dominum aut Magistrum: se vero, suosque collegas esse Romanæ sedis legatos, neque iam recusare, quod minus & Deo primum & deinde Pontifici tuæ legationis rationem reddant. Quod reliquum est, fore ut paucos intra dies ipsorum protestationi respondeatur. In eandem sententiam eodem ferè tempore Mendoza, cum à Cæsare venissent literæ, quibus mandabat, uti peigeret, Romæ contestatus est ad Pontificem atque Cardinales, exterorum Regum atque Principum adhibitis legatis, uti iussus erat.

## LIBER VIGESIMVS.

Superioribus libris ostendimus, quemadmodum Albertus Brandeburgicus in Poloniæ regis fidem sese dedit, & Prusicæ Reipublicæ formam mutauit, & à Camera sit scriptus: deinde quo modo Polonus in comitiis Imperii Cæsaris & reliquos ordines non semel sollicitari: ut, quomodo ille in sua esset chetela, proscriptione aboleret. Cum autem in hunc usque diem nihil impetratum esset, & in hac Cæsaris victoria periculum aliquod grauius impedere videretur, Polonus hunc ad conueniunt legationem mittit, cuius erat princeps Stanislaus Latus. Is oratione scripta comprehensa, Cæsari & senatui Principum Ian. mē

M. D.

XLVI: I

se tradit, eius hæc erat sententia. Certum esse Prusiam, post hominum memoriam, & inde ab eo tempore, quo religione Christi primum ibi fuerunt, & iure belli & pacationibus ad Poloniam pertinuisse.

Cæsar vbi de postulatis cognouit, ad ordines Imperii refert, & Wolfgango Prusiæ magistro dat orationis exemplum. Is Ianuarii die vigesimotertio lingua populari respondet.

Poloniæ legatus aduersarium quidem scriptum parauit, sed non exhibuit: nam vtriusque rationibus auditis, delecti fuerunt ex omni numero qui cognoscerent. Horum summa deliberationis erat, sententiam in Albertum pronuntiatam esse tuendam: sed tamen, quoniam executionis permagnam esse difficultatem videbant, ad Cæsare omnia reiciūt. Sigismundus rex aliquantò post mortem obit, ætate grauis, quum regnasset annos XLII. patre fuit natus Casimiro, sicut dictum est. Fratres habuit treis. ex iis Ladislaus Vngariæ rex fuit atque Bohemiæ, pater Ludouici regis & Annæ: Ioannes Albertus & Alexander, quum ordine regnassent à patre Casimiro, non relictis liberis ad natu minimum fratrem Sigismundum rei summam transmiserunt. Huic successit eiusdem nominis filius, Ferdinandi Romanorum regis gener. De Mendoza diximus libro superiori, quemadmodum Romæ sit de concilio protestatus. Ad hæc Pontifex calendis deinde Februarii coacto senatu Cardinalium illi respondit. Cardinalis Tridentinus iam antè redierat Augustã, vt diximus. Cùm ergo Cæsar eius audito sermone, & Mendozæ quoque literis acceptis Romæ datis ad exitū

Decem-

*Sigism.  
Poloniæ  
reg. mors.*

*Pontif. ad  
legatum  
Cæsa. resp.*



Decembris, concilii spem exiguam esse videret, XIII. Ianuarii die rem ad ordines defert, & quomodo res se habeat exponit, seque legato suo Mendozæ nuntiasse dicit, vt de concilii translatione Romæ cõtestetur. Id vbi factum erit, se daturum ipsis exemplum, vt exscribãt. Petere igitur, vt omni deposito affectu, cogitent quanti & reipublicæ & cuiusque priuatum inter sit, aliquam fieri conciliationem.

Delecti sunt igitur nonnulli, qui rē agerent: sed quum inter hos minimè conueniret, Cæsari causa tota permittitur. Itaque negotium fuit datum nonnullis, vt & doctrinæ & ceremoniarum & emédationis ecclesiasticæ capita conscriberent. Hi erant Iulius Pflugius Episcopus Numburgicus, Michael Sidonius, Ioannes Illebius Agricola, qui ante annos duodeuiginti Saxonice doctrinæ confessionem vnã cum Melanchthone & Brëtio defenderat, si-

*Authores  
libri Inter-  
rim.  
Illebius A-  
gricola  
perfuga ab  
Euangelio*

cut libro septimo diximus. Hi ergo de dogmatis librum conscribunt: sed admodum arcanè, & quum diu multumq; tractassent, & crebrò sub incudem reuocassent, Cæsari demùm exhibent, vt postea dicemus. Elector Brandeburgicus Ioachimus, qui conciliationi valde studebat, cõmunicato concilio cum Iacobo Sturmio, & datis ad senatum Argentinensem literis, orabat, vti religionis gratia Bucerum admitterent: nam detrectante concilio Pontifice, Cæsarem aliam instituisse rationem:

*Bucerus  
Argentora  
to missus.*

*Anglorum  
ad Scotos  
scriptum.*

*Persecutio  
in Gallia.*

& magnam esse spem emendationis. Mittitur itaque Bucerus, qui sub exitum Ianuarii silentio profectus, non procul ab Augusta substitit, donec princeps accerleret. Quomodo Britanni maximo prælio Scotos deuicerint, libro superiori diximus: quum autem de proposito nihil Scoti remitterent, & Gallia regis pollicitationibus niterentur, Angliæ protector Somersetus, & reliqui consilarii scripto valde prolixo, quinta die Februarii, ad pacem illos hortantur. Hoc tempore per Galliam, imprimis verò Lutecia, propter Lutheranismum rursus excitantur incendia & persecutiones, quum interim in Anglia de Missa pontificia prorsus abroganda deliberaretur. Mauricio Cæsari honorem septemuiratus, & Ioannis Friderici prouinciæ maximam partem iam antè, sicut diximus, attribuerat in castris ante Wittembergam: sed hoc in conuentu publica & solenni ceremonia, tanquam in possessionem illum mittit, & in suam Imperiique fidem accipit, quod tum ei promiserat. Fuit hoc Februarii die vigesimo quarto, qui quidem dies est Cæsari natalis. Hæc omnia poterat Ioannes Fridericus, ex ædibus ubi diuersabatur, spectare: & quidem spectauit. nã erât in eodè foro. Bucer<sup>o</sup>, de quo diximus antè, vocatus demũ Augustã venit, & ad Electorẽ Brandeburgicũ diuertit. Iã confect<sup>o</sup> erat ille, quẽ suprà dixim<sup>o</sup> institutũ fuisse, de religione liber. Eum, sic vt erat scriptus,



Bucero tradit Brandeburgicus, & vti subscribat, petit. Ille, quum euoluisset, quod pontificiam doctrinam in eo constitui videret, non se posse probare dicit. Tulit hoc iniquè Brandeburgicus, & grauius ei succensuit, & effectum moderatum iudicabat. Sic enim ei persuaserat Illebius. Urgebat quoque Bucero Granuellanus per interuentos, & si probaret, amplissima dona promittebat: quum autem sollicitationibus nihil efficeret, coepit comminari. Sic ille non absque discrimine domum reuertit. Nam per agrum Wirtembergicum erant passim Hispanorum praesidia. His etiam diebus Augustam venit rex Tunetae Muleafes, quem Caesar ante annum decimum tertium regno restituerat, eiectione Barbarossa, sicut libro nono diximus. Hunc filius natus maximus exoculauerat, occupato regno. Profugus igitur & miser ad Caesarem ex Africa sese contulit: neque multo post eodem venit etiam alter filius.

Liber ille de religione conscriptus, non semel enim, vt antea dictum est, sub incudem reuocatus fuerat, Bucero fuit exhibitus aliquantulum prior. Quum ergo diu multumque iactatus esset inter ordines priuatim, Romam quoque mittitur. Nam etsi totus ferè papismus in eo stabilitus: tamen, quod aduersariis essent concessa nonnulla, Pontificem prius esse consulendum placuit. Is deinde Caesari per cardinalem Sfondratum has animaduersiones aper-

*Brandeburgicus succenset Bucero.*

*Rex Tunetae Augustam venit*

rit. Vt presbyter ordinatus ducat vxorem, & sacrum officium administret, esse inauditum. Cōsuetudinē illam sumendi Cœnam Domini sub vtraque specie, esse abrogatam, & in his duobus indulgendi facultatem nulli competere, præterquam Pontifici Romano & Concilio: religionis antiquę sectatores non esse his dogmatis alligandos. Verùm, si qui Lutherani velint ab incepto desistere, non esse repudiandos. Illud de duabus misis intelligi debere solùm de Lutheranis: psalmodia oportere vbique restitui: diebus festis celebrandam esse cuiusque Ecclesię patroni memoriam: iis, qui iam sūt sacerdotes, aut postea fient, abstinendum esse à coniugio: sacrorum bonorum & iurisdictionis oportere fieri promptam restitutionem: cōstare enim de spolio, nec vtendum in eo forma iuris ordinaria, sed de plano cognoscendum, & manu regia conficiendum esse negocium. Cæsar igitur idibus Maii conuocat omnes ordines, & de sua in Germaniam charitate præfatus, librum recitari iubet. Ibi Moguntinus, qui primum inter Electores locum obtinet, non exquisitis ordinum sententiis, consurgit, ac veluti publico nomine, Cæsari pro tanto labore, studio, cura, diligentia, charitate patrię, maximas agit gratias: & quoniam antehac ipsius fidei rem permiserint, ac nunc in eo sit elaboratum, æquum esse dicit, vt gratissimis animis hoc ipsum agnoscant, & decreto pareant. Hanc gratiarum

*Moguntini  
ars in ap-  
probando  
Interim.*



tiarum actionem Cæsar habuit pro communi  
 assensu & approbatione, nec ullam p̄st excu-  
 sationem admisit, vt postea dicemus: & librum  
 typis euulgari iubet, Latino simul & populari  
 sermone. Interea Ferdinandi filius Maximilianus,  
 Augusta profectus, in Hispaniam con-  
 tendit, vt natu maiorem Cæsar's filiam Ma-  
 riam, cōsobrinam suam, in matrimonium du-  
 cat. Mauricius non multò post editum à Cæsa-  
 re decretum, abit. Ioannes verò Brandeburgi-  
 cus, Electoris Ioachimi frater, Cæsarem adit,  
 & Ferdinando rege præsentē, petit, vt in eo si-  
 bi parcat, & de suis in ipsum officiis quædam  
 locutus, hac potissimùm fiducia se militasse i-  
 psi proximo bello dicit, quòd de religione sibi  
 cauisset. Cæsar, ordinum Imperii consensum  
 hunc esse, nec ab eo recedi oportere dicebat.  
 Ille contrà, non omneis assensisse, neque se bo-  
 na consciētia decretum hoc laudare posse res-  
 pondit, & pactum atque promissum vrgebat.  
 Wolfgangum Bipontinum principem ex fami-  
 lia Palatina, qui legatos ibi habebat, Cæsar iu-  
 bet ipsum adesse. Cūque venisset, instat vt ra-  
 tum habeat decretum. Ille religionem nullam  
 aliam se nouisse dicit, præter eam in qua sit na-  
 tus, & ad hoc vsque tempus educatus. Itaque  
 vt sui rationem habeat petit, & se facturum in  
 eo dicit, quantum omninò possit salua con-  
 scientia. Halæ Sueuorum erat Ioannes Bren-  
 tius. Hic & ante annum secundum in magno

*Brandeburgicus  
 Interim  
 non admittit.*

fuerat discrimine, quum Smalcaldicis domum reuersis, Halam Cæsar aduentaret: & nunc in multo versabatur maiori. Tunc enim, paulò antè quàm Cæsar accederet, quidam Hispani satellites, cùm in oppidum venissent, ad illius ædes rectà contendunt, & intromitti postulant, alioqui minatur atrocia. Postridie verò, quidam ex optimatibus, Hispanus, ordinis Ecclesiastici, pulsus illis, domum totam occupat, & ingressus bibliothecam, omnia perquirat. Ibi cum literas aliquot reperisset amicorum, datas ad Brentium, & familiariter scriptas de communium temporum perturbatione, magnam ei conatur inuidiam conflare, cùm eas apud suos diuulgasset. Amicorum igitur secutus ille consilium, intempesta rigidâque nocte diuertit in viciniam, ne sua præsentia ciuibus incommodaret. Vbi verò Cæsar Halam venisset, & clementer ageret, neque propter doctrinæ genus ibi celebratum offensionis vllam daret significationem, Brentius eò demùm reuertit, suâque functionem obiit, ad hoc vsque tempus, quando de religione factum decretum Cæsar ab omnibus recipi volebat. Iussus enim ille, sicut alii plerique per Germaniam, viri docti, quid eo de libello sentiret, explicare: licet periculum suum intelligeret, tamen, vt Ecclesiæ suum præstaret officium, à sacris literis illud dissentire pronuntiat, idque scripto demonstrat. Quod cùm in Pontificiorum manus venis-

*Brentii  
candor &  
pietas.*



venisset, legatis Halensibus mandat Granuel-  
lanus, nomine Cæsaris, ut quidem aiebat, da-  
rent operam, ut Augustam ille pertraheretur  
vinctus. Admonitus autem ab amicis, in vici-  
num agrum secedit: neque multò post Halam  
venit Hispanorum turma. Porro, Sueviæ civi-  
tates pleræque omnes, auctoritatem secutæ  
Cæsaris, imperata se facturas promittebant.  
Itaque doctores passim multis ex locis migra-  
bant, ne quid sua professione committerent  
indignum. Andreas Osiander Noribergam  
ideò reliquit, inque Prusiam sese recepit. Spi-  
ræ & Wormaciæ singuli tantùm erant, qui &  
ipsi fuga salutem petebant. Gulielmus Comes  
Nassouius Erasmus Sarcerium idcirco disce-  
dere patiebatur. Wirtembergicus etiam prin-  
ceps, cuius in agro passim erant Hispanorum  
præsidia, sicut dictum est, quum à Cæsare man-  
datum venisset, librum iam editum pro con-  
dione recitari iubet, & ne quis contrà faciat, e-  
dicit, & si quis in posterum misificare velit,  
potestatem facit, & suis, ne quem sacrificium  
prohibeant, mandat, & Ecclesiæ ministros,  
non approbantes decretum, ab se dimit-  
tit. In his erat Erardus Schneffius. Per Gran-  
uellanum & Atrebatensem Episcopum Cæ-  
sar Saxonix ducem captivum urgebat, ut  
decreto pareret, & editi libri doctrinam  
sequeretur. Et quanquam pollicitationibus  
animum eius tentabant, & spem aliquam  
libertatis ostendebant, constans ille tamen

*Doctores  
pii solam  
vertunt.*

*Wirtem-  
bergii pu-  
sillanimi-  
tas.*

*Saxonia  
ducis capti  
ui cōstitia  
in Dei  
verbo.*

in sententia permanfit, & superiori, inquit anno, quando conditiones mihi Cæsar tulit, hæc etiam perscripta fuit, vt & ipsius & consilii de religione decreta futura probaré. Cùm autem intelligeret, me nulli<sup>o</sup> periculi terrore vel metu posse induci, vt assentire, conditionem illam remisit, neque de religione quicquam deinde mecum egit. Quod maximi certè beneficii loco tunc habui, & hoc velut onere grauissimo subleuatus, reliquas omnes conditiones, quibus de mea persona, deque fortunis omnibus pro suo arbitratu Cæsar statuebat, ed facilius & æquiori animo tuli, sperans futurum, vt religio mihi mea deinceps permitteretur libera. Nunc autem, quando rursus vrget ac mandat, vt decreto facto subscribam, equidem profiteor me iam inde ab adolescentia sic institutum, ac deinde sacrorum librorum lectione sic esse confirmatum, vt hanc doctrinã planè conuenire cum Prophetarũ & Apostolorum scriptis, nec vllius erroris conuinci posse, iudicem. Hac nimirum de causa & parens meus & ego, nonnullisque alii Principes, eius doctrinæ confessionem scripto comprehensam exhibuimus olim, & legitimo permisimus concilio. Cùm ergo hac sui verbi cognitione me Deus illustrarit, non mihi licet ab agnita veritate discedere, nisi sempiternum exitium mihi cõciliare velim. Itaque si decretum hoc reciperem, quoniam multis in locis, & grauissimis quidem, illud

*Qui facit  
contra con  
scientiã pa  
rat sibi ge  
henam.*



Iud à sacra Scriptura dissidet, dānarem quā  
 sum hucusque professus, Iesu Christi doctri-  
 nam, & verbis atque sermone probarem, quod  
 vitiosum & impium esse scio. Quod cū ita  
 sit, & quoniam his vinculis est alligata consci-  
 entia mea, maiorem in modum, & per miseri-  
 cordiam Dei, quam humano generi per Filii  
 sui immolationem impertiuit, oro & obsecro,  
 ne Cæsar hoc meum factum implacatè ferat.  
 Quòd enim Augustanæ confessionis doctri-  
 nam retineo, salutis meæ causa facio, & rebus  
 omnibus posthabitis, quomodo post hanc æ-  
 rumnosam vitam, sempiternæ vitæ letitiæque  
 particeps fiam, cogito. Cū in eo firmus & im-  
 motus peristeret, durius aliquāto tractari cœ-  
 pit, & adempti fuerunt ei libri sacri, & iniun-  
 ctum, vt diebus vetitis abstineret à carnibus.  
 Ille etiam, quo fuerat vsus ad hoc vsque tem-  
 pus permissu Cæsar, Euāgelii doctor, quum  
 præsens imminere sibi periculum videret, mu-  
 tata veste, clanculum se subducit. Dum hæc in  
 Germania Cæsar molitur, publico decreto  
 missa per Angliam abrogatur, neque multò  
 post captus fuit Stephanus Episcopus Vinto-  
 niensis, qui contendebat, decreta quæ fierent  
 in hac ætate regis adolefcētuli, nullius esse mo-  
 menti. Iussus fuerat anno superiori continere  
 sese domi, & abstinere à publico. Nuper autè  
 dimissus, quum sentētiam mutasse putaretur,  
 concionem habuit ad Regem ceterosque pro-

*Missæ per  
 Ger. Nium  
 phans occi-  
 dit in An-  
 glia.*

ceres, & quum in ea quid suæ mentis explicasset, custodiae mandatur. Quod in futuros usus pecuniam conferri Cæsar postulauit, ordines, etsi graue sibi esse dicerent, approbarunt. Ferdinando quoque regi in singulos induciarum annos aureorum millia centesa promittunt: sed à Cæsare petunt inuicem, vt præsidia deducat, & copias militum huc illuc dispositas, quæ passim per agros & oppida plurimum dāni dent, rebus iam pacatis dimittat, & miseros homines, quorū magnæ sint querimonæ, reficiat. Cæsar causas ait subesse graues, cur in hoc tempore militem exauthorare non possit: ad damnum verò datum quod attinet, illud, se quidem conscio, minimè fieri. Vt Cameram Cæsar hoc tempore pro suo arbitrata constituat, & supplementi loco iudices adiungat, ordines ei permittunt, & sumptum ipsi pollicentur.

## LIBER XXI.

*Cœcilii-  
gitimi re-  
petita pro-  
missa*

**V**Ltima die Iunii fit cōmitionum finis. Libro decimo nono diximus, quēadmodū Cæsar omnibus persuaserit, vt cœcilio se submitterent, idque sua fiducia, qui daturus esset operā, vt legitima sit actio. Nūc ergo fit decretum, Tridēti continuandū esse cœcilium, seq; curaturū Cæsar promittit, vt quāprimū ibi redintegretur. Quod quum factū erit, postulat vt omnes, Ecclesiastici præsertim, & cōfessionis Augustanæ focii, publica fide, quam sit eis præsti-



præstiturus, eò veniant. Futurū enim, vt piè & Christianè, iuxta sacras literas & Patrū doctrinam, res agatur omnis & definiatur, depositis affectibus: & vt ipsi, quantū satis est, audiātur. Post, alia recitātur decreta, sicuti fieri solet, imprimis illud de religione: grauibúsq; verbis mādatur, vt omnes obtemperent, sicut Idibus Maii pronuntiatū fuisse diximus. Authores libri treis antea nominauimus: ex iis Ioānes Illebius liberale donū à Cæsare simul & Ferdinādo rege tulit, ob nauatā operam. Michael verò Sidonius episcopatū Merseburgēsem in Saxonia deinde est cōsecutus. Hinc iocus illorū, qui chrisma dicebant ab eis & oleū pontificiū inter alia defendi, veluti rem sacrā & saluti necessariā, vt ipsi nimirū discederēt vnctiores. Facti decreti fama longè latèque mox disseminata fuit. & Veneti quidē decimo nono die Iulii edicto cauēt, vt qui libros habēt, in quibus aliquid sit perscriptū cōtra fidē catholicā, intra diē octauū perferant ad certos homines: nā postea fore vt inquiratur, & in eos, qui meriti sint, vindicetur: delatoribus verò silentium & donum pollicentur. Habet perpetuos ibi legatos Pontifex, vt in regum aulis etiam. Hi multorum oculis & auribus vident & audiunt, & sæpe sunt authores, vt eiusmodi decreta fiant. Sed tamen hac vtitur cautione senatus Venetus, vt Episcopis aut inquisitoribus pontificiis minimè permittat iudiciū,

Edictum  
Venetorum

sed adhibeat semper locorum præfectos & iureconsultos, qui testimonia cognoscant, & provideant, ne quid improbè vel auarè committatur in suæ ditionis homines. Legem hanc tulerunt anno M. D. XXI. quum in agro Brixiانو quæsitores illi valde sæuissent in miseros homines, quasi veneficos, & cum Sathana cõmercium habentes. Nunc autem, postquam longè latèque radices egit Lutheri doctrina, valet eadem lex, vtcunque Pontifices fremant, eamque velint abrogari. Hoc ferè tẽpore Gallix rex copias auxiliares in Scotiam mittit aduersum Anglos, & in his Germanos, ductore Ringrauiõ. Belli Germanici historiam, quod Cæsar gessit, in lucem ad hoc tẽpus emisit Ludouicus Auila, Hispanus, lingua populari conscriptam. Quanquam Cæsar acerrimis verbis edixerat, ne quis editum de religione librum vllõ modo impugnaret, varia tamem exierunt scripta, quæ totam eius doctrinam damnabant, & homines, vt ab eo, tanquam à præsentissima peste sibi cauerent, admonebant. Legatum Cæsar ad Noribergenses & quosdam alios miserat, qui decretum factum eis persuaderet. Quum is in ea profectioe venisset ad Saxonię ducis captiui filios, idem egit: sed illi constanter negabant: ad Cæsarem ergo reuersus, rem omnem exponit. Itaque captiuum principem Cæsar denuò sollicitat, deque filiis ipsius queritur, quod & decretum nuper factum

repu-

*Filiorũ captiui ducis  
cõstans pietas.*



repudient, & illud oppugnari tum scriptis tum concionibus permittant. Petit igitur agat cum illis, vt de vtroque sibi satisfaciât. Ad hæc ille quâobrem editi libri doctrinam ipse non probet, nuper se demonstrasse Grâuellano & Atrebatensi. Quod quum ita sit, nõ se posse filiis esse authorem, vt quod ipse pacata consciëntiâ facere nequeat, hoc illi faciant. Orare se plurimum, vt boni consulat, & se suosque liberos tueatur. Hæc illius constantia, & in rebus aduersis animi fortitudo singularis, magnum ei conciliauit amorẽ passim apud omnes. Quẽ admodum in Saxonia Bremenses & Magdeburgici, sic in Germania superiori, soli Constantienses, Heluetiis vicini, nondum erant reconciliati Cæsari: sed publica tandem accepta fide, legatos Augustam mittunt, pacificandæ causa. Cæsar leges fert admodum duras, & in his etiam, vt librum euulgatum recipiant, ex quoque religionem constituent. Legati conditiones sibi mitigari petunt: sed id frustra fuit, & intra certum diem iubentur respondere. Augusti mensis die tertio, Cæsar consules & omnem senatum Augustanum, & è præcipuis ciuibus nonnullos ad se vocat, & multis è senatu motis, nouos allegit pro suo arbitrio. Tribus etiam simul abrogat, & capite sancit, ne qua ciuium deinceps conuenticula fiant atque societates: & literas omnes, quibus tribuum iura continentur atque priuilegia, nouo Senatui

*Dux captus  
omnibus  
amicabilis.*

*Cæs. quos  
tulit in  
Senatu  
Augusti  
allegit.*

mox exhiberi, & hanc Reipublicæ formam voce præconis publicè pronuntiari iubet, & ne quis eam impugnet, vitæ periculo denuntiat. Legatis Constantiensium Cæsar huius mensis die quinta primùm respondet per Atrebatensem episcopum, & infecta re dimittit, & quia de pace non magnopere sollicitus esse videbat, rationē aliquam initurum se dicit. Eodem die, Hispani, quos in oram illam commigrasse diximus ad tria millia peditum, Constantiam petunt, & Vberlinga de nocte profecti, pars per syluam iter faciunt, vt prima luce, quo tempore concionem in templis haberi sciebant, vrbem inuaderent, pars in sylua remansit, occasionem expectans. Sed ecce, quum iam luceret, Hispani, parietem constructum ex materia, qui mediam fossam diuidebat, machinis prosternunt, & per fossam tunc propè siccam, in oppidanos excubitores confertim irruunt. Mox etiam illi, quos in sylua remansisse diximus, accurrunt, & vi magna portam vnā refringunt. Sed fortissimè ciues dimicabant, & tormentis rem agunt, interfecto duce Alfonso Viue, statim in primo congressu. Quum verò tantæ multitudinis impetum vix ægrè sustinerent, paulatim retrocedunt, & in ponte Rheni diu multumque confligunt, & vix tandem in vrbem recepti, quum hostes portam validè concuterent, tormentis maioribus eos petunt ex mœni-

*Hispani  
clam pe-  
runt Con-  
stantiam.*

*Cōstantie  
expugna-  
tio.*



mœnibus atque portis, & multos interficiunt. Quum hostile signum daretur Constantiæ, sicuti fieri solet, Heluetii vicini sumptis armis accurrebant, sed præfectus regionis, qui tum erat Lucernensis, maxima denuntiata pœna reuocabat eos, nimirum odio religionis.

Postquam illa via, quam diximus, non successit, Cæsar diuulgatis literis Constantienses proscribit. Ibi cœptum est agi tumultuosius in vrbe. Nam & recentis periculi memoria, & futuræ calamitatis expectatio vehementer eos angebant, præsertim quum nihil humani præsidii vel opis appareret. Erant in numero ciuium nonnulli, qui vocibus odiosis hæc omnia exagitabant. Senatus igitur horum importunitate coactus, principes aliquot & Heluetios quoque per literas orat, vt ad Cæsarem intercedant.

*Constantienses proscripti.*

Hi missa legatione, de Cæsaris animo perquirunt, ferre ne possit intercessionem: simul orant, vt clementer eos tractet. Cæsar autem sic illis respondet, vt facillè viderent, non ei gratum fore. Nam, quòd in proscriptorum gratiam aliquid facere velint, valdè sibi mirum esse dicebat. Itaque multi, qui religionis immutationem non probabant, aliò sese conferunt. In his erat Ambrosius Blaunerus Ecclesiæ præcipuus ibi minister. Linthienses, qui sunt contrà Constantiam,

*Ambrosius Blaunerus solus vertit.*

ad alteram partem lacus, masculè quidem antea Cæsari responderant: nunc autem vicino territi exemplo, decretum & ipsi recipiunt. Cæsar Augusta profectus, relicto ibi præsidio, Reipublicæ & mutatæ causâ religionis, cum reliquis copiis Vlmam petit. Eò quum venisset, senatum abrogat, & nouum instituit, & Eccle-

*Vlmæ senatus mutatus.*

*Frechtus in vincula coniectus.*

siæ ministros, in quibus erat Martinus Frechtus, eò quòd religionis decretum repudiarent, custodiæ mandari iubet. Fuit hoc Augusti die XVI. Detenti per quatrimum in vrbe, quinto die, quum Cæsar illinc abiret, reuincti catenis, vti diximus, & impositi currui, deuehuntur Kirchenum, stipati circiter ducentis Hispanis. Cæsar non diu Spiræ commoratus, quum Moguntiam venisset, secundo flumine Rheno descendit in inferiorem Germaniam, & Saxonè atque Lantgrauium, qui Hala Sueuorum nuper adductus erat, quum eius vxor denudè esset deprecata, captiuos abducit, diuersis nauibus impositos. Constantienses nuper proscripti, quum in magnis essent angustiis, neque salutis viam vllam viderent, ad extremum per fugium decurrunt, & Austriacæ domui sese dedunt in perpetuum. Ferdinandus igitur in suam tutelam eos recipit, & mox præfectum eò mittit ex nobilitate quendam. Post hæc, ministris Ecclesiæ mandatur omnibus, vt intra diem octauum vrbe excedant. Hoc mense, Mauricii Saxonix ducis frater Augustus, in  
matri-

*Saxo & Lantgrauius captiuus abducti.*

*Constantienses Austriacæ domui se dedunt.*



*Augustus  
uxoratus  
ducit.*

matrimonium ducit Christiani Daniæ regis  
filiam, Annam. In pactis dotalibus conuenit,  
ne quid bonorum Ioannis Friderici, verùm ex  
patriis bonis, Mauricius hæreditatem ei daret.

*Seditio  
Burdegala.*

Erat id tēporis magna seditio per Aquita-  
niam, propter salinas & vectigalia. Totius au-  
tem regionis principatum obtinet Burdegala,  
vrbs ampla & copiosa & maritima, quæ ditio-  
nis Anglorum aliquando fuit. Hi cum primis  
etiam rebellabant, & præfectum regium truci-  
dauerant. Quum igitur ad exemplum & ma-  
gnam periculum ea res pertineret, Galliæ rex,  
Connestablio & Aumalio ductoribus, copias  
eò mittit, peditum signa XXXI. His ingressis  
ad horrendam lanienam ventum est, nec enim  
vno supplicii genere sublatis fuerunt. Est in agro  
Patauino Citadella oppidum. Hic ciuis quidam,  
homo forensis & causidicus valde exercitatus,  
Franciscus Spiera, incredibili quodam ardore  
cœpit cōplecti puriorem doctrinam: & quum  
in dies magis atque magis proficeret, accusatus  
apud Legatum Pontificium, quæ dixerat re-  
cantare iussus est. Verùm non multò post in  
ægritudinē incidit, tum animi tum corporis,  
deque misericordia Dei cœpit desperare. Ne-  
que iam cibum amplius capere volebat: &  
quum per vim ingereretur, subinde respuit.  
Atque ita miser in eo statu ac desperatione  
vitam finiit. Decumbenti Patauini, frequens  
assedit consolator inter alios Petrus Paulus

*Lanienam  
quam Bur-  
deg. Con-  
nest. exer-  
cuit.*

Vergerius Episcopus Iustinopolitanus, quod est in Istria Venetorum ditioris oppidum. Quomodo Clemens atque Paulus pontifices, opera Vergerii sint vsi per Germaniam demonstratum est. Verum postea à Pontificatu Romano defecit, dum Protestantium libros ( in quos stylum exerere instituerat ) sedulo euolueret: & tunc planè constituit, relicta patria, posthabitisque rebus omnibus, in voluntarium exilium abire potius, & eò proficisci, vbi Christum liberè profiteri posset. Quod paucos deinde post menses fecit, & ex agro Bergomati profectus, ad vicinos Rhoetos peruenit. De Gallis antè diximus, qui per estatem Scotis auxilio profecti fuerunt: hi tandem mortui regis filiulam Mariam, vnicam hæredem, sex annorum puellam, in Galliam abducunt, vt eius consequendæ spem omnem Anglis adimerent. Philippus Cæsaris filius, tunc XXI. annorum iuuenis, euocatus à patre, ad iter sese comparat, relicto ibi patruele sororio, qui per suam absentiam Reipublicæ præesset. Hoc tempore motus fuerunt per Aphricam. nam Zeriphius quidam, à paruis, vt aiunt, initiis actus, & regnum adeptus, vicinum regem Ectsanum, finibus expulit, qui post ad Cæsarem venit Augustam, de sua fortuna conquerens, & opem implorans.

*Heres  
Scotia in  
Galliam  
abducta.*

*Cæsaris  
filii in  
Belgiū na-  
uigatio.*

*Motus in  
Africa.*

M. D.

XLIX.

De



De Magdeburgicis antè diximus, quomodo Cæsar eos proscripserit: cùm autem decretum religionis nuper euulgatum repudiarent, aucta fuit offensio. Sic ergo nouis edictis Cæsar in eos agit, & in prædam omnibus obicit, & vicinos Principes ac ordines grauitè monet, vt bellum eis faciant, & quacunque ratione possint, noceant.

Angliæ status in hoc tempore cœpit esse turbulentus. Is quem diximus Regis auunculus, & regni protector Eduardus Somersetus, fratrem habebat Germanum Amiralium: de quo suspicionem concepit, aut sibi persuaderi passus est, quasi regnum affectaret, & Regem vellet in suam redigere potestatem. Itaque comprehendi iubet, & habita quæstione, capitis ille damnatur, & Martii die vigesimo securi percutitur.

*Tumultus  
in Anglia.*

Archiepiscopus Cantuariensis, Thomas Crammerus Angliæ primas, vir excellenti doctrina, totus in hoc erat, vt studia literarum atque pietatis excitaret. Cùm ergo statum Germaniæ & doctorum hominum ibi periculum videret, crebris literis Bucerum imprimis & Paulum Fagium, Hebraicæ linguæ peritissimum, sollicitabat, vt in Angliam venirent, omnem amorem atque fidem eis pollicitus. Itaque de assensu & voluntate Senatus calendis Aprilis iter ingrediuntur, vt ibi sementem puræ doctrinæ facerent.

*Crammerus  
in promouenda  
pietate sedu-  
litas.*

*Confutatio Interi per Lubecenses & ceteros.*

*Adiaphororū periculum & impietas.*

*Mogunt. ad Lantg.*

Calendis Aprilis Philippus Austriacus amplissima cum pompa Bruxellam, vbi pater erat, ingreditur. Quum per fines Mauricii res ad mutationem videretur spectare religionis, Lubecenses, Luneburgenses, Hamburgenses Ecclesiæ ministri, euulgato scripto librum & decretum Augustanum prolixè confutant. Eius verò scripti potissimus erat author Ioannes Epinus. Deinde doctores Magdeburgici, Nicolaus Anstorffius, & imprimis Mathias Flacius Illyricus Albona vrbe natus, & Nicolaus Gallus, grauius sese Wittembergicis atque Lipsensibus opponunt: & multis editis libellis eos incusant, quasi dissimulenter agant, & per adiaphora seu res medias pontificiæ religioni viam aperiant. Hanc denique regulam ponunt, Omnes ceremonias atque ritus, quantumvis natura sint indifferentes, non amplius esse adiaphora, quum vis & opinio cultus, & necessitas accedit, & quum impietatis datur occasio. Pontifex tres Episcopos miserat, qui in hæresim lapsos in gratiam reciperent per Germaniam. Hanc Pontificis largitionem vel indultum, vt ipsi vocāt, Cæsar ilicò mittit ad episcopos Germanos, vt leniter atque placidè rem agant, vtque blanditiis, exhortationibus, precibus, omnia prius quàm execrationibus atque minis experiantur, pro se quenque separatim omneis monet. Moguntinus ergo cùm ad alios tum ad Lantgrauiam



uianos præfectos & consiliarios dat literas, & de sua sollicitudine pastorali, deque Cæsaris fide & diligentia multa locutus, petit, vt Ecclesiæ ministris formulam istam à Pontifice missam exhibeant, eisque iubeant parere. Concionatores interpellati, doctrinam suam cum Prophetarum & Apostolorum doctrina conuenire: vitam quidem ipsam non respondere professioni, sed tamen doctrinam nullum se dicunt errorem agnoscere. Quamobrè nihil opus habere indultu Pontificis. Coniugium sese prætulisse impuro cœlibatui iuxta verbum Dei, neque posse liberos & vxores deserere, quos Christus ipse iubeat omni amore, fide ac benevolentia complecti. Quòd ipsorum ecclesiæ Cœnam Domini percipiant integram, id fieri iuxta Christi mandatum & veteris Ecclesiæ morem: nec esse quòd in eo mutationem ullam admittant. Maio mense disputarunt Oxoniæ palàm Petrus Martyr & eius academiæ theologi, de Cœna Domini, deque præsentia corporis Christi. Pòst editus fuit eius rei liber, in quo præfecti disputationis mandatu Regis adhibiti, non obscurè significant Martyrem in eo certamine superiorem extitisse.

*Disputatio de Cœna in Anglia per Pet. Mart.*

De conuentu Lipsensi dictum est antea. *Lipsensis conuentus.*  
 Quum verò pontificiam religionem nonnulli dicerent & quererentur paulatim instaurari, Mauricius die quarta Iulii, datis li-

teris ad suos præfectos, audire se dicit esse multos, qui partim nimia quadã sollicitudine, partim ab aliis ita persuasi, metuãt, ne veteres errores pedetentim restituantur. Ab hac autem criminatione non esse prorsus alienos aliquot Ecclesiã ministros, & quosdam alios rerũ nouarum cupidos, & irrequietã mētis homines.

*Seditio in Anglia.*

Per Angliam hoc tempore fuit orta duplici nomine seditio popularis. Vna propter rem agrariam. Querebantur enim vulgò nobilitatem occupasse magnam agrorum partem, qui promiscuã multitudinis antea fuissent, & ad ferarum saltus accommodasse priuatos. Alteri per Deuoniam idem petebant: sed imprimis offensi mutatione religionis, volebant sex illa regis Henrici de religione decreta, de quibus libro XII. diximus, restitui. Cũ igitur ad arma concurrerēt, & magni res esset periculi, nec admonitiones locum haberent vllum, Rex & consiliarii, licet inuitissimi, copias in illos emittunt, & diuersis locis profligant, milibus aliquot trucidatis. Hanc speculatus occasione Gallia rex, qui iã pridem inhiabat amissã Bologniã, castella quãdam & arces ad oram illam maritimam inter Bologniã atque Caletum, partim vi partim deditione capit, eãque ratione milites præfidiarios Bologniã, in maximas difficultates & angustias coniicit. Grauiissimè tulerunt hunc casum Angliã proceres: & quia summã rerũ obtinebat protector Regis auũctulus, in ipsũ deriuata fuit omnis culpa, quod nõ

*Gal. rex Angl. quãdam eripit*



in tēpore munisset loca rebus necessariis. Hac in dies augete criminatione & inuidia, protector initio mensis Octob. de cōmuni cōsilio procerū, Vindefore captus, vbi tum Rex erat, Londinum in carcerem abducitur. Interea dū Gallus hæc molitur in Anglos, Cæsar per Flandriam & Hannoniam & Atrebates filiū circumducit, in eiusque fidem populum adigit per iusiurandum. Pōst, Antuerpiam simul ambo redeunt sub idus Septembris. Permittente ergo Cæsare, deliguntur singuli arbitri, qui inter Argentinenses ciues & vrbs Episcopū intercedant. Decima pōst die Nouēb. è vita decedit Paulus tertius Pontifex, quum ageret annū LXXXII. Pridie quàm obiret mortē, aboleuit vectigalia, quæ italini & plærisque rebus aliis imposuerat, non sine gemitu populi. Priusquam decederet, libellus exiit Italicus vehemens in illū atque grauis, titulo quidem Bernardini Ochini: sed ab aliis, vti creditur, compositus, cum præfatione ad Ascaniū Columnā, quem ille profligat. Libellus hic inter alia multa, quæ nimis lōgum esset recitare, sermonem ad eum cōuertit, & Antichristum appellans, Innocētio Pontifice coniectus, inquit, in vincula fuisti, præsul iniquissimè, propter homicidia duo, & commissum parricidiū, matre nimirū & nepote tuo quodā veneno sublatis: vt omnis ad te conflueret hæreditas. Quūque deinde liber factus, nō dubitares ambire galerum purpurē, & ter esses à col

*Cæs. Belgas filio dare fidem cogit.*

*Paulus Pōb. mors.*

*Soror me  
retrix Pau-  
lum Cardi-  
nalē facit.*

*Portento  
se Pauli  
libidines.*

legio repudiatuſ, germana tua ſoror, Iulia Farnesia, tandem peruicit. Quum enim copiam ſui non ſe facturam eſſe deinceps minaretur, Alexander ſextus Pontifex, offenſionem veritus & iram illius, in Cardinalium te cœtum allegit. Alteram deinde ſororem tuam, pro familiae tuæ conſuetudine parum pudicam, interemiſti quoque veneno. Per Anconitanam prouinciam quum eſſes legatus, Iulio ſecundo Pontifice, puellam eius ciuitatis nefariè circumueniſti, quando diſſimulans quis eſſes, teque pro nobili quopiam gerens ex legati familiaribus, illam vitiaſti. Quod quidem facinus, puellæ patruus, cardinalis Anconitanus, Vrbe capta, coram Clemente Pontifice captiuo, tibi grauiſſimis verbis obiecit. Nicolaus Quercæus, cum Laura Farnesia, tua nepte, coniuge ſua, te congregientem deprehendit, & pugione tibi vulnus incuſſit, cuius etiamnum cicatrix apparet. De filia tua Conſtantia, quicum toties rem habuiſti, quid dicam? Etenim, vt ea liberius potiri poſſes, maritum eius Boſum Sfortiam ſuſtulſti veneno. Qui quum nequitiam veſtram animaduertiſſet, incredibilem animo dolorem concepit, nec vnquam poſtea viſus eſt hilaris. Libidine profeſſò Commodum & Heliogabalum longè ſuperas: idque tot ſpuriis tuis doceri poteſt. Filias ſuas Loth vitiauit, ignarus & ebrius: tu verò ſobrius, non modò cum nepte, ſed etiam cum ſorore congreſſus



gressus es atque filia. Iam illud, quod in Fanensem episcopum admisit sceleratus ille tuus filius Petrus Aloisius, quàm est dictu foedum & horrendum facinus? Multa id genus alia continentur in eo, quem diximus, libello, qui typis proculus extat. Nunc ad mortuum reuertamur. Nono post die ceptum est fieri funus per dies nouem continuos. Interea Cardinales absentes vndique ad urbem conuolant. Erant omninò tres factiones Cardinalium: vna Cæsaris, altera, regis Galliarum, tertia, Farnesiorum. Galli, Tranensem, Saluiatum, Rudolphum, Lotharingum, Theatinum: Cæsariani verò, Polum, Burgensem, Carpum, Crucium, Moronum, Sfondratum polcebant. Et de Polo quidem atque Saluiato frequens fuit per urbem excitata fama. Nam etsi magno silentio rem tegi volebant, neque foras efferi: tamen quia subinde multi prodibant è conclauis, per causam aut simulationem ægritudinis, non potuit esse clàm, & ad Cæsarem atque Galliarum regem enuntiatum fuisse dicitur, quicquid ageretur. Quò minus verò Polus rem obtineret, Theatinum cardinalé obtitisse ferunt, quòd diceret eum redolere Lutheranismum.

*Tres factiones Cardinalium.*

Quomodo per arbitros fuerit transactum inter Episcopum Argentinensem atque senatum, supra diximus. Decreuerat quidem Episcopus rem inchoare suis in templis ad Christum natalem, & rationem clero præscripse-

M. D. L. rat, quam sequerentur. Sed quia non satis erant instructi, distulit in calēdas vsque Februarii. Tunc in tribus illis templis, quæ senatus ei per transactionem concesserat, sacrifici cationes suas atque preces vespertinas, & postridie Missam rursus inchoant, totos iam XX I. annos intermissam. Ingens autem erat hominum concursus, maxime iuuentutis. Nam his omnibus nouum erat spectaculum & inauditū. Post meridiem, sacrificus quidam, accersitus aliunde, concionem habet in æde primaria, non ita frequenti auditorio, tametsi nonnulli, velut in re noua, conuenerant. Ibi strepitum nescio quē adolescens aliquis excitabat, hunc ex apparitoribus quidam obiurgat, & quasi cōprehensurus, instat. Mox tota iuuentus accurrit, & vt fieri solet, subitus oritur fremitus atque tumultus, dum quid rei sit omnes inquirunt, & huc illuc per templum discurrunt. Proceres Ecclesiastici satisfactionem senatus minime recipiunt, neque se vitam suam velle deinceps exponere tanto periculo dicunt, & irati postridie discedunt, & opus inchoatum intermittunt, & ad Episcopum profecti Tabernas, quæ sit ipsorum fortuna, queruntur. Sic ergò per aliquot menses deinde cessatum fuit. interea res ad Cæsarem deferitur, vt suo loco dicemus. Multi putant illos tacitè fuisse gauisos, quòd hæc ipsis in sinum esset delata cessationis causa. Quandiu enim senatus in-

terdi-

*Tumultus  
in æde Ar-  
geminensi.*



terdicto fuit sublata Miffa, liberrimè vixerant, & nulla cum moleftia proventus annuos perceperant integros. Nunc verò, cùm rurfus ad laborem aliquem astringebantur, fi tamen labor hic eft dicendus, non illis ingrata fuiſſe putatur occasio, iugum hoc excutiendi. Præfer- tim, quum fuas actiones vulgò rideri & contemni, ſeque digitis commonſtrari, & vehementer inuiſos eſſe multitudini viderent. Senatus, inquisitione facta, nihil culpæ vllò in ciue deprehendit. Sub initium Febr. mensis, Anglici Gallicique legati conueniunt, pacis tractandæ cauſa. Nam amiſſis aliquot caſtellis, vt antè diximus, Angli erant in anguſtias coniecti. Per hos dies è carcere liberatus fuit *Proteſtor Angliæ* Regis auunculus proteſtor, quum id Regi per gratum eſſe viderent conſiliarii: & quoniam *carcere liberatur.* Beruicenfis Comitis impulſu potiffimum captus fuerat, inita fuit hæc ratio, vt per affinitatem inter eos redintegraretur amicitia. Proteſtoris itaque filiam, Comitis Beruicenfis filius in matrimonium ducit; deinde Beruicenfis à Rege donatus eſt ducatu Northumbriæ. Sed non fuit hæc diuturna neceſſitudo, ſicut infra dicetur. Romæ interim feruebant omnia ſtudiis diuerſis atque factionibus, vt antè docuimus. Farnesii imprimis toti in hoc erant, vt ſuarum partium aliquis crearetur: & initiò quidem, Cæſarianis cardinalibus, vt a- iunt, ſeſe cõiunxit Alexāder, Pauli nepos, ciuſ

que clientes aliquot Cardinales, Pauli pontificis beneficiarii. Cùm autem Gallicani sua suffragia darent Saluiato Florentino: veritus ille, ne proximis comitiis renuntiaretur Saluiatus Pontifex, ad ipsorum partes accessit, primùm stipulatus ab eis, quemadmodum pro certo dicitur, vt Saluiatum præterirent. Hac demum ratione, Ioannes Maria Montanus, quem Tridenti atque Bononiæ præfectum fuisse concilio diximus, Februarii die septimo creatur Pontifex. Is autem semper & Gallicarum partium, & Farnesæ domus fuerat habitus studiosissimus. Eodem tempore Galliæ regis prodiit editum in Lutheranos: pœna quoque decernitur in iudices, qui remissius in illos inquirent ac vindicarent. Biduo post, auream, vti vocant, portam aperit Pontifex, ad quam infinita erat hominum turba, consequendæ peccatorum remissionis causa. Malleolo Pontifex aureo portam ferit, sic enim habet ceremonia: quem deinde honoris causa largiri solet alicui. Nouus Pontifex, galerum suum cardinalitium, cui vult, largitur antiqua consuetudine. Iulius autem, quo tempore Bononiæ fuerat legatus, in delitiis habuerat adolescentem quendam, Innocetium. Hunc, tametsi reliqui minus probarent, imò reclamarent, in Cardinalium adoptauit collegium, & in domesticam consuetudinem rursus admisit, eique cognomen suum & insignia quoque attribuit.

*Montanus  
electus  
Pontifex.*



buit. Romæ fama erat, & libellis quoque per-  
scriptum fuit, à Ioue Ganymedem foueri, li-  
cet deformem. Sed nec ipse Pontifex hoc ad  
reliquos Cardinales dissimulare, & per iocum  
fertur aliquando commemorare, quàm sit la-  
cuius adolescens & importunus. Martii  
die XIII. Cæsar scribit ad ordines Imperii,  
velle se conuentus agere ordinum Imperii.  
Quamobrem mandare, vt ad XXV. Iunii dié,  
Augustæ Vindelicorum sibi præsto sint o-  
mnes.

## LIBER XII.

AD hoc tempus Anglici Gallicique legati,  
quum diu rem disceptassent, pacem fa-  
ciunt. Bononiam igitur Angli, totos ferè sex  
annos iam occupatam, Gallis restituunt, non  
sine plurimorum admiratione: Galli verò pe-  
cuniam illis dependunt. In ea pace compre-  
hensi fuerunt Scoti. Magdeburgici, cum  
crebris edictis peterentur à Cæsare, Martii  
die XXIII. rursus aliud scriptum, ad vici-  
nos potissimum, euulgant. Primò docent, ne-  
que diuino nec humano iure se posse conuin-  
ci rebellionis: postea demonstrant, eos, qui  
contra se sumunt arma, bellum ipsi Christo  
facere: tertio loco refutant obiecta crimina, &  
calumnias esse docent aduersariorum. Postre-  
mò, vim & arma deprecantur, & si res ita ferat,  
à finitimis auxilia quoque petunt. De turba  
à finitimis excitata, sicut diximus, Argentinæ, in-  
nuper excitata, sicut diximus, Argentinæ, in-

Magdeb.  
scriptum.

æde primaria, querimoniam Episcopus ad Cæsarem detulit. Senatus autem misso legato, nullam in se residere culpam demonstrat. Itaque Cæsar datis ad Episcopum literis, mandat, ut intermissum opus restauret, utque pergat. Episcopus verò prius à Senatu stipulatur, ne qua vis fiat, aut impedimentum inferatur actioni. Sic demum clerus ad Pentecosten, qui tū erat Maii dies XXIII. denuò rem inchoat.

Ad exitū Maii Cæsar vnà cum filio, Bruxella discedit, & Augustam ad comitia contendit, adducto secum Saxonie duce captiuo, Lât grauius autem relicto Mechliniæ. Non multò post eius abitionem, populari & Gallico sermone promulgatur atrox edictum in Lutheranos, quod Aprilis die penultimo conscriptum fuerat. Hoc edictum postea sermone Germanico redditum, Illyricus euulgat, & Islebiū ac adiphoristas, ut ipse vocat, grauisimè taxat, qui populo persuadere studeant, quasi religio non oppugnetur. Cæterum, inquisitionis formula, quam vocant instructionem, amplissimam continet potestatem. Permittitur enim illis, non plebeios tantum, sed Magistratum etiam ad se conuocare, perque iusiurandum adigere, ut ad interrogata respondeant, & comperta deferant. In vltimo confessu Tridentino decretum inter alia fuit, ut qui plures haberent episcopatus, retinerent ex iis quem velent, cæteros abdicarent, ut libro decimo nono dictum est. Veruntamen, quoad vixit Pau-

*Inquisito  
rū potestas*



lus, minimè res in executionem venit. Hoc autem Pontifice per Galliam cardinales parebāt quidem in speciem, sed nullo suo cum dispendio. Quū enim ex ipsis plerique binos aut ternos haberent episcopatus, complures autē alii ad dignitatem hanc aspirarent, permutatione facta, permittebant istis alterum, & vnius episcopatus loco, quem deserebant, multas inuicem Abbatias aut id genus alias præfecturas ab iisdem consequebantur. Iulii die vigesimo sexto, Cæsar Augustæ facit initium Imperii conuentus. In eo proponit de prosequendo consilio, de seruando religionis decreto, nuper Augustæ factō, de mulcandis rebellibus, de restitutione iurisdictionis & bonorum sacerorum. Re deliberata, maiori parti placuit, prosequendum esse concilium. Mauricius verò per legatos non aliter se probare illud ostendit, nisi vt res omnis ab initio retractetur, & Augustanæ confessionis theologi non solùm audiantur, sed decidendi quoque potestatem habeant, vt Pontifex concilio se submittat, neque præsidis locum obtineat, & iururandum Episcopis remittat, quò liberè sententiam dicant. Hæc eius contestationē publicè recitatā, legatus post in acta referri voluit, sicut fieri cōsuevit, sed denegatū hoc ei fuit. Sub exitū Augusti mēsis, Grāuellanus, qui Vesōtione, Sequanorum oppido, nuper venerat Augustam, è vita decedit, nō sine magno Cæsaris mœrore.

*Contestatio  
Mauricii  
aduersus  
concilium.*

*Henricus  
Brunsviciū  
obsidet.*

Henricus Brunsvicensis interea Brunsvicum urbem, cui propter religionem & alia quædã, multis nunc annis admodum erat infestus, obsidet: & quum ipsorum agris multum damni dedisset incendiis atque direptionibus, neque tamen urbem expugnare posset, interuentu quorundam Cæsar vtrisque mādāt, vt discedant ab armis, & apud se causam dicant. Fuit hoc Septembri mense.

Cæsaris exercitus obsidebat tum Africam, urbem Aphricæ: Lepitim aliqui esse putant, tamen si Liuius etiam meminit vr̄bis Afrorum. Eam urbem tenebat Dragutus, archipirata nobilis, qui Turcæ nuper sese coniunxerat. Summæ rerum Cæsar præfecerat Sicilia proregem. Is, quum tormentis aliquandiu fulminasset, certior factus, imminere Dragutum, & adducere nouas copias, accelerandum sibi esse videbat. Itaque Septembris die decima, terra marique militem immit-

*Dragutus  
archipirata.*

tit, & aliquot horarum spatio vi capit. Dragutus ad Turcam confugit, Byzantium profectus. Ea res noui belli dedit occasionem, quod Turca non in Cæsarem modò, sed in Ferdinandum quoque regem deinde suscepit. Clerus Magdeburgicus, & primarii templi proceres, plerique genere nobiles, qui ciuitati cum primis erant infesti, magnis præmiis & pollicitationibus Georgium Megelburgium, Alberti filium, adolescentem, conduxisse feruntur, vt ipso ductore sese vlciscerentur. sed hoc

ipsi



ipsi negant, vt infra dicitur. Nuper autem è vita decesserat ipsorum Archiepiscopus, Ioannes Albertus: quare totius prouinciæ dominium ei fuisse pacti, siquidem occuparet, & treis quasdam arces per literas oppignorasse dicuntur. Sic ille, primò per agrum Halberstatis profectus, in Magdeburgicum postea peruenit, & cædibus, rapinis, incendijs grafsatus, Magdeburgicos acie fudit. Cæsar interea multum instat, vt vtrunque decretum Augustæ factum seruetur: & de Magdeburgicis atque Bremensibus grauem habet querimoniam. Nam hi soli restabant omnium ciuitatum, tametsi Bremenses non erant proscripti.

Mulier quæpiam erat Augustæ, ciuis: quæ prætereunte fortè sacrificio, & ad ægrotum quempiam deferente panem azymum, quem hostiam appellant, accensis de more cereis, percunctando mirabatur, quid ille claro die luccernam adhiberet. Propter hoc dictum capta fuit, & in magno versabatur periculo. sed multis sceminarum precibus, ac demum intercessione sororis Cæsaris seruata, relegatur. Venerat autem eò regina Maria, quum aliis, tum hac etiam de causa, vt edictum illud nuper in Belgio promulgatum mitigaretur. Nisi enim ita heret, fore dicebat, vt quæ nunc fit totius orbis frequentissimum emporium, Antuerpia, splendorem suum amittat. Seditiois quo

*Mulier  
ob leue  
verbum peri-  
clitata.*

*Edicta de  
religione  
mitigata.*

que passim permagnum esse periculum, si quidem in executionem res venire debeat. Cæsar vix egrè tandem assensit, & mutatis iis, quæ pertinent ad exteros negotiatores, nomen inquisitionis, inuisum omnibus tollit, cætera suo loco manere iubet atque seruari. Prælii Magdeburgici fama, statim longè latèque disseminata, & ad Cæsarem quidem intra diem sextum perlata fuit: & quum plerique de illis propè nunc actum esse putarent, ecce, scriptum euulgant Calendis Octobris. In eo rem omnem commemorant, & suorum ciuium atque militum non supra ducentos occubuisse dicunt, & qui videbantur indigere consolatione, alios ipsi confirmant. Re bene gesta in Magdeburgicos, continuo multi sese comparant ad militiam: in his erant Mauricius, & elector Brandeburgicus cum Alberto patruale, & Hæricus Brunsvicensis. Deinde nobilitas etiam omnis appellatur, vt equitatum adducant. Octobris die quarta progressi, non procul ab vrbe castra faciunt, & sexto post die, noctu, magno cum clamore procurrunt vsque ad fossas atque portas, experiundi causa, quid oppidani vel possent vel auderent: sed reiecti tormētis, multos è suis desiderarūt, & quum in castra pedem referrent irati, leproforum hominum domiciliū in itinere inflammant, planè contra militiæ leges atque disciplinam. Postridie rursus dimicatum

est



est leuiori prælio, quum oppidani fecissent eruptionem. Erāt enim alacres, & cum alii multum ex nobilitate complures, odio Brunsvicensis Henrici, confluerant eò, viri militares, & in armis multum exercitari. Octobris die duodecimo, pactæ fuerunt induciæ, & in vrbe nonnulli venerūt legati de pace. Verum id frustra fuit. Sub initium Nouembris mortem obiit Vlrachus dux Wirtembergicus, pendente lite, quam habebat cum Ferdinando rege, sicut ante dictum est: ei successit filius Christophorus. Mauricius, qui iã antè sese bello Magdeburgico immiscuerat, traductis ad se copiis, publico nomine belli summæ præficitur. In bellum verò decernuntur aureorū millia. LX. menstrua, proque sumptibus iam factis perfolui iubetur millia centum. Iulius pontifex, crebro sollicitatus à Cæsare, sub idus Nouembris conscripto diplomate, bullam ipsi vocant, concilia decernit, suum esse confirmans, indicare & dirigere cõcilia. Mauricius, rei summæ præctus, magnis viribus rem agit, & constructis ali- quod castellis, vt in iis milites hyemarent, sub exitum Nouembris vrbem aggreditur. Est autè vrbs tripartita: eius vnã partè, quæ noua dicitur, noctu magno silentio concensis mœnibus atque portis occupat, neq; prius hostile signũ dedit, quã militè introduxisset. Excitati clamore ciues, quicunq; reperti sunt in armis, trucidantur: reliqui capti atque direpti pelluntur.

aa. iiii.

*Indictio  
cilio per  
Pontificam*

*Mauricius  
in Magde-  
burgicos.*

Magdeburgenses igitur, vt hosti commoditatem hanc eriperent, emisso milite locum incendunt, ea parte, quæ ad ipsos pertinebat: alteram deinde partem, quæ Sudeburgum dicitur, exurunt etiam, receptis in urbem oppidanis. Erat in vrbe Albertus Comes Mansfeldius, non quidem à Cæsare proscriptus, verum exutus facultatibus, quum in Ioannis Frederici Saxonix ducis fide permansisset & amicitia. Quomodo Lantgrauū Cæsar Mechlinix reliquerit, Augustam proficiscens è Belgio, dictum est antè. Mauricius quidè & Brandeburgicus, vt dimitteretur, instabant: sed responsum fuit, nō illum modò, sed filios etiam & consiliarios ita se gerere, vt nondum liberari possit. Custodes quoque dicebant ei, fore, vt in Hispaniam abduceretur. A filiis igitur opem implorat, & fidelitatis, quam sibi debeant, commonefacit: & Mauricium atque Brandeburgicum citari iubet, vt se sistant iuxta formulam obligationis, & promissum impleant. Filii morem gerunt, & per legatos, grauissimis verbis non semel illos monent atque citant. Sed quum spem nullam videret Lantgrauus, constituit omninò profugere, si posset, & cum suis, quos euocauerat ex Helsingia, partim genere nobiles, varias rationes inuit. Verum hi periculo deterriti, remissius agebant. Duobus tandè persuadet, Conrado Bredesteno, Ioanni Rommelio. Hi per totum iter in de  
ab

*Filii Lantgrauus in  
stant pro  
patre.*



*Fuga cōci-  
liū dese-  
clum.*

ab ipsius finibus, Mechliniā vsque celeres dis-  
ponunt equos, quibus cōscensis effugeret. Sed  
per quendā ipsius famulū hoc tēpore res ema-  
navit: qui familiariter cuidā dixerat Mechli-  
niæ, futurum, vt intra paucas horas liber esset.  
Quū id, veluti per manus traditū, ad custodiæ  
præfectū, in ipso propè fugæ momēto & arti-  
culo delatū esset, omnis illa ratio cōcidit, & ex  
ipsius ministris duo fuerūt subitō cōfossi, qui-  
dam cōprehēsi & capite multati. Ipse verò de-  
ductos in arctiorē custodiam. Decembris  
XIX. pedites ac equites Magdeburgici omnes  
qui non erāt destinati vigiliis, post mediā no-  
ctem vrbe excedūt, vt equitatū hostilem, quo-  
dam in vico, non procul, opprimerent. Magni  
quidē res erat periculi, quōd inter hostiū castra  
faciundum erat iter. Sed tamē fœliciter celsit.

Postridie prima luce domū illi repetunt, &  
turmā equestrē habent obuiā, ductore Geor-  
gio Megelburgio, qui tandem conserta manu,  
cū à frōte premerēt equites, à tergo pedites  
instarent, captus & in urbē adductus fuit, ille  
ipse, qui belli fecerat initium. His diebus ex  
Hispanis Augustam venit. Maximilianus Au-  
striacus, gener Cæsaris, Bohemiæ rex designa-  
tus per absentiam reuocatus à patre Ferdinan-  
do rege, quē inter atq; Cæsarē actio tunc erat  
ardua, de Imperii successione. Cæsar enim,  
qui sciret, quāti esset momēti, Germaniæ con-  
iunctio, filiū hæredem, qui tam latis & diuersis

finibus esset regnaturus, hoc veluti firmamento stabiliri cupiebat. Ferdinandus autem rex, qui spectaret idem, neque suam, neque sanè filiorum expectationem atque commoda de minimi oportere iudicabat. Porrò, Maximilianus, qui egregiam indolé præ se ferret, & multas calleret linguas, Germanicam imprimis, & morum elegantia polleret, admodum erat gratiosus atque popularis. Per hosce dies Mauricius & Brandeburgicus Elector, pacis cōditiones Magdeburgicis proponunt, & vt se dedāt fidemque præstent ipsis & archiepiscopo, pētunt. Id si faciant, fore, vt religio & Augustæ quondam exhibita doctrina ipsis permittatur, & de ipsorū priuilegiis, iure ac libertate nihil decedat, munitiones etiam vr̄bis atque facultates permaneant saluæ, nulla cuiquam vis intentetur. senatus verò deditiōne facere, & præfidium recusabat admittere. Decembri mēse, ordines Episcopatus Magdeburgici, maximè verò clerus, lingua populari scriptum edunt in in senatū populūque Magdeburgēsem. Non multis verò pōst diebus, eodē mēse, respōdet senatus, edito scripto. De Stephano Vintoniensi Episcopo diximus libro vigesimo, quamobrem captus in Anglia fuerit: cū autem in sententia persisteret, neque decreta iam facta, quæque deinceps fierent in hac etate regis, de religione, vellet approbare, Episcopatu fuit exutus huius anni mēse Ianuario, & in carcerem

M. D. LI.

rem



reductus. Andreas Osiander, quem in Prussia iuisse diximus, nouum hoc tempore dogma proponit, & hominem iustificari, non fide, sed iustitia Christi in nobis inhabitantis, affirmat, suæque sententiæ Lutherum etiam fuisse dicit. Reliqui verò theologi collegæ fortiter oppugnant, deque Lutherò falsum esse dicunt. Præ se ferebat ille quidē, vt diximus, quasi Lutherus idem quod ipse sensisset: verum interim apud suos iactabat, vt scribitur, illum & Melanchthonē confecisse theologiā quandā Aristotelicā, quæ carnem potius quàm spiritum redoleat. Albertus princeps, initio, per intercessores componi causam cupiebat: sed persuasus ab Osiandro post multā actionē, in sententiam eius accedit, & aduersarios è suis finibus exire iubet. In his erat Ioachimus Merlinus, cui migrandum etiam fuit, licet non modò ciues, verum etiam mulieres atque pueri, ne tali pastore destituerentur, Principi supplicarent. Idibus Februarii dimittitur Imperii conuentus. Hoc ipso tempore, Gallie rex, Henricus in suam fidem atque clientelam accipit Octauium Farnesium, qui & priuatim erat inimicissimus Ferdinando Gonzagæ, Cæsaris per insubriam præfecto, propter eadē patris, & in ea vicinitate Placentiæ, quam Cæsar tenebat, veritus, vt Parmam suis ipse viribus retinere posset, opem aliunde petiuit, & Gallicum præsidium vrbi imposuit. Eam rem permolestè Cæsar tulit, & Iulius imprimis. Februarii die penultimo, Bucerus, Cantabrigiæ

*Alb. Prussiae princeps  
Osiandro  
adictus.*

*Buceri ob-*  
*itus.*

vitam finit, honorificè admodum sepultus, & doctorum hominum celebratus epitaphiis.

*Prodigia*  
*per Saxon.*

Ad Magdeburgum res agebatur leuioribus præliis, & crebris eruptionibus: & quum Albis exundasset, oppidani fabricatis nauibus, aduerso & secundo flumine commeatum importabant. Varia subinde conspiciebantur id temporis prodigia per Saxoniam, in his terni soles, totidémque lunæ, modò pallidi, modò sanguinei coloris. Magdeburgici de auxiliis appellabant vrbes maritimas per Volratum & Ioannem Mansfeldiû, Alberti comitis filios: verùm id frustra fuit. Tertio idus Aprileis Pontifex edito scripto, Farnesium Octauium grauitè inculsat. Quum calendæ Maii venissent, inchoata quidem fuit actio concilii: sed quia perpauci tum adhuc aderant, & Parmense bellum interuenerat, in Calendas usque Septembris producta res fuit. Superioribus aliquot mensibus in suam familiã Mauricius ascripserat Hedecum à Cæsare proscriptum, & Lipsiæ præfecerat. Is propter religionem & odio Cæsaris bene cupiebat Magdeburgicis, & pacis erat consiliarius, vt eo confecto bello, Mauricius tentaret maiora. Iam tum enim inita fuerunt eius belli cõsilia, quod in Cæsarem postea susceptum est, vt suo loco dicetur. Veruntamen de pace tum conuenire non potuit, quodd duriora proponerentur, idque studio, sicut multi putant, dum tempus duceret

*Hedecus*  
*Magdeb.*  
*amicus.*



ceret Mauricius, & occasionem expectaret agendi, quæ tunc data fuit, postquam Galliarum rex bellum Cæsari fecit. Farnesius neque Romam venit citatus à Pontifice, & Galliarum regis confirmatus præfidiis, Parmam suscipit defendendam. Ferdinandus Gonzaga delectus à Cæsare ad hanc prouinciam, belli facit initium, & populatus agros, Parmam, Pontifex verò, Mirandulam obsidet. Nam & Galliarum erat partium Mirandulanus, & nisi distineretur, Octauio plurimum poterat & Parmensibus cōmodare. Galliarum rex interim leniendi Pontificis & Cardinalium senatus causa, per oratorem suum Paulum Thermum Romæ demonstrat, quod Octauium in suam fidem acceperit, nullam reprehensionem mereri. Nam hoc esse propriè Regum, vt subueniant afflictis. Deinde nullum se quæsiuisse priuatum in ea re compendium: sed quicquid fecerit, ecclesiæ Romanæ causa fecisse, maiorum exemplo, qui & facultatibus illam præceteris amplificari, & armis quoque non semel protexerint. Cæsar antea missis in Germaniam literis, præsertim ad Augustanæ confessionis ordines, idoneè ipsis cauerat, hortatus, vt ad calendas Maias adessent Tridenti. sed quia propter bellum Parmense reiectus fuit concilii dies ad initium Septembris, iterum monet, vt omnino veniant, æquitatem omnem atque fidem pollicitus. E ciuitatibus

*Bellum  
Parm. in  
Cæsar. &  
Regem.*

*Gal. regis  
ad Pontif.  
excusatio.*

autem soli Argentinenses, quid vicini, quid etiam longinquiores in eo facere constituerent, missis internuntiis exquirebant. Et Mauricius quidem Philippo Melancthoni mandauerat, ut doctrinæ capita conscriberet, quæ post exhiberentur publicè. Eo confecto libro, quum ad octauum Iulii diem Lipsiæ conuenissent omnes theologi & Ecclesiæ ministri, iussu Principis, recitatur scriptum, & omnium assensu comprobatur. Eandem quoque rationem princeps Christophorus Wirtembergicus instituit, & authore Brentio conscribitur eiuidem generis libellus. Dux Wirtembergicus patris exëplo Ioannem Brentium ob insignem eruditionem fouit, ad piæ doctrinæ restorationem vsus illius opera: post etiam Ecclesiæ ministerio restituit atque præfecit Sturgardiæ. Mauricius datis ad Cæsarem literis, nuntiat se quidem ea fide quam dedisset, fore cõtentum, neque magnopere quicquam in eo desiderare: sed audire concilio Constantiensi decretum esse factum, ut in hæreticos aut alioqui suspectos inquisitio fieret, si fortè ad cõciliũ vocati venissent, deq; ipsorum crimine pronũtiaretur, etiã si Cæsar ipsis idoneè cauisset. Hoc decretũ in publicis extare monumētis, & quod ita statuissent, ipsa re cõprobasse, necato Ioa. Hufso, qui Sigism. Cæsaris fidẽ secutus eò venisset. Quod cum ita sit, nõ se posse quẽquã è suis mittere Tridẽ. nisi qui sunt ibi proceres

Eccle-

*Maur. per  
Melanct.  
confessio.*

*Wirt. pie-  
tas in Brët.*



Ecclesiastici, fidem quoque suam communi consilii nomine interponant, sicut in consilio quondam Basiliensi factum sit, quod proximum ab illo fuerit. Bohemos enim exemplo superiori commotos, noluisse tum e venire, nisi prius accepta fide publica totius concilii. Petere igitur, ut ipse pro sua vel auctoritate vel gratia hoc apud illos efficiat. Nisi enim ad eandem formam, ut olim Basileam, caueatur, non debere sibi vel etiam aliis eiusdem professionis esse fraudi, si neminem e suis eod proficisci patiantur. Augusti die vigesimo sexto mane post concionem, Ecclesiam Augustanam doctores atque ministri, numero decem, accersiti fuerunt in aedes Atrebatensis episcopi. Quam hi venissent, illis mandatur, ut intra diem tertium ante solis occasum ex vrbe decedant: ne posthac intra fines Imperii, & quam late Caesaris patet iurisdictio, concionem ullam habeant: ne quem ex propinquis aut amicis conueniant, neque sui discessus causam ulli dicant, ne cui post in vrbe scribant, aut quid cum ipsis actum sit, exponant. Hæc sublati digitis, ut habet memoria, per iusiurandum polliceri, quantumuis inuiti, coguntur. Ad eundem modum fuit actum etiam deinde cum ludimagistris, cumque Memingensibus. & aliis per Sueuiam, qui & ipsi vocati eod venerant. Etenim & docedi munere & reditu ad suos illis interdicitur. Saxoniam autem dux captiuus, ubi cognouit, per internuntios & consolatatus est, & pecunia quoque iuuuit discedentes.

*Bohe. i. c. 16  
sapiant.*

*Ministri  
Aug. pulsi*

*Bellū Reg.  
in Cæsare.*

Pulli & eiekti, partim ad Heluetios, partim aliò confugerunt. Eius rei fama cùm increbuit, fet, multos perterrefecit. Nam quòd ibi contigisset, quin idem alius etiam in locis fieret, nemo dubitabat. Sed ecce dum in eo metu sunt omnes, bellum Cæsari Galliarum rex facit, & simul naues aliquot Belgicas inuadit, captasque trahit in portum & diripit, & per Pedemonium atque Taurinos oppida multa capit, & in his Cherium atque Sandamianum, ductore Briffaco. Mirum plerisque visum fuit, Regem in hac tanta fortuna Cæsaris atque splendore, ausum fuisse amicitiam ei renuntiare: sed & Cæsari præter opinionem accidisse fertur. Rex autè, quòd per latus Octauii se quoque vulnerari diceret, quòd de Turcis iam mare nauigantibus compertum haberet, deinde quòd de Mauricii voluntate per internuntios accepisset, & quòd in ea corporis imbecillitate, ac subinde recurrente morbo, non diu posse Cæsar viuere putaretur, magno rem animo fuit aggressus. Eodem propè tempore Turcica classis, quum arcem Melitæ frustra tentasset, Tripolim Africæ capit.

Dum hæc geruntur venit concilii dies, calendæ Septembris. Eum ad diem præsto fuerunt præter Italos & Hispanos episcopos, Moguntinus & Treuirensis, magna omnium, vt quidem apparebat, lætitiæ & cõgratulatione: neque multò post, etiam Colonienfis. Pontificis nomine præerat cardinalis Crescētius:



huic erant adiuncti Archiepiscopus Sipontinus, Episcopus Veronensis. Prima die Septembris, & peracta Missa, reliquisque ceremoniis, quæ solent initio fieri, confectis, aderat ex improviso Galliarum regis orator, abbas Bellosanus, cum literis quæ ad conuentum Tridentinum erant inscriptæ. Eas ubi reddidit legato Pontificis, inscriptione lecta, cœptum est disceptari, cur cōuentū potius quàm concilium appellet: non esse recipiendas eas literas, neque legendas, nisi mandatum habere se demonstret. Quinque tumultuosus admodum esset excitatus clamor, ab Hispanis præsertim Episcopis, ac ille diceret, literis comprehendere mandatum, legatus Pontificius consergit, & in sacrarium templi seuocat patres. Re disputata, quòd in bonam partem accipi posset inscriptio, placuit illum esse audiendū. Lectis itaque literis priuatim, quibus & dolorem suum Rex, & iniuriam sibi factam breuiter significabat, & fidem haberi legato postulabat, denuò confederunt omnes. Tum ille prolixam orationem de scripto recitat. His literis perlectis, patres fore dicunt, vt in proximo confesso respondeatur: si quidem conciliū esse Tridenti Rex agnoscat. Quæ verò nunc acta sint, non admittere se, nisi quantum iure liceat: ideòque ne testimonium quidem aut documentum vllum huius actionis ei communicari posse. Altera die Septēbris data sunt

*Lit. Regis  
ad concil.*

*Them. da-  
ta theolog.*

theologis themata, quæ discutiât, & suã quif-  
que sententiam de singulis dicant, vt in futuro  
confessu definiantur. Aderant autem magno  
numero theologi, Hispani, Itali, Germani,  
quos & Pontifex & Cæsar, eiúsque soror Ma-  
ria miserant, quos etiam Colonienfis & Treui-  
renfis, & Hispani atque Itali episcopi secum  
adduxerât. Ad hos deferebatur summa cog-  
nitionis, nec aliis qui nõ essent eius professionis,  
& qui titulũ, vt aiũt, doctoris nõ haberet, pro-  
nũtiare quicquã licebat. Et theologi quidem  
quid sit ipsorũ sententiæ de singulis rebus de-  
mõstrât. Episcopi verò soli, cumque his pauci  
quidã alii mitrati, definiendi potestatiẽ obtinêt:  
quod ita decretũ, sacrosanctũ esse iubet, & ca-  
nones vocât. Hæc ita quidem publicè sũt: sed  
quires Rom. familiarius nouerũt, aiũt omnia  
dogmata Romæ iã antè cõscripta iussu Ponti-  
ficis, ad legatum suo tẽpore mitti, vt præscri-  
ptum illud atque formulã in differendo theo-  
logi sequãtur. Nam ex iis cõplures, ac Episco-  
pos quoque multos alit ibi Pontifex, & ridicu-  
lo puerbio dici solet, Spiritum sanctũ Roma  
subinde Tridentũ venire inclusum manticæ.  
propterea nimirum, quod crebrò Pontifex &  
celeribus equis quid fieri velit, per literas at-  
que mandata suis ibi legatis nunciat.

*Spi. san. in  
manu Põr.*

Septembris die quarta Magdeburgum ve-  
nit Hedecus: per eum Mauricius antea pro-  
positas condiciones ita mitigabat, vt illi per-  
gendũ



gédū esse in actione statuerēt. Interim erāt induciæ, quæ pōst etiam in plures dies extractæ fuerunt. Galliæ rex alienato ab se Pōtifice, *Scrip. reg. Galin Pō.* scriptū edit, & de iniuria sibi ab illo facta, de qua causa belli Parmens. & cur Octauū in suā fidē susceperit, multa locutus edicit, graui constituta pœna, ne qua pecunia Romā deinceps deferatur. Fuit hoc Regis edictū publicè recitatū Lutetiæ VII. die Septēb. cum paucis antè diebus aliud fuisset illius euulgatū in Lutheranos decretū lōgè grauiissimū, quod superiorum annorum eius generis decreta partim cōfirmat, partim vbi nō satis accuratè scripta videntur exacuit, & ad summam sēueritatē nihil reliqui facit, & qui denuntiarint aliquid, magnis propositis præmiis atque pollicitationibus inuitat. Ex aula deinde Cæs. prodiit scriptū, quo belli Parmensis cōmemoratur origo, quāq; iustā habeat Pōtifex causam offensionis in Octau. & Mirandulæ dominū, quanque sit irrequieta mente Galliæ rex, qui omnes vndequaque captet occasiones, eoque totis viribus incūbat, vt Cæs. honestissimos conatus impediat & euertat. Galliæ regis nomine postea responsum ad ea prodiit.

## LIBER XXIII.

**P**acificacionis causa suę ditionis ordines cōscribit Maurici⁹, & sub finē Septēb. Wirt. venire iubet. eò quoq; legatos vt conuenerat, Magdebur. mittit, q. X. pōst die domū redeūt,

ab Alberto Brandeburgico deducti. Suprà diximus, quemadmodū Mauricius datis ad Cæsarem literis, flagitarit, vt nomine cōcilii theologis idoneè caueretur. Cæsar itaque suis oratoribus mandat, vt rem ad patres deferant & perficiant. Cū ergo dies Octobris XI. venisset, fit confessus. In eo primū recitata fuit explicatio doctrinæ, de corporali presentia Christi in sacramento eucharistiæ, de ratione institutionis, de transubstantiatione, quam vocant, de cultu & veneratione huius sacramenti, de asseruanda hostia & ad agrotos deferenda, de præparatione, vt dignè quis eā percipiat. Cū autem in spem veniant, fore, vt Protestantes breui ad concilium accedant, & ad pristinam Ecclesiæ concordiam redeant, largiebantur ipsis tutum itum & reditum: & eorum thematum definitionem in vigesimum quintum Ianuarii diem producebant, vt ante eum diem adesse, ac sua in medium proferre possint. Tunc etiam de sacrificio Missæ, propter vtriusque argumenti connexionem ac afinitatem acturi erant. Quum verò Mauricius eodem planè modo suis vellet cauere, quo Bohemis olim cautum fuisset: hi paucissimis verbis, & admodum neglectè formulam conscripserunt, nullo adhibito signo vel testimonio publico. Postea decretus fuit alter confessus ad vigesimum quintū Nouembris diem, quo de pœnitentia & extrema vnctione tractetur.

Brade-

Decretum  
Triden. in  
Cenā Do-  
mini.



Brandenburgicus etiã Elector Ioachimus, mis-  
 so legato Christophoro Strasio iureconsulto,  
 suum officium & obsequentiam tunc defere-  
 bat. Wirtembergæ tranfactum de bello fuit:  
 & quanquam non statim soluebatur obsidio,  
 tamen amici fuerunt inter eos congressus O-  
 ctobris die XII. Cæsar & Pontifex hortati  
 fuerant Heluetios, vt interessent concilio: sed  
 id frustra fuit. His autem diebus Henricus Ha-  
 sius mandatu Cæsaris per Sueuiam profectus,  
 passim Reipublicæ statum mutat, & nouos  
 instituit Senatores, vt ante annum tertiu Au-  
 gustæ factum fuisse docuimus. Concionatores  
 etiam & ludimagistros, nisi decreto religionis  
 parerent, abrogat, vt nuper Augustæ. Wirtem-  
 bergicus ergo, misis duobus legatis Triden-  
 tum, Ioanne Theodorico Pleningero, Ioãne  
 Heclino, mandabat, vt & illam doctrinæ con-  
 fessionem scripto comprehensam, publicè ex-  
 hiberent, & venturos dicerent theologos, qui  
 copiosius omnia tractent atque defendat, mo-  
 dò iuxta Basiliensis decreti formulam ipsis ca-  
 ueatur. Nouembris die tertia Hedecus à  
 Mauricio missus, venit Magdeburgum, & edu-  
 ctis militum præfectis in vicinum castellum,  
 planè transigit, confectis & obsignatis ea de re  
 literis. Et militi quidem fide publica fuit cau-  
 tum, vt tutò liceat abire. Fuit hoc eius mensis  
 die octauo. Sed mox quum essent exauthora-  
 ti, tacitè retenti fuerunt & rursus conducti.

Magdeb.  
 pacificatio.

Egressis eodem die militibus præfidiariis, qui erant ad duo millia peditum, equites ad centū XXX, Mauricius V. signa peditū introire iubet, & postridie obuiam eunte Senatu urbem ingreditur cū vniuersis copiis, & in Cæs. Imperii, suamque fidē qui dux belli fuisset, omneis adigit: post relicto præfidio cæteros educit.

Magd. con-  
stantia &  
insigne no-  
men.

Maluit sibi Mauricius urbem parere quàm Cæsari, quod ipse post euentus docuit. Ad hunc modum liberati Magdeburgici, præter multorum expectationem summam nominis gloriam adepti sunt apud exteram nationes, quòd propè soli per omnem Germaniam exemplo suo docuissent quid possit constantia.

Per eos dies, quibus erat in vrbe Mauricius, non obscure significabat quid sui esset animi, velle se nimirum etiam sui capitis periculo liberare socerum: nec id postridie diffimulauit, interpellatus à quodam. Legatos iam antea miserat ad Cæsarem, Lantgrauii causa liberandi: Daniæ quoque regem & multos Germaniæ principes in eo sibi coniunxerat, sicut infra dicemus: & nisi impetraret, planè constituerat rem tentare viribus, deque eo cum Galliæ rege pactus iam erat.

His ferè diebus ab Hispanis Genuam appulit cum liberis & vxore Maximilianus gener Cæsaris. Galli Mafsilia profecti, & quasdam eius naues adorti, prædam fecerunt.

Cæ.



Cæsar digressus Augusta, Nouembris initio venit Onipontem, quod tridui via Tridento distat. Hoc & concilii & belli Parmensis causa fecisse putatur, vt in ea sua propinquitate diligentius administrarentur omnia. Paulò post, ad vigesimum primum Nouembris diè, Tridentum venit Argentinensium legatus, Ioannes Sleidanus, vt cum Mauricianis & Wirtembergicis communem causam ageret. Huic autem ciuitati sese cõiunxerant Esslinga, Rauesburgum, Rutelingua, Biberacum, Findauia, & vt ipsorum nomine simul ageretur, potestatem fecerant. Nouembri mense Pontifex, vno eodèmq; die tredecim creat Cardinales, Italos omnes. Hæc enim veluti præsidia sibi, muniendi sui causa comparare solent. Cum XXV. Nouembris dies venisset, factò de more confessu publico, recitantur decreta: Pœnitentiam, esse institutum à Christo sacramentum, & necessarium, iis qui post baptismum in peccata recidunt: esse etiam diuersum à Baptismo sacramentum, & velut alteram tabulam salutis post factum naufragium. Supremam item vnctionem, decernunt esse institutum à Christo sacramentum, quod & gratiam conferat, & peccata remittat, & recreet ægrotantem.

Quomodo suos ad Cæsarem legarit dux Mauricius pro Lantgrauio, dictum est paulò suprâ. Iis autem erant coniuncti Brandeburgensis electoris legati.

Sub initium igitur Decembris admissi, quum suorum principum nomine multã ei salutem essent precati: bene longuam ad ipsum orationem habent. Qua finita Ferdinandi Romanorum regis, Alberti Bauariæ ducis, & Lunenburgensium fratrum literas, pro Lantgrauio scriptas, ei tradunt. Qui verò per legatos intercedebant, hierant principes, Fridericus Palatinus Elector, Wolfgangus Bipontinus, Ioannes Marchio Brandeburgicus, Henricus & Ioannes Albertus, Megelburgii duces, Ernestus Marchio Badensis, Christophorus dux Wirtembergicus. Daniæ quoque rex, missis legatis, in eandem ferè sententiã intercedit.

*Cæsaris ad  
legatos  
responsio.*

Cæsar, interiectis aliquot diebus responderet: quia negocium sit arduum, & deliberationem postulet, deque Mauricio sit interim apud se facta mentio, quasi grauibus aliis de causis breui sit ad se venturus, ita quidem, vt datis ad eum literis, illum indies expectet, idè se, quòd illo præsentem rem commodissimè tractari possit, eòusque velle differre. Non multo post, venit ad Mauriciũ, Lantgrauii filius, natu maximus, Gulielmus: & quoniam intercessionis futuræ spem sibi fecerit, & verò menses nunc aliquot exierint, postquam legati sint iter ingressi, quid actum sit, exquirat. Ille quòd legati Danici paulò serius, & tunc primum aduenerint, cum Augusta Cæsar O Enipontem peteret, moram interuenisse, deinde, quid

Cæsar



Cæsar responderit, ostendit. Agebantur hæc autem ad speciem, consiliariis nonnullis adhibitis, quos instituti consiliique sui minimè conscios esse volebat Mauricius. Hoc igitur Cæsaris accepto responso, statim ad gerendum bellum animum adiecit, & anni solum tempus expectabat idoneum. Ad decimum octavum Decembris diem, Episcopus Varadiensis, Dalmata, nuper factus cardinalis, è medio tollitur, ob suspicionem societatis Turcicæ, domi suæ confossus. Eius cædis author fuit Ioannes Baptista Castaldus, Italus, quem Cæsar iam ante in Vngariam miserat, vt Ferdinandum regem ope consilioque iuaret. Vxor vidua Ioannis Vayuodæ, quum Transsylvaniam agrè se posse tueri videret, pacta cum Ferdinando rege, summam administrationis ei permiserat, & traditis ornamentis, insignibusque regni, in Poloniam redierat. Hac ergò ratione totam penè Transsylvaniam Ferdinãdus occupat, adiutore Varadiensi. Sed quia post ille noua consilia moliri visus est, & dominatum affectare, capitis adiit discrimen. De ministris Ecclesiæ pulsus Augusta, libro superiori diximus. Erant ergò pleraque templa deserta, non absque magna ciuium offensione, qui senatum eius rei putabãt authorem fuisse Cæsari. Quum ergò metus esset, ne quando prorumperet hic æstus, tandem, vbi diu multumque perquisiissent, inuentus est Caspar

*Cardinalis  
Dalmata  
domi confossus.*

Huberinus, qui doctrinæ formulam, à Cæsare præscriptam profiteretur. Milites, tam illi, qui Magdeburgum oppugnarāt, quàm qui defenderant, hyemabant per Turingiam & loca vicina, multumque damni dabant, præsertim Ecclesiasticis, & in his quoque Moguntino, cuius fines ad ea loca pertingunt. Eo commoti Moguntinus, Treuirensis, Coloniensis: & ille quidem, ob acceptum detrimentum, hi verò, quòd eum casum ad se quoque recidere posse videbant, statuerunt redire domum, missis ad Cæsarem ea de re literis, & internuntiis. Cæsar autem, qui magnopere vellet continuari conciliū, Ianuarii die tertio vehemēter eos detestabatur ne id facerent. Paucis antè diebus, Tridentum redierat Monfortus. A deunt igitur eū Wirtembergici, & quemadmodum per Cardinalem atque Toletanum nihil adhuc effecerint, demonstrant: & quoniam ipse cum collegis vicem ibi Cæsaris gerat, sui Principis postulata petunt audiri. Cùm autem ne tunc quidem satis commodè responderetur, illi, re propè desperata, domū cogitabāt reuerti. Septimo Ianuarii die veniūt eò legati Mauriciani, de quibus paulò antè Cæsar perscripserat, Wolfius Colerus, Leonardus Badehornus, iureconsultus. Eorum aduentu recreati fuerunt ii, quos diximus, Episcopi, & Cæsaris oratores imprimis, quòd iam de Mauricio, qui pacis consilia sequeretur, nihil amplius dubitandum crederēt. Tertio die post, quàm venerunt, apud Ce-

M. D. LII

*Mauriciani legati ad conciliū veniunt.*



faris oratores mandata sua proponunt. Initiò  
 commemorant, quemadmodum theologis vè  
 turis non satis idoneè cautum sit à concilio, &  
 hanc esse causam, cur Princeps neminem mi-  
 serit. Verùm, vt id fiat, hæc ipsius esse postu-  
 lata: primùm, vt ad formulam decreti Basili-  
 ensis caueatur iis, qui sint venturi, sicut Bohe-  
 mis cautum sit olim: vt ab actione cessetur in-  
 terea dum illi veniant: vt cùm venerint, ante-  
 acta omnia retractentur, & dies concessui desi-  
 gnatus prorogetur. vt concilium habeatur, in  
 quo nationes omnes atque populi conueniãt:  
 vt ne præsidis autoritatẽ sibi sumat Pontifex,  
 verum concilio se submittat, & iurandũ Ep-  
 iscopis omnibus remittat, quò liberæ sint o-  
 mniũ in cõcilio voces, & minimè præpedita iu-  
 dicia. Illi, & de ipsorũ aduẽtu lætari plurimùm,  
 & ad Patres omnia se relatuos dicebãt. Ex lega-  
 tis nemo Crescentiũ aut eius adiit collegas, ne  
 quid eis tribuere viderẽtur: sed, quoniã vt Cæ-  
 sari mos gereretur, & Imperii decreto satisfac-  
 eret, missi fuerãt, idcirco ipsius oratoribus, qui  
 summus esset ac præcipuus magistratus, vt in-  
 tercessoribus, utebantur. Is, quem suprã dixi-  
 mus, Angliæ regis auunculus, hoc mense, Lon-  
 dini fuit securi percussus, & cum eo quidam  
 familiares. Quin hoc Northumbriæ ducis im-  
 pulsũ fieret, nemo dubitabat. Qui erant  
 prudentiores, iam tunc incipiebant metuere  
 optimo Regi, quem sublatis propinquis, peri-  
 culo magis expositum & infidiis esse videbãt.

Cùm iam futuri confessus immineret dies, Cæsaris oratores, vocatis ad se Mauricii legatis, exponunt, quid in ipsorum causa cum Patribus egerint: Impetrasse qualem optarint fidei publicæ cautionem: intermitti quoque actionem, & extractum iri, dum illi veniant & adesse possint. His ita dictis, Mauriciani simul & Vuirtembergici, & Argētineses, communicato concilio, eius, quam acceperant, cautionis formulam simul expendunt. Et quia Basiliensis decreti singula capita iam antè descripserant, vt essent in conspectu, ea præsertim, in quibus momenta rerum posita sunt, non erat eis difficile, quibus locis hoc ab illo disideret, mox animaduertere. Cùm ergò percurrissent, ilicò deprehendunt præcipua loca partim esse mutata, partim omiffa. Nam in ea, quæ Bohemis olim data fuit, cautione, hæc insunt inter alia: vt decedendi quoque facultatem habeant: vt sacra Scriptura, & veteris Ecclesiæ praxis, & concilia, interpretes, cum Scriptura sacra consentientes, in omni controuersia sint loco iudicis: vt ipsis domi liceat sua sacra perficere: ne quid in ipsorum doctrinæ contemptum aut vituperationem fiat. Biduo post, Patres in domo legati pontificii, mane conueniunt omnes, vnâq; Cæsaris oratores. Hi Vuirtembergicos eò vocant, quod se facturos pridie dixerant. Introducti iubentur exponere mandata. Cùmque suæ legationis fidem, exhibit

*Cautio-  
nis  
formula  
in  
interuersa.*



bito diplomate fecissent, præfati quædam, do-  
 Arinæ confessionem descriptam in medium  
 proferunt, & scribæ concilii tradunt, vti fieri  
 solet. Venturos etiam à suo principe theolo-  
 gos dicebant, qui copiosius omnia tractent:  
 verùm his conditionibus: primùm, vt de par-  
 tis vtriusque voluntate iudices idonei deligan-  
 tur, qui theologorum actionem audiât, de que  
 rebus controuersis legitimè cognoscant.

Eodem die sub vesperum vocati sunt ab iis *Mauricia-*  
 eundem in locû, Mauriciani. Cùm venissent, *noram ad*  
 oratione prolixa sui principis postulata recen- *patresora-*  
 sent, in eundem modum, vt nuper ad Cæsaris *tio libera.*  
 oratores: nisi quòd exitus erat neruosior. Vbi  
 hoc etiam dicebatur, eum, qui vulgò fit in Põ-  
 tificiorum templis, cultum & agendi modum,  
 non esse veram religionem, sed fucum & vm-  
 bram religionis. Postridie, qui fuit Ianua-  
 rii vigesimus quintus dies, fit confessus publi-  
 cus. Auctior tunc erat numerus militum, & ho-  
 minum etiam turba frequentior ex diuersis lo-  
 cis, quòd valde celebrem eius diei futuram  
 putabant actionem. Finitis omnibus ceremo-  
 niis atque sacris, de suggestu recitatum fuit.  
 Protestantium causa rem omnem differri, ad  
 XIX. vsque diem Martii, quem quidem ante  
 diem tempestiue sint adfuturi, quòd sua propo-  
 nant: Paulò post, plerique cœperunt mussa-  
 re, concilium iri prorogatum, & Mauricium,  
 factò cum Galliæ rege fœdere, bellum in Cæ-

sare[m] parare. Subobscurus quidem erat hic ru-  
 mor initio, sed inualescebat indies, ac silentio  
 missus fuit ad Cæsarem Trideto, qui de ipsius  
 voluntate cognosceret. P[ost] etiã à Cæsare qui-  
 dam huius rei causa venit eò: sed tegebatur o-  
 mnia singulari studio. Sub exitum Februarii  
 theologos Norimberga reuocat Mauricius, qui  
 sui ad Cæsarem aduentus excitata iam pridem  
 fama, cum iter ingressus aliquosque processer-  
 rat, domum reuertit, & delectum habere mili-  
 tum instituit, vt proximo libro dicemus. His  
 rebus cognitis, quum crebri superuenirent alii  
 post alios nuntii, neque iam vlla resideret am-  
 plius dubitatio, Moguntinus & Colonien[s]is,  
 ad quem ex inferiori Germania multum erat  
 nuper aduectum alimonie, magna celeritate  
 comparatis equis, vndecima die Martii, prima  
 luce discedunt. Theologos quoque paucis die-  
 bus ad futuros dicunt, qui doctrinae confesio-  
 nem nuper oblatam confessuri, copiosius expo-  
 nant. Interea legati Mauriciani magnis erant  
 in angustiis & solitudine. Nam & calide rem-  
 egisse, & sui principis conciliorum esse conscii,  
 & omnia simulasse putabantur. Cum interim  
 ipsi, neque scire se quicquam eorum qua[m] domi  
 gererentur, nec vllas etiam literas adferri con-  
 firmarent, & qua via domum redirent absque  
 periculo, nescirent. Et quoniam augeri discrimen  
 interposita mora videbant, XIII. die Mar-  
 tii,



vii, magno silentio, quum iam dilucesceret, a-  
 beunt. Nam celeritatem res postulabat. Sexto  
 post die, quam Tridento Mauriciani discesse-  
 rant, venerunt eò theologi Wirtembergici qua-  
 tuor, in iisque Brentius, & Argentinenses duo.  
 Wirtembergicus princeps, doctrinæ confessio-  
 nem, à suis exhibitam, typis interim excudi ius-  
 ferat, eiusque legati, quos dixi, post etiã theo-  
 logi pauca quædam attulerant exemplaria,  
 quæ nonnullis communicata, desiderabantur  
 a multis, quamquam fortasse non omnes eodẽ  
 concilio. Dissidebant tum inter se Patres, nec  
 eodem spectabãt omnes. Hispani enim & Nea-  
 politani & Siculi, & quicumque partium erant  
 Cæsaris, maximè tamen Hispani, & cum his o-  
 ratores, vrgebant imprimis actionem cõtinau-  
 ri. Pontificii autem, quòd Hispanos emenda-  
 tionem aulæ Romanæ moliri crederent, impe-  
 dimentum aliquod inferri cupiebant: & quo-  
 niam Episcopi præcipui Germani iam abie-  
 rant ob ciuiles motus, eandem occasionem &  
 ipsi expectabant, eoque magis, quòd Mauriciũ  
 & confæderatos iam esse in armis, quotidianis  
 literis atque nuntiis perferebatur. Galliæ quo-  
 que rex, per Cardinalẽ Torroniũ de pace dili-  
 genter agebat cum Pontifice: quæ si fieret, quo-  
 niam tunc in armis erat Gallus aduersus Cæsa-  
 rem, nemini dubiũ erat, quin eius quoque gra-  
 tia concilium dissolueretur.

Theologi  
 Wirtem-  
 bergici.

Mauri-  
eius Augu-  
stā deditro  
ne capit.

Calendis Aprilis, Mauricius atque focii, Vindelicorum Augustam obsident, & tertio die deditione capiunt, vt sequenti libro dicitur. Aprilis die quinta, legati Vuirtembergici, vocati in ædes Toletani, veniunt, adductis theologis duobus, vt erant iussi, Brentio, & Ioanne Marpachio, Argentinenfi. Pictavius incipit, & primo quidem de suo studio ac voluntate, deinde de Crescentii valetudine, & quemadmodum, nisi illo præsentē, nihil agere collegæ voluissent atque etiam Patres, demonstrat. Illi quum deliberassent, agnoscere se studium ipsorum atque diligentiam aiunt, veruntamen longè aliud expectasse, magisque certum ad sua postulata responsum, quod suis renūtiarent. Nunc verò, quum ita res habeat, capiendum sibi esse consilium ex tempore.

Postridie, maxima celeritate, nuntii & literæ venerunt, captam esse Augustam, & principes recta contendere ad alpes, vt aditus omnibus & claustra viarum occupent. Itaque mox fuit per agrum omnem Tirolensem, imperata militia, & copiæ conductæ militum, & iussi omnes Oenipontem conuenire. Iam autem omnes abierant Episcopi Germani: solum restabat Spirensis & Monasteriensis vicarii. Eo allato nuntio, statim Episcopi Itali profugiūt, Athesi flumine secundo deuectis impedimentis. His ergo rebus commoti Wirtembergici, quum iam vtrò concilium dilaberetur, oratores,



res Cæsaris adeunt. Et ab his dimissi, meridier discedunt, & horis aliquot post, cardinalis Tridentinus illis occurrit, qui Brixna celeribus equis Tridentum petebat: & quum Wirtembergicos esse audiret, de Brentio percontatus, humanissimis verbis compellat. Biduo post, occurrunt eis Ferdinandi regis filia, quæ per Onipontem petebat Brunecum, quod est ad Venetorum fines in alpihus oppidum. De patribus antea diximus, quomodo non eodem spectarent. Hispani quidem Episcopi videbantur præ cæteris esse diligentiores: ex Germanis quoque nonnulli præ se ferebant, opus esse multa reformatione: sed eorum, qui omnium optimè sentiebant, hæc erat mens, vt Ecclesiæ disciplina & mores emendarentur, vt luxus, ambitio, & parum honesta vitæ exempla tollerentur, vt suam quisque procuraret Ecclesiam, & singuli quidem singulas obtinerent, neque plures vni permitterentur. Ad hæc, cogitabant etiam, vt quidem apparebat, pontificis Romani potestatem intra certos fines includere, nec illius aulæ tantum facultatis in omnis prouincias attribuere. Hæc & id genus alia quædam, reformationis vocabulo comprehendunt, & ea quidem fatentur ad se propriè pertinere, ac emendationem postulare. Sed quantum ad doctrinam pertinet, nec errorem agnoscebant vllum, nec errare posse concilia statuebant, & aduersarios in sua demum castra transituros, cõ-

cil: oque parituros putabant. Ad calēdas Maii designatus fuerat dies cōcessui. Re verò desperata, qui supererant Patres, conueniunt, & propter regum principūque discordias, in biennii tempus concilium extrahunt, & amplius eò, si fortè dissidia non cōponantur. Fuit hoc Aprilis die vigesimo nono, & iam cum Gallie rege Pontifex transegerat. Paucis deinde lapsis diebus, Cæsaris etiam oratores abeunt. Crescentius verò legatus, valetudine detentus hærebat. Qua cœperit occasione Crescentius legatus ægrotare, constitueram silentio præterire, quòd iuspicio erat in eius inuidiam esse cōfictum: sed quoniam ipsius amici ac familiares qui decumbentem aliquando consolati sunt, ita referunt, addendum esse putavi Martii die vigesimo quinto, scribendis literis ad Pontificem valde fuerat occupatus, & laborem ad noctem vsque cōtinuauit. Ibi surgens, vt sese reficeret, ecce visus est illi canis quidā ater, inusitata magnitudine, flammantibus oculis, auribus ad terram propè demissis ingredi, & ad ipsum rectā contendere, deinde sub mensam dilabi. Percussus & obstupescens, vbi demum sese collegit, famulos inclamat qui erant in anteriori cubiculo: iubet ad ferri lumen, & inuestigari canem: quum autem nusquam appareret, ne in vicino quidem conclaui, grauem suscipit cogitationem, & in morbum incidit, vt ante dixi. Moribundus etiam, subinde suis ac-

cla-

*Causa ægrotationis Crescentii.*



clamasse fertur, vt canem, qui lectum conscenderet, arcerent.

## LIBER XXIII.

Quemadmodum in postremo Germaniæ conuentu belli Magdeburgensis administratio, communi concilio Cæsaris & reliquorum ordinum permissa fuerit Mauricio, suprâ diximus. Eo durante bello, quod fuit annum: ille qui copias haberet in sua manu, rationem inire cœpit liberandi Lantgrauii soceri, quum eousque Cæsarem hac de re frustra non semel interpellasset. Chattis igitur per iurandum in suam fidem adactis, & facta pace cum Magdeburgicis, & OEnipontem missa legatione, sicut libro superiori docuimus, Galliæ regem fœdere sibi coniungit, & datis obsidibus vtrinque cauetur, & scriptis editis belli causam explicandam esse placet, vt sibi multorum animos adiungerent. Albertus etiâ Brandenburgicus, clam in Galliam profectus ad regem, huic negotio totum sese dabat. Interea milites, tam ii, qui Magdeburgum propugnauerant, quam qui circumfederant, Mullusii, vicini que in locis hyemabant, multumque damni dabant Nortusianis & Erfurdensibus. Eius rei causam quum Cæsar ex Mauricio, qui totius belli dux fuerat, perquireret, responsum tulit, ob non soluta stipendia tumultum fieri. Hanc enim subiecit causam, quum ei reuera militarent, & tacitè sacramêto deuincti essent.

Mauricio  
pro Lant-  
grauio cura.

*Mauricii  
ad ordines  
literæ.*

Primo statim vere, suis opportunè reuocatis, militum cœpit habere delectus, quos magno si lentio per hyemè collegerat, & ad omneis Imperii ordines euulgatis literis, in rebus humanis nihil sibi tam esse charum dicit atque concordiam: sed imprimis optare se, religionis fieri conciliationem iuxta Prophetarum & Apostolorum doctrinam, cuius quidem rei spè aduersarii saepe fecerint, tum priuatim, tum publicis quoque decretis: sed nihil esse præstitū, & illos non modò secus interpretari iam pollicitationes illas atque decreta, verum etiã tollere in vniuersum atque rescindere. Hoc etiã dixisse, nonnullis, nisi mos ipsis geratur, non esse, quòd superioribus promissis magnopere quis fidat aut innitatur. Etenim tunc, quum illa promiserint, aliam fuisse temporis cõditionem: nunc autem obtemperandum esse. Futurum alioquin, vt in eos, qui recusent, animaduertatur. Nam huc pertinere, quòd concionatores & Ecclesiæ ministros, extra fines imperii passim eiiciunt, & non solùm legitimi, sed ne Pontificii quidem concilii decretū expectant, & ab ipsa statim executione rē ordiuntur: quapropter etiam si mentis & conscientiæ seruitutem hanc armis ab se suisq; depelleret, non sibi posse dari crimini. Alterū, de quo sermonem instituerit, ad focerū Lātgrauū spectare, qui contra fidem datam detineatur captiuus. Tertium, & præcipuū quidē illud, ad omneis, &

ad



ad cōmunem omnium parentē Germaniā pertinere, cuius hercle miserima sit cōditio. Nā cōtra leges atque pacta militem externū adductum esse intra fines Imperii, qui multis nunc annis inueterauerit, & pāssim in agris & oppidis, aliorum fortunas exhauriat, & omne genus libidinis exerceat. Adhæc, inueniri subinde nouas rationes exigendæ pecunię, & priscā libertatem non vno modò labefactari, nec vlli ordini, ne septemuiris quidem Electoribus, in eo parci. Albertus autem Marchio Brandeburgicus, in eandem propè sententiam scriptum edit, & opprimi queritur Germaniæ libertatem ab iis ipsis, qui tueri illam ex officio debebant & aplicare. Galliæ quoque rex, editis literis, hoc potissimum se spectare dicit, vt constituta religione, profit Reipublicæ, maximè autè amicis. Hoc scriptum, typis excusum, & editum lingua populari, præferebat in fronte pileum inter duos pugiones, idque symbolum esse libertatis, ascriptum erat. Deinde suberat titulus regis, qui se libertatis Germaniæ & principum captiuorum vindicem nominabat. Hoc symbolum nonnulli repertū in vetustis numismatis, & à percussoribus C. Cæsaris vsurpatū fuisse dicunt. Hæ Principum, & regis literæ, per Germaniam disseminatæ, spem in aliis, in multis verò sollicitudinem atque timorem excitarunt. Mauricicus, qui dissimulanter ageret omnia, calendis Martii cōuentus agit ordinum

suæ ditionis, & inter alia proponit, quia cite-  
 tur à Lantgrauii filiis, vt se sistat, non sibi lice-  
 re tergiuersari diutius, aut illorū expectatio-  
 nem fallere: discessurum igitur ad illos fidei  
 seruandæ causa. Pareant autē interea morem-  
 que gerant Augusto fratri, quem sibi per suam  
 absentiam legauerit, & ad finium defensionē  
 copias cogant, ne quid imparatis accidat. Re-  
 bus autem domi constitutis, & consiliariis ali-  
 quot adiunctis Augusto fratri, paruo cum co-  
 mitatu contendit ad illas, quas per Turingiam  
 habebat copias, & progressus, Lantgrauii filiū  
 operitur. Lantgrauii filius productis copiis,  
 quum decimo octauo die Martii venisset Erle-  
 bachum, adesset etiam orator Gallicus Fraxi-  
 neus, à Francofurdiis inter alia petūt vterque  
 per literas, ne Cæsaris vllum admittant præsi-  
 dium. Et quanquam illi non satis apertè nec i-  
 doneè respondebant, tamen quia progredien-  
 dum erat, nihil est actum aliud. Sexto pòst  
 die Mauricio sese coniungit. Deinde per Ro-  
 teburgum, Dingelspœlum, Norlingam, ma-  
 gna celeritate petunt Donauerdam. Rotebur-  
 gi sese coniungit ipsis Albertus Marchio Brä-  
 deburgicus, cum suis tum equitum tum pedi-  
 tum copiis. Quacunque transfirent, suam in po-  
 testatem redigunt oppidanos, & iis quos an-  
 tea Cæsar delegerat abrogatis, nouum insti-  
 tuunt magistratum: simul pecuniam illis im-  
 perant



perant atque tormenta. Et quia præsidio non magno tenebatur Augusta: deinde, quòd iis iplis ferè diebus muri pars quædam atque vallicollapsa fuit, maximis itineribus, & vltima die Martii, ne nocturno quidem intermisso tempore pergunt, & calendis Aprilis ad meridiem eò perueniunt, & factis decursionibus hostile signum edunt. Erant in vrbe missu Cæsaris ad quatuor signa peditum: sed quum oppidani quarto post die deditioem facerent, discedendi fuit illis facta potestas. His ferè diebus princeps Salernitanus, per occasione disidii cum Prorege Neapolitano, deficit à Cæsare, Galliamque petit. Dum hæc in Germania geruntur, Gallia rex ingenti cum exercitu progressus, Tullum & Virodunum, ad Gallia fines oppida Imperii capit: deinde Lotharingiam petit, & Principem puerum in Galliam mittit, circiter nouem annorum, quantunuis deprecante matre vidua, suamque filiam in matrimonium ei spondet. Dumque his rebus ipse detinetur, legatus eius Cónestablis, Annas Mómorancius, qui primam aciem ducebat, Metim urbem Imperii celebrè occupat Aprilis die decimo, quum & modicum esset intus præsidium, & Galli multa pollicerentur, & ipsorum libertatis retinendæ causa, Regem arma sumpsisse dicerent. Capta Augusta, & veteri restituto Senatu, quæ Cæsar aboleuerat, iure quoque suffragiorum reddito tribu-

*Augusta  
Prin. de-  
ditur.*

*Salernita.  
deficit à  
Cæsare.*

*Prin. Vl-  
mam obfi-  
dent.*

bus, confederati Principes Vlmam recusantem ipsorum fœdus, contendunt. Quò quum Aprilis die duodecimo venissent, urbem obequitant. Cùmque tormentis peterentur, iniuriarum sibi satisfieri, & aureorum millia trecenta eo nomine postulant, isque denegatis hostiliter agunt. Mauricius autem illinc profectus, Lincium petit Austriæ oppidum, vt de pacis conditionibus ex Ferdinando cognosceret. Is enim de voluntate Cæsaris intercedebat. Deinde Cæsar præcipuos Germaniæ principes literis erat hortatus, darent operam, vt incendium hoc restingueretur, & pacis inirentur rationes, cui minimè sit ipse defuturus.

Aprilis vltimo die Principes ad Danubium reuertuntur, miliaribus aliquot infra Vlmam. Interea Brandeburgicus Albertus Vlmensium vicos & oppida vastat incendiis, & pecuniam extorquet, & ipsorum arcem Helfstænum excelso loco positam capit.

Calendis Maii Lântgrauii filius & Ioannes Albertus Megelburgius Gundelsingam traducunt copias, & totos ibi dies octo Mauricius ab Austria reuertentem expectant. Qui quum venisset, postridie recensetur exercitus ad Lauringam, Ottonis Henrici Palatini oppidum. Nam & huius prouinciam recuperauerant à Cæsare possessam, & episcopum Augustanum finibus eiecerant. Et Palatinus quidem Otto, fœderi sese coniunxit illorum. In  
de

*Ott. Pal.  
recuperata  
prouincia.*



de conuerso itinere petunt alpes. Colligebat interea Cæsar copias ad alpium radices, quæ Rutæ oppido conueniebant. Galliæ rex per Lotharingæ fines cum exercitu venit Tabernas, Maii die tertio, quatuor ab Argentorato miliaribus, oppidum ditionis Episcopi. Postulauerat ab Argentinensibus antea, vti rebus necessariis exercitui subuenirent. Ea de causa missi fuerunt ad eum legati, Sarburgum, septem ab vrbe miliaribus, qui certum frumenti modum atque vini deferrent. Sed Connestablius ferè pro nihilo ducebat quod erat oblatum. Occupata Lotharingia, & vrbe Meti, Argentinenses è vestigio conscripserant ad quinque circiter militum millia, præsidii causa, deinde multa tum publica tum priuata ædificia circum urbem & hortos & arbores, & quicquid omnino vel prospectû impedi-  
 bat, vel hosti poterat commodare, demoliebantur: & qua parte cum primis erat necesse, nouam vrbis munitionem instituebant. Id permolestè Gallis accidit, & in colloquio posteriori Connestablius hoc ipsum ad legatos minimè dissimulabat. Creditur enim spem illos propè certam cõcepisse, vt quemadmodum amicitia quadã ostentatione, Metim ingressi fuerant, sic etiam ab Argentorato non excluderentur. Quum autem scirent munitissimam esse urbem, & tanto præterea studio viderent ad defensionem omnia para-

*Postulata  
Princi. ad  
Regem.*

ri, mutato, vt est credibile, consilio deflexe-  
runt, & Maii die septimo promotis castris Ha-  
ganoam, inde Winseburgum petebant. Huc  
ad Regem venerunt legati à Palatino princi-  
pe, à Moguntino atque Treuirensi collegis,  
à Cliuentiac Wirtembergico, qui reipublicæ  
causa Wormaciæ nuper conuenerant. Eorum  
hoc erat postulatum, vt ab agrorum vastatio-  
ne Rex abstineat, & miseræ multitudini par-  
cat: & quandoquidem libertatis Germaniæ  
causa belligerari se profiteatur, vt sistat exer-  
citur. Eodem ipso tempore, quod fuit vn-  
decimo die Maii, literæ fuerunt ad Regem  
allatæ Mauricii, quibus præscriptū erat quid  
esset actum Lincii: simul petebat Mauricius,  
vti Rex, quem ipse quoque comprehendi vo-  
luisset in actione pacis, explicaret, quibus con-  
ditionibus vellet cum Cæsare pacisci. His ac-  
ceptis literis Rex, cui præter spem hoc acci-  
disse putatur, biduo post castra mouet, & re-  
lictæ Germania Lotharingiam denuò petit.

*Ross. Cap.  
vastat.*

In Germaniam Rege profecto, Cæsaris co-  
piæ Belgicæ Martino Rossemo ductore, Cam-  
paniæ Gallicæ fines longè latèque vastabant  
incendiis. Reuersus autem in castra Mauri-  
cius, alpes vnà cum sociis petit, vt antea dixi-  
mus: & cum propius eò venisset, Gallici ora-  
toris hortatu statuit eos adoriri milites, quos  
iis locis Cæsar cōscribi iusserat. Et cum pedi-  
tatu progressi, ducētis tantum adhibitis equi-  
tibus



tibus, Fieslam contendunt: & quum Ruta non procul abessent, ad viarum angustias deueniunt occupatas à milite Cæsariano, circiter octingentis, cum duabus machinis, quas appellant campestres. Impresione autem facta, quum in eas angustias penetrasent, loco deiciunt hostem, qui fuga dilapsus, iis qui prope Rutam castra fecerant, timorem ac trepidationem adfert. Principes è vestigio secuti, impetum in illos quoque faciunt, ac demùm profligant. Altera luce pergunt ad eam, de qua nõ semel diximus, arcem Erebergum, eamque deditioe facta capiunt: Mauricius deinde magno fuit in discrimine. Quum enim progredi vellet, milites illi quibus præerat Rifebergus, recusabant, nisi stipendium ipsis extarordinarium ob captam arcem penderetur. Id autem iniquũ esse dicebat Mauricius, & simul è sediosis vnũ, qui præ cæteris fortiter clamabat, cõprehẽdi iubet. Ibi verò cæteri omnes non hastis modò, sed tormētis etiã manuariis emisis illũ petũt, ita quidẽ, vt celerissima fuga vix ægrè vitã seruaret. Cæsar autẽ ubi de capto Erebergo cognouit, noctu maxima celeritate tumultuariẽ discedẽs Oeniponte cũ Ferdinãdo fratre, qui persuadẽdã pacis causa nup̄ eò venerat, & per alpes quã Tridẽtũ itur, ad læuã deflectẽs, Villacũ, quod est in Carnis oppidũ ad Drauũ flumen, sese recipit, quum Saxonix ducem, Ioannem Fridericum,

*Seditio in  
castr. Mau.*

*Cæs. fuga.*

*Saxonia  
Dux liber  
tati resti-  
tutus.*

toto iam quinquennio captiuum, paulò ante dimisisset, ne videlicet hostis ad suam gloriam istud referret: quod quidem ipse captiuus etiam minimè volebat. Liber factus, nihilominus Cæsarem, quocunque iret, comitatur.

Vbi venit Onipontem Mauricius, quicquid ibi repertum est rerum Cæsaris & Hispanorum, & cardinalis Augustani, direptum fuit. Ferdinandi regis autem atque ciuium bonis nihil est datum damni. Quum Iunii die septimo principes promulgassent literis, quinto post die, ministros Ecclesiæ loco restituunt, & concionibus denuò præficiunt, summa cum populi voluntate atque lætitia. Prius, quàm Mauricius rediret Lincio, Brandenburgicus Albertus, digressus cum suis copiis, Wolfgango, Teutonici, quem vocant, ordinis magistro, direptionibus & incendiis plurimùm damni dat, & quum ab eo pecuniam exegisset, in Noribergensium fines transit. Exercitus eius erat, equitum ad duo millia, peditum signa vndeuiginti. Quumque responsum, quale voluit, non ferret, à Norimbergensibus, arcem Lichtenauum & adiunctum oppidum diripit, incendit, funditus euertit, æquatque solo, & quum oppidanis pecuniam imperasset, in suam & Georgii Friderici patruelis ditionem illos per iusurandum adigit, & urbem obsidet. Itaque Lätgrauii filius, equitum duas cohortes, quas in Wolfgangum, ordinis Teutonici magistrum ei attri-



ei attribuerat, ilicò reuocat, & ad se redire iubet, maxima cum illius offensione. Truculentū ergo bellum orditur, & vicos illorum ditionis ad centum, castella verò, ciuiumque villas ad septuaginta, simulque templa, quum ea dispoliaffet, syluam insuper, quam habent amplissimam, quæque non ipsis modò, sed & finitimis materiem atque ligna subministrat, incendit, & ad ter mille iugera exurit. Vicinis autem, ex nobilitate, & aliis iam antè, nisi parèrent, bellum denuntiauerat, imprimis autem episcopo Bambergensi & Wirzburgico, quos etiam in hoc rerum statu ad grauissimas condiciones adegit. Et Bambergensis quidem, vt se suamque prouinciam periculo iam imminente subduceret, pacem ab eo maximis iacturis redemit. Nam suæ ditionis oppida & prefecturas ad viginti, coactus fuit ei dare, confectis ea de re literis Maii die vndeuigesimo, simulque clientelas & beneficiarios omneis ei permittit. Wirzburgicus autem aureorum millia ducenta viginti dependit, & simulcius debita, quorum erat summa circiter trecenta quinquaginta nummum aureorum millia, in se recipit & persoluere pollicetur. Pacis hæ fuerunt leges: Sed tandem legatis ciuitatum Sueuiæ & ipsius Mauricii intercedentibus pax inter Albertū & Norimbergicos est constituta his conditionibus, aureorum millia ducenta dependant: tormenta magna sex, instructa rebus omnibus tradant: Principes confœderatos, vt

Bambergē  
sis pacem  
magno redemit.

Rex Gallie  
provincias  
Cæsaris da-  
num dat.

Augustani, favore prosequantur: ipse vicissim illis ablata restituat. Itaque sub vigesimum Iunii diem, vrbis obsidio totius propè Germaniæ celeberrimæ potentissimæque, & rebus omnibus instructissimæ, sed & imprimis munitæ, soluitur. Galliæ Rex, Germaniæ finibus egressus, tripartito demum exercitu Walderfingam venit, quod est ad Saram flumen, Lotharingicæ ditionis oppidulum. Ibi confociatis copiis, vigesimo quinto die Maii progressus, & traiccto Mosella flumine, quum in Luceburgicum agrum venisset, populationibus & incendiis omnia vastat, exemplo Rosseni provocatus, vt quidem ipsi ferebant. Mauricius tractandæ pacis causa Passatium se contulerat, vt diximus. Ibi actione repetita Linciana, Calêdis Iunii, copiosius omnia proponit & explicat, quæ quum ad Cæsarem imprimis pertineant, petit vt iam emendentur, imperiôque sua restituatur dignitas, nec aliis, vt eam ludificent atque despiciant, permittatur. Intercessores, communicatis consiliis, ea postulata nihil habere iudicabant iniqui: sed tamen vt Cæsari & suis constaret honos, & eò facilius persuaderi posset, nonnulla, quæ publici status emendatione attingunt, ad communem imperii conuentum posse referri censent. Erebergo capto, direptòque post Oeniponte, diximus quemadmodum loci Principes, itinere conuerso, per alpes, ad exitum Maii redierint Fief-



Fieflam . Inde profecti , Iunii die vndeuigesimo , cum copis omnibus ad Eistetum castra ponunt , quod est Bauariæ finitimum oppidum Episcopale , magnóque desiderio neque sine sollicitudine Mauricium expectant . Qui cum tandem venisset , quo loco res versaretur , ostendit , & vltima Iunii die per dispositos equos illinc Passauium reuolat , vt ad constitutum diem adesset . Socii verò Principes motis postridie castris , quarto post die Rotenburgum , quod est ad Duberum flumen , Franconiaë vicinum oppidum , perueniunt . Albertus autem Marchio suum institutum nihilo secius vrgebat , & ad pacem adacta Norimberga , nobilitatem etiam & ordines iis locis imperata facere cogebat . Nam etsi communem causam agebat iniriò , sicut edito scripto facturum se professus fuerat , tamen non erat eius foederis , & soluta Vlmæ obsidione , cœpit quoddammodo suum priuatum agere negotiũ , vel quoddã sibi vellet acquirere quicquid belli dedisset fortuna , vel quoddã Mauricii factum improbare , vel quoddã à Gallie rege sollicitatus , aliò spectaret . Deinde in Archiepiscopi Mogútinii fines progressus ad Mœnum flumen plurimum damni dat , incendiis atque rapinis , & ingentem pecuniæ vim ab eo postulat . Cumque nonnulli intercederēt , neque tamẽ de summa cõueniret , Mogútinus , in Rhenũ antea demer

*Albertus  
sibi vni be-  
lum gerit.*

sis maioribus tormentis, quinta Iulii, die discedens, fuga salutem petit. Passauium vbi venit Mauricius ad diem, Cæsaris fuit allatum postridie responsum ad Ferdinandum regem. Is deinde, facto confessu, Cæsarem quidem ait, quid suæ sit sententiæ, scripsisse, verùm in plerisque non assentire.

Sed tamen quò videri possit, quantopere pacem ipse cupiat, & quàm benè consultum esse velit Germaniæ, profecturum se magna celeritate ad Cæsarem, neque dubitare, quin ei persuadeat. Ferdinandus rex, ad diem, qui fuit Iulii dies X III. Passauium reuersus, quæ Cæsaris esset in singulis rebus voluntas, intercessoribus ostendit. Itaque pridie calendas Augusti, præter multorum expectationem, de summa rei transactum est. In reliquis, ad persuadendum comparatis argumētis, hoc etiam erat, cogitet secum, nisi conditiones admittat, quantum ei periculum incumbat & à Cæsare, qui firmissimum iam habeat exercitum, & ab eius patruæ Ioanne Friderico, quæ libertati restitutum, Cæsar propediem sit remissurus domum. Cogitet quoque Lantgrauii filius, in quantum discrimen sit & parentem captiuum & omnem Prouinciã adducturus.

Iulio mense, Galliæ rex, captis aliquot Luceburgicæ ditionis oppidis, vt suprâ demonstrauimus, exercitum in Atrebatas adduxit, sed nulla re memorabili perfecta, quò militem



ex labore & contagione reficeret, copias dimisit, ac domum ipse reuertit, iis locis, quæ cepisset, præsidio munitis & opere. Albertus Marchio, qui Francofurtum sociis aduentantibus, in via sese coniunxerat, relictis illis ad obsidionem, Rhenum petit, & Wormaciam atque Spiram in suam redigit potestatem, imperata pecunia simul & tormentis. Quocunque veniret, sacrifici vel iam antè profugerant, vel mutata veste, professionem & ordinem suum dissimulabant. Et cum per Franconiam aduenteret exercitus, Episcopi vicini ac reliqui eius ordinis præfecti, fuga sibi salutem petebant. In hoc autem ipso temporis puncto certior factus Albertus, ad pacem spectare Mauricium, relicto Spiræ præsidio, Francofurtum rediit cum copiis, & obsidionem, à qua Mauricius, facta iam pace discesserat, vrget, positis castris ad diuersam oppidi partem, cis Mœnum flumem, loco paululum editiori, vnde tormentis commodissimè res agi poterat. Pacificationem autem hanc indignissimè tulit, deque Mauricio loquebatur admodum odiosè, neque voluit comprehendì. Molestè quidem Rex transactionem tulit: sed quum Lantgrauio magnum esse periculum audiret, nisi pactio fieret, assensit, & obsides in Germaniam saluos remisit.

In hoc tempore, Senenses, Galliæ regis impulsu & auxilio, præsidium Hispanorum eiciunt, & arcem ibi cœptam ædificari mandd.

*Albertus  
presbyte-  
romanus.*

datu Cæsaris, diruunt, & in libertatem sese vindicant. Albertus interea maximam pecuniæ vim ecclesiasticis imperat, Moguntinis præsertim atque Spirensibus. Quæ ea dari non posset, plerisque fuga dilapsis, vtriusque vrbis templa dispoliat, tectum quoque plumbeum templi primarii Spirensis demoliri cœpit, deprecante verò Senatu, destitit. Idibus Augusti, Colonienfis archiepiscopus Hermānus, iam etate grauis, in patria vitam clausit, & qualem expetiuit finem, habuit. Nam aut Euangelii propagare doctrinam, & rectè constituere suæ ditioris ecclesias, aut priuato sibi vñuere licere, non semel optauerat: & ab amicis aliquādo monitus, quantum inuidiæ sibi conflaret ex ista religionis mutatione, respondere solebat, nihil esse, quod inopinanti posset accidere, seque iam pridem in omnem casum obfirmasse mentem.

*Hermanus pius archiepi. moritur.*

Lantgravius è custodia dimissus, vti conuenerat, & domum proficiscens, vbi Traiectum venit, Mosæ vicinum oppidum, Mariæ reginæ mandatu quæ tum aderat, denuò sistitur, & Hispanis datur in custodiam, iis, qui totum iam quinquennium ipsius fuerant custodes. Eius autem rei causa fuit, quod Rifebergus, qui Lantgravi filio militauerat, cum suis copiis omnibus ad Albertum trāsisset. Qua quidem re pacem esse violatā regina dicebat.

Quum



Quum ad Treuiros Albertus aduētare, Georgius Holius, è Cæsarianis ducibus vnus, militum signa decem adduxerat, vrbs defendendæ causa. Verùm ab oppidanis exclusus, qui præsidium recusarent, Lucēburgum copias reducit. Albertus autem Augusti die vigesimo septimo deditioem sibi fieri postulat: altero die receptus, militem per urbem & loca vicina distribuit. Cæsar dies aliquot Augustæ commoratus, eum, quem Principes confederati nuper constituerant, Senatum, & vnà tribus omneis abrogat, & priorem Reipublicæ formam, & Senatum ab se constitutum restituit, & è ministris Ecclesiæ treis remouet, aliis autem, vt iuxta confessionis Augustanæ formulam doceant & agāt, permittit. Ea res pro concione recitata, magnam excitauit lætitiā. Quo die Cæsar Augusta discessit, humanissimis verbis, & prolixè de sua beneuolentia pollicitus, Ioannem Fridericum Saxonie ducem ab se dimittit, qui & postridie domum versus proficiscitur. Lantgrauius etiam, quarta Septembris die dimissus, domum sexto post die reuertitur. Cæsar, Wirtembergensis agri fines egressus, tenebat iter Spirense: verùm vbi Brettam venit, quod est oppidum Palatini principis, mutato consilio, deflectens ad læuam, Argentoratum petebat. Quum igitur decimo quinto Septembris die, quendam in vicum milliare vnum ab vrbe venisset,

dd. ii.

*Saxonie  
Dux do-  
mum di-  
mittitur.*

copiis omnibus per agros huc illuc circumfusus, in diem quintum ibi permansit: & prima luce iusso progredi exercitu, ipse non magno cum comitatu, sub meridiem venit in urbem, nunquam antè visam, amanter & honorificè exceptus à Senatu. Galli interim, ductore Guisio, Metim & Nanceium imprimis muniunt: frumentum etiam omne atque pabulum ex agris ed conuehunt. Mensis Octobris die decimo septimo, Caspar Hedio, præcipuus tunc Argentinenſis eccleſiæ miniſter, mortem obit. Eodem quoque die, Conigſpergii, quod eſt Prusiæ oppidum maritimum, è vita decedit Andreas Oſiander. Cæſar Haganoa Landauium petit, & ibi ſupra dies ſexdecim commemoratus, pulcherrimo cælo, non ſine multorum admiratione, tandem iter ingreditur Metenſe, & ad vigefimum ſecundum diem Octobris urbem obſidet. Plerique ciues ac ſenatores, permiſſu Gallorum, diſcedunt, alii in Lotharingiam, alii verò Argentoratum. Erat tum in Lotharingiæ finibus, ad oppidum Pontamoſſum, Albertus Brandeburgicus, cum quinquaginta ſignis peditum, & equitatu non paruo. Quùmque de ſtipendiis tam præteriti quàm futuri temporis inter ipſum Galliæque regem non conueniret, interuentu quorundam reconciliatur Cæſari, qui & culpam omnem ei condonat, & actionem in eum inſtitui belli cauſa, vetat, & tranſactionem cum Epifcopo Bambergenti

*Cæſ. Metim obſidet.*



bergenſi factā atque Wirzburgēſi, confirmat. Eo cognito, Guiſſi principis frater Aumalius, qui magno cum equitatu miſſus erat in Lotharingiam à Rege, ne quid Albertus, de quo dubitabant, damni daret, ſtatuit eum adoriri. Pe-  
dites pugnam detrectabant ob non ſoluta ſtipendia. Salus ergò tota pende-  
bat ab equitatu, quos amicé compellans Albertus, & ad virtutem cohortatus, impetú in eos facit. Probabat hominis conſilium fortuna: perrumpens enim per mediam aciem, diſſicit illos & in fugā dat præcipites, tametſi numero longè ſuperarent, plurimis & quidem ex nobilitate interfectis. Aumalius, tribus acceptis vulneribus, capitur. Hoc ipſo tempore Cæſaris exercitus Belgicus populatur Galliam, & arcem iis locis munitiſſimam Heſdinum capit, quam aliquod poſt tempus Gallix Rex deinde recuperat, & miſſis in Germaniam literis acerbè Cæſarem perſtringit, & vt ſecum amicitiam colant, accepti beneficii memores, ac reſtitutæ ſua nimirum opera libertatis, hortatur.

Faciebat tunc bellum Henrico Brunſuiceniſi Volratus Manſfeldius, Alberti filius, eumque totis propè finibus eiecit. Henricus ergò Metim in caſtra venit ad Cæſarem, deque ſua fortuna conqueſtus, opem implorat: ſed id fuit alieno tempore. Galli Meti circumſeſſi à Cæſare, crebras faciunt eruptiones, præfertim in Alberti caſtra. Erat autem hyems  
dd. iiii.

*Albertus  
Gallos  
vincit.*

*Henricus  
Brunſuicē  
ſiſ iterum  
ſuis fini-  
bus eie-  
ctus.*

asperrima & niuosa: & quanquam ingentem habebat exercitum Cæsar, ab oppugnatione tamen abstinuit, & cuniculis demùm rem tentabat: sed id frustra fuit, quum & anni tempus impediret, & hostis per indicium id accepisset. Hyemis intemperie Cæsar coactus, re desperata, sub exitum Decembris obsidionem soluit. Ex contagione autem atque frigore desiderata fuit propè tertia pars exercitus: Galli vigesimo secundo Ianuarii die supplicationes Meti faciunt ad templa Diuorum, ob rem bene gestam. Postridie conquiruntur libri Lutherani per ciuium domos, & à carnifice palàm exuruntur. Ad exitum Februarii mensis, Gallia Rex, cui iam creuerat animus ob defensam Metim, scriptum euulgat typis excusum, ad Imperii ordines omneis, aculeatum imprimis, & infestum Cæsari. Nam & in odium conatur illum & contemptum etiam adducere. Ioannis Friderici atque Mauricii principis legati conueniunt, vt ipsos conciliant. Nam ille suis in literis atque moneta, quã cuderet, Electoris nomen & gladios binos transuersos, quod est electoratus insigne, sibi vsurpabat, & Gotham arcem, permittente Cæsare, rursus muniebat. Id autè grauitertulit Mauricius, & ad suos ordines de eo querimoniam habuit. Horum erat omnium sententia, rationes ineundas esse pacis. Itaque missi fuerunt legati, sicut diximus, verùm frustra.

Quum

M. D.

LIII.

*Gall. Regis  
scriptum in  
Cæsarem.*



Quum reiectis pacis conditionibus Hedelberga profectus Albertus cogeret exercitum, Bambergicus & Wirceburgensis alteras obtinent à Camera literas. Iis & Moguntino & Palatino, & Mauricio, & Prussiae magistro, & Ioanni Friderico & Wirtembergico & Lantgrauio & Norimbergicis atque vicinis omnibus mādatur, vt opem illis ferant: fuit hoc Maii die secunda. Mauricius, qui alioqui suspectum haberet Albertum, & hoc bello se quoque crederet oblique peti, muniendi sui causa, fœdus cum Brunsvicensi facit, & Episcopis atque Noribergicis opem promittit. Interim Albertus, conductis copiis progreditur, & per Episcoporum atque Norimbergensium fines omnia vastat incendiis atque direptionibus, & Bambergam, oppidum regionis primarium capit, & nobilitati Franconicæ bellum indicit, nisi morem ipsigerant, & Schuinfurtum Imperii oppidum occupat, præsidioque munit. His ipsis ferè diebus, Laugingæ, iussu Cæsaris, conueniunt Bauarus & Wirtembergicus vna cum aliis, vt Oettingenses Comites, parentem atque filios pacarent. Nā inde à bello Smalcaldico, Ludouicus pater, & filius eiusdem nominis, ad obsidionem vsquē Metensem, incertis vagabantur sedibus, quòd contra Cæsare militassent. Possessiones autem omnes tenebant permissu Cæsaris, Fridericus atque Wolfgangus filii, diuersæ religionis ab illo. Quum ad actionē ventum

D. iiii.

Alberti di  
rptiones  
incedia

esset, pater, summæ ingratitude illos accusat: & licet diligenter elaborarent Principes, nihil tamen potuit constitui..

## LIBER XXV.

**V**T his turbis atque motibus Germaniæ, remedium aliquop adhiberetur, Imperii conuentum Cæsar Maio mense indicit ad idus Augusti: & quum inde ab exitu mensis Aprilis, Terouennam obsedisset, Morinorū oppidum, Gallicę ditionis, vigesimo Iunii die oppugnatione capit, diripit, incendit, diruit. Captus in eo fuit Connestablii filius. Angli, missa legatione splendida, pacem aliquot iam mēsis sollicitabant. Idem faciebat Pontifex, verum id frustra fuit. Bellum gerebatur etiā tunc in Pedemontio & Hetruria. Cæsar enim cogitabat recuperare Senas, Neapoli missis eò copiis, ductore prorege Petro Toletano. Belligerante per Franconiam Alberto, Mauricius atque socii exercitum eò mittunt. Albertus igitur, relicto Schuinfurti & aliis in locis præsidio, quum passim extorsisset pecuniam, multis è Norimbergica ditione simul & Bambergæ secum abductis captiuis obsidibus, in Saxoniam magna celeritate contendit. Copiæ Henrici Brunsvigii, quæ in Franconiam profectæ fuerant ductore Philippo filio, quum Schuinfurtum frustra tentassent, ac domi periculum esse viderent, Saxoniam repetunt. Idem faciunt Mauriciani, quibus præerat Hedecus, & prope

*Bellum in  
Pedemontio.*



pe Northufum Mauricio feſe coniungunt. Tandem omnibus coniunctis copiis, in agro Hildeſſemendi caſtra ponit, ad Oſterodum, & Calendis Iulii, nō ipſe modò, ſed & Bohemiæ Cancellarius, Henricus Plaius, Ferdinãdi regis nomine bellū ei denuntiant, ac mittūt literas. Perlectis literis, ipſe rem cum ſuis comunicat, & an ſecum velint periclitari fortunam, rogat. Confirmantibus illis, adoleſcentem nobilem, qui literas attulerat, accerſit, & ad eum ſer mone conuerſo, Princeps, ait, tuus, iam antè ſi dem ter violauit, & ſceleratè egit, & hoc quartum eſt facinus eiufdem generis. Veniat: experiar quid poſſit: hoc illi meo nomine renuntia. Sic locutus, aureos aliquot ei dono dat, vti fieri cōſueuit, & dimittit. Norimbergenses interim & Epifcopi, per abſentiam Alberti, in ditionē eius inuadunt. Ille, diuulgatis literis, acerbè criminatus erat Norimbergicos, quaſi fidē atque pacta violaffent, & inito foedere cum perfidiolis Epifcopis Pontificiam doctrinam rurfus amplecterentur. Ad hæc illi poſt, edito libro reſpondent, & ordine rem omnem, inde ab anno ſuperiori commemorant. Eduardus ſextus, Angliæ rex, indubitata & ſummæ ſpei Princeps, Iulii die ſexto, vt quidem in vulgus editum fuit, è vita decedit, morbo tabifico, circiter annorum ſexdecim adoleſcens, maximo certè piorum hominum dolore. Nam eius interitum eſt maxima ſecuta

rerum Angliæ commutatio, sicut infra dicitur. Diuulgata fama fuit interiisse veneno. Certè, tantæ regem expectationis, Europa, seculis nunc aliquot nullum habuit. Inde à teneris annis optimè formatus & institutus ad pietatem atque literas, non Latinam modò, sed Græcam & Gallicam quoque linguam nouerat, & Euangelii doctrinam vehementer amabat, & doctis omnibus hospitium dabat atque patrocinium, Germanis, Italis, Gallis, Scotis, Hispanis, Polonis. Quum iam non longè distiderent ambo exercitus per Saxoniam, & Albertus Visurgim flumen transisset, nona die Iulii post meridiem summis copiis prælium committitur. A multa dimicatione, penes Mauriciū, qui vinceret equitatu, fuit eius diei victoria, sed ipse tormento manuario traiectus ad illa, biduo post vitam finit: Albertus Hano-briam peruenit incolumis. Desiderata sunt ad quatuor circiter millia, plerique omnes equites: captiuorum ingēs fuit numerus. Henricus Brunsvicensis eo in cōflictu duos amisit filios, Carolum & Philippum. Galliæ rex, noua tunc agitasse concilia cum Mauricio, deque illius interitu non parum indoluiffe fertur. Mauricius ergò vitam quidem ipse profudit, sed Alberti tamen vires atque robur admodum fregit. Nam ab eo prælio vix vnquam ille potuit vel mediocres recolligere copias. Inter Mauriciū & Albertum, cum essent æquales, maxima



maxima semper fuerat necessitudo, sic ut nihil esset illis coniunctius. Tribus enim bellis ambo simul Cæsari militarunt, Gallico, Smalcaldico, Magdeburgico, deinde, quartum atque postremum hoc in Cæsarem susceperunt. Sed natis offensionibus, ut dictum est, hunc tam funestum habuit exitum ipsorum amicitia. Cæsaris exercitus, Terouenna diruta, progressus è Morinis in Attebates, arcem Hefdinum Julio mense vi capit. Interfectus ibi fuit Oratius Farnesius, Galliarum regis gener: ex nobilitate multi capti fuerunt, & inter hos primi nominis, Galliarum Marefcalus Marchianus, Arduennæ sylvæ incola. Sub initium Augusti mensis, domum è Dania reuersus Augustus Mauricii frater, aliquot post diebus re deliberata cum suis, in fidem suam adigit omnem populum, & in his, Wirtembergenses, ut sibi suisque liberis masculis additi sint: & si nulli supersint, in Ioannis Friderici & liberorum eius ditio- nem redeant, si quidem Cæsari pareat ille, & superiorum annorum pacta seruet: sin minus, ut tum Lantgrauio sint fideles. A morte Mauricii, Ioannes Fridericus ex filiis alterum, Ioannem Gulielmum misit ad Cæsarem in Belgium, ut sua recuperaret. Eodem ferè tempore mittebant etiam eo legatos, per absentiam Augusti, nobilitas & reliqui ordines, ut ipsorum principem Cæsar habe-

Oratii  
Farnesii  
mors.

Novē Lug  
duni excu-  
si ob E-  
uangelium

ret commendatum. Ad Ferdinandum etiam & Daniæ regem Ioannes Fridericus eisdem propè de caulis miserat legatos. Hisce mensibus rapti sunt ad supplicium Lugduni, novem, quum ex iis nonnulli per annum & amplius eò fuissent captivi. Ex iis quinque literis nauarant operam Losanæ, natione quidem Galli: sed sumptu Bernatum atque liberalitate, quorum est ditionis Losana. Quum ergo captos audirent, & ipsorum intelligerent periculum, diligenter ad Regem intercedunt, eòsque sibi donari petunt. Sed id frustra fuit, quum id sibi per leges non esse integrum Rex diceret. Extincto Angliæ rege, quod fuit Iulii die sexta, sicut antè dictum est, quarto post die, Ioanna Suffolcia regis Henrici proneptis è sorore, pronuntiatur regina, simulque de scripto recitatur, quemadmodum Eduardus de consensu procerum grauisimis de caulis Mariam & Elisabetham sorores exhæredarit, & regni successionem ad Ioannam transmiserit. Tulit hoc indignissimè populus, & omnis nobilitas, non tã studio Mariæ, quàm odio Northùbrii ducis, quum nemo ferè dubitaret, quin huius esset author ipse cõsili, nimirum vt hac via regnum tanquam in suam domum deriuaret. Dum hæc geruntur, Maria confugit in Norfolciam ad castellum Framingam, & opem implorans, pro Regina sese gerit. Eo cognito, Northumbrius cogit copias, & Londino



dino profectus, de reliquorum assensu illam petit, vt comprehendat. Sed interim qui erant in vrbe consilarii, quum offensionem ordinum non ignorarent, & per Norfolciam magna manus ad Mariam confluerent, mutata voluntate, Mariam eligunt reginam, & Ioannam asseruant custodia. Quod vbi peruenit in castra, plerique omnes, quoniam inuiti militabant, & illum alioquin oderant, deficiunt, & alatis Londino literis atque mandatis, Cantabrigiæ captum Northumbrium die vigesimo quinto Iulii mensis in urbem adducunt. Incredibile est quibus conuiciis atque probris eum populus acceperit, dum alii proditorem, alii parricidam & Regis innocentissimi carnificem vocant. Postea Londinum regina Maria venit, & arcem ingressa, quam Turrim ipsi vocant, Norfolciæ ducem iam propè septem annis captiuum, & Vintoniensem, & Dunelmensem Tonstallum, & quosdam alios pontificiæ religionis, ab episcopali functione remotos, è carcere liberat, & loco restituit.

Augusti mensis die vigesimo secundo, Northumbrius læsæ maiestatis damnatus, capite mulctatur. Alius quidam eodè répore securi percussus, vir equestris ordinis, Thomas Palmerus, Euangelii doctrinam maxima constantia profitebatur. Cantuariensis non multò post in carcerem ducitur, & Archiepiscopus alter Eboracensis: item Londinensis Radlæus,

*Maria declaratur  
reg. Ang.*

*North. capite  
dam-  
natus.*

*Thomas  
Palmerus.*

Vigorniensis, & alii quidam Episcopi, propter Euangelii professionem, & conciones in Mariam habitas iussu consiliariorum, priusquam regnum obtinuisset. Capitur etiam Hugo Latimerus, quem rex Eduardus à patre captum propter doctrinam è vinculis exemerat. Petrus Martyr interim, etsi periculum suum intelligebat, tamen quòd in leges regni nihil commiserat, innocentia sua fretus, non sibi discedendum putauit, nisi impetrata dimissione. Cùm igitur id obtinuisset, literis publicis acceptis, manu Reginae subscriptis, Antuerpiam, inde Coloniam, post Argentoratum, vnde profectus in Angliam fuerat, saluus peruenit, & paulò ante eum Bernardinus Ochinus.

Ad calendas Octobris Maria deinde inauguratur regno: neque multò post inchoatum Londini fuit comitium. Post praelium illud quo Mauricius fuit sublatus, Henricus Brunsvicensis & Albertus, pro se quisque sese colligunt, & copias restaurant. Albertus Brunsvico suas educit copias: & quum in hostem incidisset, quod fuit non procul ab vrbe, manus conferit: sed numero victus, præsertim cùm ipse nullum, Henricus autem ad vincti signa peditum haberet, in fugam cõiicitur ac profligatur, tametsi cruentam hosti victoriam reliquit. A praelio Brúsvicum redit. Turcicæ classis se coniunxerãt Galli duces aliquot, Mafsilia pro-



profecti: & his ferè diebus Corsicā insulā, quæ *Corfi. in-*  
 Genuatum est ditionis, capiunt, oppidis ali- *sula capi-*  
 quot exceptis. Per hāc ætatem pestilentia *tur à class.*  
 vis magnam edidit stragē Lutetiæ, atque inte- *Turcia.*  
 rim propter Lutheranismū multi fuerunt ex- *Magne*  
 usti. Rex in delitiis quandam habebat, cuius *Seneschale*  
 maritus olim fuerat Normanniæ præfectus: *apud Reg.*  
 eius mulieris viduæ generi erant Aumalius & *authoritas*  
 Marecallus Marchianus, ambo captiui, sicut  
 diximus: & ab Aumalio quidem Albertus po-  
 scebat aureorum millia centum: sed id erat su-  
 præ illius facultates. Itaq; fama pererebuit, illā  
 quæ nihil non posset apud Regem, vt sine suo  
 dispendio pecuniam conficeret, & generos li-  
 beraret, impetrasse, vt Rex ei largiretur eorū  
 possessiones atque bona, qui propter Luthera-  
 nismum essent damnati capitibus. Nam Galliæ  
 fert consuetudo, vt nō vitam modò, sed facul-  
 tates etiam Rex auferat condemnatis. Quum  
 igitur hæc esset obiecta præda, multis aiūt fuis-  
 se creatum periculum. Equidem hoc affirma-  
 re nolim, sed vsuuenit nonnunquam in Gal-  
 liis & aliis in locis, vt hominum innocentium  
 sanguis non modò voluptati, sed etiam quæ-  
 stui sit nonnullis.

Ad decimum octauū diem Octob. instituta  
 fuit Lōdini iussu Regiæ disputatio, de præ- *Disput. in*  
 sentia Christi in sacramento, quod vocant al- *Anglia.*  
 taris. Agitata res fuit per sex dies, non sine con-  
 tumeliis, cūm ex Pontificiis quidā, cuius erāt

*Seruetus  
Genevæ  
exustus.*

*Iac. Stur.  
obitus.*

*Vercelle à  
Galdirep.*

*Soly. filii  
sui strangu.*

præcipuæ partes, theologus Westonus, parum  
ageret temperanter. Sub finem Octobris,  
Genevæ sumptum est de Michaelæ Serueto  
Hispano supplicium. Is multis ab hinc annis  
varios ediderat libellos, inter alia de Trinitate,  
prorsus alienos à sententia totius Ecclesiæ.

Octobris die penultimo Iacobus Sturmius,  
vir longè & prudentissimus & integerrimus,  
ac planè decus nobilitatis Germanicæ, pro-  
pter eximias animi dotes & doctrinam insi-  
gnem è vita decedit Argentorati, quum ex fe-  
bri quartana per tempus bimestre decubuis-  
set. A Etatis annum excesserat tertium & sexa-  
gesimum. Ad hoc tempus Galli ex Pede-  
montio clàm profecti, Vercellas Taurinorum  
oppidum, quod Hispani tenebant, ex impro-  
vifo per insidias capiunt: sed quòd in ea pro-  
pinquitate agri Mediolanensis ægrè illud pos-  
se defendi crederent, aduentaret etiam cum  
copiis Gonzaga Cæsaris legatus, direptione  
facta, domum opportunè sese referunt, onusti  
præda. Non multò pòst & Venetiis & aliù-

de nunciatum fuit atque perscriptum, de Tur-  
carum Imperatore Solymano, qui filium suum  
natum maximum, Mustapham, propter suspi-  
tionem proditionis & violatæ fidei, strangu-  
lasset ipse. Ferunt secundæ vxoris impulsu,  
quæ filium suum augeri cuperet atque paren-  
ti succedere, factam esse cædem. De archie-  
piscopo Angliæ Cantuarési dictum est antea.

Is



Is & Ioanna regina, cum tribus filiis Northūbrii ducis producti in publicum Nouembri mense, damnati sunt capitis, ob intentatum læsæ maiestatis crimen: sed pro regionis consuetudine reducti sunt in carcerem, & deprecantibus nonnullis asseruati. Solicitantibus Episcopis atque sociis, Albertum Brandeburgicum Camerae iudices, ceremonia solenni calendaris Decembris proscribunt, vt publica quietis & Imperii perturbatorem, dimissis huc illuc literis & affixis palam, ipsiusque vitæ & fortunas omnium prædæ permittunt.

Per Angliam agebantur hoc tempore conuentus omnium ordinum: & quoniam Eduardo rege facta fuerant decreta de cœna Domini, de ceremoniis & sacramentorum administratione, de coniugio sacerdotum, de Episcoporum electione, de constituendis Ecclesiæ ministris, de formula precatationum, & id genus aliis rebus, cautum hoc in conuentu fuit, ne quid ea decreta valerent: sed vt eam sequerentur omnes religionem, quæ fuisset à Henrico rege moriente relicta: deinde, ne sacrificiis & Ecclesiæ ministris, qui deinceps constituentur, vlla fiat molestia: diuortium quoque Catarinæ, quæ Mariæ mater fuerat, illicitum fuisse pronuntiat. Ad hæc, de matrimonio Reginae fuit agitatum inter Oprimates aliquot, ac placuit eam desponderi filio Cæsaris Philippo. Tulit hoc indignif-

*Alb. à Camera pro-*  
*scripius.*

*Edua. reg.*  
*edicta ir-*  
*rita sunt.*

*Regi. Ang-*  
*lie despo-*  
*detur filio*  
*Cæsaris.*

simè populus, & ex nobilitate complures: & communicatis inter se consiliis, rebellionem faciunt. Huius erat dux præcipuus & author, Thomas Viatus. Is per Cantium excitata seditione, graues habebat conciones & acerbas in reginam atque consiliarios, quòd externis nuptiis perpetuam & miserrimam seruitutem Angliæ compararent: deinde, quod extincta vera religione, pontificiam denuò stabilirent.

*seditio in Anglia.*

*Oratio reginæ ad Anglos.*

Regina venit Londinum, & oratione habita valde criminosa in Viatum, quid illius consilii sit, ostendit, & suam in ipsos charitatem exponit, & de matrimonio nihil se statuisse dicit, nisi de consilio procerum. Quum ad hunc modum eos placasset, vrbis defensionem quosdam constituit, & Comitem Penbrucum designat, qui foris rem administret. Iam antè Viatus erat voce præconis denunciatus hostis & regni proditor. Suffolcius quoque iubetur in perduelliū haberi numero. Et quū eodem die coniurati propius ad urbem accederent, Regina pontem, quo Thamefis est cōstratus, rescindit, ne quis ad ipsos transfiret. Postridie, suburbium illi occupant, fore putantes, vt oppidani sese ipsis coniungeret: verum præsidio continebantur. Interea Suffolcius in diuersa regni parte capitur, ductore Huntingtonio, quem eò Regina cum equitatu miserat.

Biduo



Biduo ad urbem consumpto, coniurati, quum ea parte frustra molirentur, conuerso itinere, miliaribus aliquot supra Londinum, Thamesim traiciunt, & urbem rectà petunt. Ibi tandem Viatus, ab iis copiis, quas ductore Penbrucco Regina emiserat, interceptus cum sociis, in carcerē abducitur. Die verò Februarii duodecimo. Northumbrii filius, Guilfordus Dudlæus, & ipsius vxor Ioanna, Suffolciæ ducis filia, quam Eduardo regi summissam fuisse Reginā diximus, capite mulstantur, quòd contra legitimam successionem ad regnum aspirassent. Ioannæ fortem plerique omnes miserabantur, quòd innocentissima puella, & liberaliter educata, literisq; culta tantam in calamitatem incidisset, non sanè alia de causa, quàm quòd regnum oblatum non repudiarat. Orationem habuit ad populum valde piam ac modestam, & Dei misericordiam implorans, per Iesum Christum, puellis pedissequis administrantibus, linteolo sibi tegit & obuincit oculos, carnifici deinde ceruicem præbet feriendam.

Posthæc Londini & Vestmonsteri, vbi Regina tum erat, plurimi rapiuntur ad supplicium, & quidem ex nobilitate non pauci. Quidam etiam elapsi, & in his primi nominis Petrus Carrus, ad Galliæ regem confugiunt. Dux quoque Suffolcius, Februarii die vigesimo primo capitis pœnam luit, quum

*Viatus ce-  
ptus in vi-  
cula conii-  
citur.*

*Ioanna ce-  
pite plecti-  
tur.*

*Dux Suf.  
capitis pœ  
nam luit.*

*Io. Frider.  
& eius v-  
xoris mors*

*Vxo. duc.  
Sax. pietas*

ante diem quartum fuisset damnatus. Dum hæc in Angliæ geruntur, Sibilla Cluensis Ioannis Friderici Saxonie ducis coniunx, Februarii die vigesimo primo moritur Vinariæ: & vndecimo post eam die, princeps ipse, cum aliquandiu decubuisset ægrotus. Decefferunt vterque in vera Dei cognitione: & ipse quidem, dum vxori sepulchrum in æde sacra paratur, iusserat sibi locum aliquem ad latus illius referuari, quod breui secuturus esset. neque fefellit eum opinio. Nam Martii die tertio sub horam decimam ante meridiem, cum ex lectulo concionem audisset, implorata numinis Diuini misericordia, suumque spiritum Deo commendans, ex hac ærumnosa vita cælestem in patriam emigravit. Iam verò transactum erat inter eum & Augustum ducem. Eam transactionem Ioannes Fridericus decumbens, non multò ante vitæ finem scriptura & signo suo confirmavit, & vt idem filii facerent iussit. Itaque forti animo superatis omnibus malis & ærumnis in quas erat coniectus, non in carcere, neque militis externi custodia, cui destinatus erat, verum illustri Dei beneficio liber factus, & domum ad vxorem, ad liberos & sacra sua reuersus, extremum diem placidissimè clausit, & filiis populoque suo pacem ac ocium reliquit. Vxor etiam voti facta compos, terrestre domicilium hoc deseruit. Nam sæpenumero dixerat æquissimo se morituram



rituram animo, si modò coniugem sibi videre prius liceret liberum & incolumem. Atque id ab immortali Deo sapissimè precata fuit multis cum lachrymis atque suspiriis. Quo die vitam illa finit, natus est Augusto duci filius Alexander. His ferè diebus qui reliqui per Angliam erant externi, sed & indigenæ multi relicta patria propter mutatam religionem & edita Reginæ, in Germaniam sese conferunt, & Vesaliæ quidam, alii Fræcofurti, complures etiam Argentorati subsistunt. Ioannes Lascus, Polonus genere nobilis, Hieronymi frater, vir insigniter doctus, ante hyemem profectus erat illinc cum nonnullis in Daniam: sed cum ibi parvè amicè reciperetur ob diuersam de cœna Domini sententiam, & per inferiorem Saxoniam eadem de causa denegaretur ei sedes, Emdam oppidum Frisiæ tandem peruenit, ibique confedit.

*Io. à Lasco  
incertis se-  
dibus va-  
gatur.*

Martii die quarto Regina leges promulgat ecclesiasticas, quibus mandat Episcopis eorūque vicariis, vt ne quem de hæresi suspectum in ordinem sacrum recipiant, hæreses funditus extirpent, noxios & pestiferos libros aboleant, ludimagistris & populi doctoribus præscribant, & non obtemperantibus docendi munus abrogent, sacerdotibus maritis vxores & facultates auferant, & poenas ipsorū scelere dignas constituent: sic tamen vt eos qui de cōsensu coniugis profitètur se velle

*Leges eel.  
in Anglia.*

*Senarum  
obsessio.*

facere diuortiu, & in posteru abstinere, lenius tractent, ac respiscentes etiã loco restituant. Non multo post in custodiam data fuit Regina soror, Elisabetha, literis exulta puella, quod antea tæ seditionis conscia putaretur. Per hosce dies, quum Florentiæ ducis, Pontificis copiæ Senas obsiderent, Petrus Stroza, qui Galliæ Regis nomine tuebatur urbem, ex insidiis illos adortus, vbi per indicium quædam accepisset, magnum eorum numerum cõcidit: illi tamen redintegratis viribus obsidionem continuarunt. Ad idus Aprileis Londini supplicio capitis fuit affectus Viatus: antè quàm produceretur, Elisabetham & Cortinæum diligenter excusans, aiebat non esse afines coniurationi. Tunc etiam Cantuariensis & Londinensis Episcopus & Hugo Latimerus, primùm Vindeforam, post Oxoniùm abducti, habita disputatione cum eis, atque etiam Cantabrigiensis academiæ theologis, quum in sententia permanerent, dantur in custodiam. Cardinalis Polus, vbi cum Cæsare fuisset aliquandiu, Galliæ regem petit, & pacis erat vtrique conciliarius: verùm nihil profecit. Ad finem Aprilis, Albertus Brandeburgicus, acceptis aureorum millibus sexaginta, captiuum Aumalium dimittit. Non multo post Cæsar Bruxellæ datis literis, illum hyeme superiori proscriptum Spiræ, sicut diximus, denuò proscribit, & questus eum  
 sic



sic impunè grassari, verbis grauissimis mādāt, vt Principes ac ordines omnes, maximè autem finitimi, sententiam latam exequantur.

Albertus odiosè quædam & acerbè scripserat in Noribergicos, quasi bello superiori Gallia regem atque socios occultè iuuerint, & pecuniam dependerint, quasi de Cæsare grauem habuerint suspicionem tum ipsi, tum Episcopi focii, multaque dixerint contumeliosè, quasi Gallia Regi magis quàm Cæsari faueāt, quasi bellum hoc ipsi conflagrint, quasi totis viribus id egerint, ne pacta seruarent Episcopi, quasi priores bellum fecerint, & ad defensionem ipsum adegerint, quasi nobilitatem omnem profligare studeant, quasi fidem datam & literis obsignatam violarint, quasi nefarium & crudele bellum gesserint in suæ ditionis homines, quasi iudicium Camera pretio redemerint. patriæ quoque proditores vocabat, difeminatis per Germaniam libellis. Eo cognito, Norinbergici quum Holanspergo capto quædam eius generis reperissent, Maii die decimo octauo prolixè respondent, ad ordines omnes euulgato scripto, & ordine singula refutant, & in ipsum pleraque retorquent.

Initio Februarii quinque sunt damnati capituli Londini, quòd ad religionē pontificiam redire nollent, egregia doctrina viri, Ioannes Hopperus, Ioannes Bratfordus, Laurentius Sanderus, Rolandus Taillerus, Ioannes Rogerus. paulò post etiam Dauidensis Episcopus.

M.D.LV.

Sub exitum Februarii, Ioannes Albertus, dux Megelburgius, quem confœderatū fuisse Mauricio diximus, quēque Brunsvicensis Henricus, anno superiori, cū per Saxoniam bellum circumferret, non mediocriter affixerat, Alberti Pruisiæ ducis filiam in matrimonium ducit. Cū hucusque peruentum esset, nuntiatū ex Anglia fuit, ex illis quinque, de quibus paulò suprà diximus, Bratfortum, licet condemnatum, afferuari captiuū, & multorum animos, constantia reliquorum, qui vitam profudissent, vehementer obstupefactos esse & attonitos.

F I N I S.



us,  
isse  
his  
am  
fi-  
ri-  
m  
s,  
,  
l-  
i-  
os







the scale towards document

490

Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No.

AE. 439  
 simis mādat,  
 maximè autem  
 antur.  
 verbè scripse-  
 superiori Gal  
 uerint, & pe  
 efare grauem  
 um Episcopi  
 eliofè, quasi  
 faueāt, quasi  
 si totis viri-  
 nt Episcopi,  
 ad defensio-  
 bilitatem o-  
 fidem datam  
 asi nefarium  
 ditionis ho-  
 pretio rede-  
 vocabat, dif  
 s. Eo cogni-  
 pergo capto  
 Maii die de-  
 , ad ordines  
 e singula re-  
 quent.  
 damnati ca-  
 pontificiam  
 ri, Ioannes  
 Laurentius  
 oannes Ro-  
 asis Episco.

M.D.LV.